26

BIBLIOTHECA
THEOLOGORUM
Coll. Lovan. S. J.

11
G
26.

348.71

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/expositiomethodi0000vari

EXPOSITIO METHODICA

JURIS CANONICI

Auctore L. HUGUENIN

EDITIO SEXTA

QUÆ JURA A LEGE SUNT EDITORES SIBI RESERVANT

EXPOSITIO METHODICA

JURIS CANONICI

AD USUM SCHOLARUM CLERICALIUM

AUCTORE

LUDOVICO HUGUENIN

JURIS CANONICI PROFESSORE

STUDIO PRÆSERTIM

P. CLEMENTIS MARC

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

EMENDATA ET COMPLETA JUXTA NOVISSIMA SEDIS APOSTOLICÆ DECRETA

EDITIO SEXTA

aucta

BREVI EXPOSITIONE REGULARUM COMPUTI ECCLESIASTICI ET KALENDARII

ET APPENDICE TEMPORALI DE ADMINISTRATIONE RERUM ECCLESIASTICARUM IN GALLIA



LIBRAIRIE CATHOLIQUE EMMANUEL VITTE

LYON
3 , place Bellecour, 3.

PARIS
14, rue de l'Abbaye (VI^e^).

1903

3888

IMPRIMATUR

Sancti Deodati, die 4 octobris 1867.

† LUDOVICUS-MARIA,
Episc. Sancti Deodati.

IMPRIMATUR

Lugduni, die 23 decembris 1902.

J. DÉCHELETTE,
vic. gen.

APPROBATIO APOSTOLICA

LITTERÆ REVERENDISSIMI L. PACIFICI

A SECRETIS SANCTITATIS SUÆ PRO LATINIS LITTERIS

AD ILLUSTRISSIMUM AC REVERENDISSIMUM DD. LUDOVICUM MARIAM CAVEROT

Episcopum Sancti Deodati (postea archiepiscopum Lugdunensem et S. R. E. Cardinalem).

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE COLENDISSIME,

Redditæ sunt Sanctissimo Domino Nostro Pio IX, Pontifici Maximo, Tuæ Litteræ, quibus, Illustrissime ac Reverendissime Domine, ab eo petebas ut opus ab ecclesiastico viro HUGUENIN, in isto episcopali Tuo Seminario canonici juris doctore, elucubratum et inscriptum *Expositio methodica Juris canonici*, hic in urbe examinaretur. Idem Sanctissimus Dominus Noster hujusmodi a Te susceptum consilium summopere commendans, Tuisque votis perlibenter annuens, commisit duobus viris canonici juris scientia peritis, ut opus commemoratum accurate perpenderent. Qui viri demandato sibi munere fungentes, concordi judicio testati sunt in eodem opere nihil reperiri quod catholicæ fidei principiis morumque doctrinæ adversetur, et confirmarunt in ipso opere nitidum in argumentis evolvendis adhibitum fuisse ordinem, et perspicuam in iisdem enucleandis dicendi rationem ; et præsertim laudarunt auctoris studium ac doctrinam in Apostolicæ hujus Sedis juribus adserendis et vindicandis, et censuerunt idem opus ad clericos canonicis disciplinis instituendos admodum utile et apprime esse accommodatum.

Hæc me jussit Tibi significare Sanctissimus Dominus Noster, qui intimo sui cordis affectu Apostolicam Benedictionem Tibi est impertitus. Ego autem, Summi Pontificis mandata exsequens, hac occasione libentissime utor, ut obsequentissimi æque ac studiosissimi mei in Te animi sensus profiteri possim.

Amplitudinis Tuæ Illustrissimæ ac Reverendissimæ

Humillimus, Obsequentissimus Servus,
LUCAS PACIFICI.

ROMÆ, die 14 octobris 1867.

TESTIMONIUM EXAMINATORUM

Demandato nobis muneri libenti animo obsequuti, opus cui titulus *Expositio methodica Juris canonici*, a clarissimo viro D. HUGUENIN, in seminario diœceseos S. Deodati ejusdem juris antecessore, elucubratum accurate perlegimus; et non solum in eo nihil prorsus deprehendimus quod catholicæ fidei principiis et morum doctrinæ adversetur, bene vero singulari animi voluptate in eodem perspeximus tum nitidum in argumentis evolvendis adhibitum ordinem, tum perspicuam in eisdem enucleandis dicendi rationem; potissimum commendantes laudati auctoris studium ac doctrinam in Apostolicæ Sedis juribus adseserendis vindicandisque, ita ut memoratum opus ad clericos in canonicis disciplinis instituendos admodum utile et apprime accommodatum censeamus.

Datum ROMÆ, die 24 septembris 1867.

FR. ANGELUS VINCENTIUS MODENA, Or. Pr., in Romana studiorum Universitate theologiæ tradendæ doctor decurialis, Collegii theologorum Urbis decanus.

CÆSAR RONCETTI, in scholis pontificiis Seminarii Romani juris canonici professor.

Notare juvat in apostolica approbatione, cujus ratio fuit testimonium amborum illustrium canonistarum, P. MODENA et C. RONCETTI, *Expositionem methodicam juris canonici* commendari ut *admodum utilem et apprime accommodatam ad clericos in canonicis disciplinis instituendos*, non solum quia sanam tradit doctrinam, et Apostolicæ Sedis jura summo studio tuetur, quod commune est multis operibus novissimo tempore editis; sed etiam quia peritissimi examinatores in Institutionibus D. HUGUENIN perspexerunt dotes quæ magis placent et exoptantur in libro manuali, nempe *nitidum in argumentis evolvendis adhibitum ordinem*, ac *perspicuam in eisdem enucleandis dicendi rationem*.

MONITUM EDITORIS

AD QUARTAM EDITIONEM *EXPOSITIONIS METHODICÆ JURIS CANONICI*

Qui præclarum opus, cui titulus *Institutiones morales Alphonsianæ*, tribus abhinc annis publici juris fecit, doctissimus P. Clemens Marc, C. SS. R., annuens Editoris precibus, *Expositionem methodicam juris canonici, auctore L. Huguenin*, susceperat diligentissime recognoscendam, perficiendam et necessariis additamentis augendam, læta spe inductus fore ut istud opus ita recognitum perfectiusque redditum suis *Institutionibus* tanquam opportunus socius individuusque comes hinc in posterum adjungeretur. Susceptus labor in eo erat ut mox absolveretur, cum vir doctus immatura morte oppressus est. Consequenter, alius ejusdem Congregationis presbyter, conscius ipsius mentis, recognitionis opus nulla interposita mora perfecit; et sic in vulgus edi potuit nova hæc, præcedentibusque multo perfectior editio. In ea enim, ut statim patebit conferenti, multa castigata et perfecta fuerunt, juxta animadversiones peritorum; singula ad normam novissimorum S. Sedis decretorum et declarationum digesta sunt; insertæ sunt Instructiones circa processum in curiis episcopalibus nunc temporis in multis locis servandum, et circa suspensiones *ex informata conscientia;* et dissertationi *de pœnis ecclesiasticis* opportuniori loco subjunctum est commentarium const. *Apostolicæ Sedis*. Tandem, instar coronidis appositus est Index alphabeticus rerum, quærenti demonstrans numeros operis, in quibus occurrit optata quæstionum et difficultatum resolutio.

MONITUM AD QUINTAM ET SEXTAM EDITIONEM

Præsens editio, præter mutationes et declarationes disciplinæ ecclesiasticæ a S. Sede novissime decretas, quæ maxima ex parte spectant Instituta religiosa votorum simplicium et librorum prohibitorum Indicem, continet brevem expositionem regularum computi ecclesiastici et kalendarii, et appendicem de temporali rerum ecclesiasticarum administratione in Gallia, idiomate gallico ideo scriptam et seorsim impressam, quod præscripta quibus constat in eodem idiomate edita sunt, nec extra Galliam vim habent.

PRÆFATIO AUCTORIS

In gratiam eorum qui faciliorem canonum notitiam desiderant præsens opus concinnatum est.

« *Contingere potest*, ait S. Augustinus, *ut nonnulli qui hæc nostra intelligere valent, planiores non inveniant libros. Ideoque utile est plures a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam in quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat* (1). » Licet multa de jure pontificio scripta prodierint, hactenus in Galliis exspectatur *Cursus juris canonici*, nempe opus methodicum, in meliorem ordinem redactum, scientiæ postulatis respondens, studiisque clericalibus accommodatum.

I. Primarius legum effectus est obligatio ad observantiam ; alter earum effectus est obligatio ad scientiam. Plurimi quidem arbitrantur studia juris ecclesiastici difficilia esse, sive ob varia disciplinæ adjuncta variis ætatibus accedentia, sive ob innumeros codices pervolvendos, sive ob intricatas ac perplexas interpretum methodos et traditiones. Ea de causa, Summi Pontifices suas omnes curas conferre non intermiserunt, ut clerici jus sacrum addiscerent, canonumque cultores auctis præsidiis fruerentur. Pro ratione studiorum in Universitatibus constituta, curriculum canonici juris absolvitur duplici labore, videlicet Institutionibus et Decretalium expositione. *Institutiones* viam sternunt ad præcepta scientiæ canonicæ percipienda; *Decretalium* autem explicatio consistit

(1) S. Augustinus, lib. I *de Trinitate*, cap. III.

tum in doctrina juris tradenda secundum ipsarum titulos, tum in singulis capitibus seu canonibus ad litteram interpretandis.

In Galliis maximam passa est jurisprudentia canonica jacturam, quamdiu legum sacrarum studia nondum restituta erant. Multi existimabant actum esse de proponenda juris scripti auctoritate; arbitrium sine regulis sapientiam fingentes, dictitabant leges ecclesiasticas aut ipsa sui vetustate collapsas aut contrariis moribus immutatas. Episcopi vero præsentiebant rem esse gravissimi periculi plenam, si generales Ecclesiæ leges memoria excidant et hominum actus fluctuent in incerto; itaque studiis ecclesiasticis consulentes, ne omni vento doctrinæ agitaremur, elaborandum censuerunt in recta juris instauratione. Quibus Dominus noster Pius IX, de promovendis scientiarum incrementis sollicitus, animos addidit ut in seminariis majoribus prælectiones canonicas instituerent : « *Adolescentes clerici in vestris seminariis... sacrorum canonum scientiam, ex auctoribus ab Apostolica Sede probatis depromptam, consequi valeant* (1).

Exinde, multo plures numero sunt qui jurisprudentiæ vacent, et exarandis scriptis canonicis operas suas impendant. Verumtamen, cum res omnes optimæ nonnisi sensim adolescant et perficiantur, dolemus doctrinam juris, ex quo restaurari cœpit, non potuisse ad pristinum nitorem adduci. Si in causam difficultatis inquiras, multiplicem facile invenies. Alii namque scriptores selecta quædam disciplinæ capita discutienda sibi sumpserunt; alii universas juris sacri partes illustrarunt pluribus magnisque voluminibus, quorum operosa est lectio; paucis propositum fuit *compendium* seminariis et sacerdotibus destinatum conscribere. Neque omnibus placuit

(1) Pii IX encyclica *Inter multiplices*, ad Episcopos Galliæ (21 martii 1853).

quorumdam methodus : vel enim præjudicatis plus æquo indulserunt opinionibus; vel canonum scientiam a theologia haud satis discriminant delectu rerum aut argumentorum genere; vel de principiis generalibus stabiliendis parum solliciti, non explicant jus per regulas, sed cumulo quæstionum aut mole citationum legentem obruunt; vel demum arbitrario sub respectu distribuunt elementa juris, ita ut notionum nexus vix appareat, neque permultæ tractationes in unum corpus redigantur.

Præterea, quisque opportunum judicat novos exhiberi modos quibus ad verum in singulis disciplinis facilius et tutius accedamus. Ideo quemadmodum artes laudabili inventione ulterius progrediuntur, pari solertia scriptoribus annitendum est ut clericis jurisprudentiæ addictis præsto sint majora studiorum adjumenta. Ingenium Galliæ delectatur perspicuitate ordinis. Ad superanda impedimenta quæ nostris in regionibus disciplinam canonum circumstant, studium juris ecclesiastici methodo scientifica instituendum esse clerus lubenter profitetur.

II. Si rerum magistram experientiam consulamus, aptiori ratione proponi potest modus discendi jus canonicum. Eo tendit *Expositio methodica*. Utinam aperiat viam commodiorem ad jurisprudentiam Ecclesiæ propriam rite excolendam!

Ut opus susceptum ad scientiæ normam exigeretur, ex purissimis fontibus, ex ipsis legibus divinis et ecclesiasticis derivamus doctrinam canonicam. Jura Summi Pontificis vindicantur, quin detrahatur Episcoporum auctoritati; salva fide, salvo jure, abstinemus a verborum acerbitate. Tum ex voluntate Christi, tum ex natura societatis perfectæ definitur Ecclesiæ potestas; inde prodeunt canonicæ sanctiones. Juri

communi, cujus explanationem potissimum aggredimur, accedit disciplina Galliæ propria. Decretalibus adjunximus Concilium Tridentinum, novissimasque constitutiones pontificias et ordinationes legibus affines, quibus innotescit jus vigens.

Methodum ex natura rei deductam persequimur; optamus enim ut ipse juris ecclesiastici conspectus ideam Ecclesiæ exprimat. Jamvero Institutionem triplex munus est : *primum* elementa juris in formam scientificam redigere; *alterum*, principiis generalibus constitutis, inde particulares conclusiones recte derivare; *tertium* ad explicationem juris regulas adhibere velut apposita lumina, quibus clare perspicimus mentem Ecclesiæ in legibus. In hunc finem philosophia juris canonici instituit integrum systema regularum, quæ sub principiis ex quibus procedunt ordinantur.

Cum criterium juridicum præstari nequeat, nisi diligenter servetur ordo logicus, ideo partitiones et subdivisiones operis impense meditati sumus, ut universæ juris materiæ, suis sedibus restitutæ, ad suum naturalem ordinem revocarentur.

Theoriam et praxim, jus *publicum* simul et *privatum* amplectimur. Ubertatem delectu temperantes, ante omnia quidem intuemur quid ab Ecclesia statutum fuerit; verum operæ pretium duximus, non tam speciales quæstiones collata canonum auctoritate multiplici dirimere, quam regulas generales ponere, ex quibus quæstionum ipsarum solutio sponte sua dimanaret.

Ad formam scriptionis quod attinet, opus dividitur in partem generalem et specialem. Pars *generalis* complectitur principia scientiæ canonicæ. Pars *specialis* describit statum Ecclesiæ juxta canones, sive respectu personarum Ecclesiæ,

sive respectu mediorum quibus instructa est, sive respectu relationum illius cum societatibus civilibus. — Monitum volumus lectorem materias ad jus ecclesiasticum non pertinentes in hoc libro frustra quæri. Multas notas adjecimus, tum ut fontes juris discentibus obvii essent, tum etiam ne quid sine auctoritate assertum argueretur. Singulis quæstionibus præfixa est partitio; hinc ordo prævenit demonstrationem, quoties ex eo manifestum fit sequentes propositiones vera esse præcedentium consectaria.

Nihil tandem neglectum fuit, ut *Expositio methodica juris canonici* juventuti legum studiosæ proficeret.

EXCERPTA E DECRETIS CONCILII TRIDENTINI

De Reformatione.

NECESSITATEM ET PRÆROGATIVAS JURISPRUDENTIÆ CANONICÆ SPECTANTIA

« Quicumque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus et vita ac aliis quæ a sacris canonibus requiruntur, plene sit præditus... Scientia vero præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere ; ideoque antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia vel jure canonico, merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. » (*Sess.* 22, *cap.* II.)

« ..... De cætero vero, officia vel dignitates illæ quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus vel Magistris, aut Licentiatis in sacra pagina aut in jure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per seipsos id munus explere possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida. » (*Sess.* 23, *cap.* XVIII.)

« ..... In omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur ; qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur. » (*Sess.* 24, *cap.* VIII.)

« Cum dignitates in ecclesiis, præsertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinuerint pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera et officio juvarent ; merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint..... Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia seu Doctores, aut Licentiati in jure canonico...

Hortatur etiam Sancta Synodus, ut in provinciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus, conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel jure canonico. » (*Sess.* 24, *cap.* XII.)

« Capitulum, sede vacante....., Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. » (*Sess.* 24, *cap.* XVI.)

« Examinatores singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur ; qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur..... Sint vero hi examinatores Magistri seu Doctores aut Licen-

tiati in Theologia aut jure canonico, vel alii clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur idonei. » (*Sess.* 24, *cap.* XVIII.)

« Omnes ii ad quos Universitatum et Studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent ut ab eisdem Universitatibus canones et decreta hujus sanctæ Synodi integre recipiantur, ad eorumque normam Magistri, Doctores et alii in eisdem Universitatibus, ea quæ Catholicæ fidei sunt doceant et interpretentur; seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni solemni juramento obstringant. » (*Sess.* 25, *cap.* II.)

Leo papa XIII decreto S. Congregationis studiorum, die 15 junii 1895, Facultati theologicæ Parisiensi specialem Juris Ecclesiastici facultatem annexuit, simul ac philosophiæ.

Similiter privilegio conferendi omnes gradus academicos in canonico jure gaudent Facultates theologiæ Lugduni et Insulis Flandrorum antea erectæ.

EXPOSITIO METHODICA

JURIS CANONICI

PRÆNOTIONES

1. — Quo facilius variæ hujusce expositionis partes intelligantur, opportunum ducimus notiones quasdam universaliores præmittere, quæ præsenti argumento viam sternant, atque in ejus explanationem quasi introducant. Quare sequentia videntur declaranda : 1. Notio Juris in genere ; — 2. Notio Juris canonici ; — 3. Scientia Juris canonici ; — 4. Adminicula Juris canonici ; — 5. Partitio Institutionum canonicarum.

§ 1. — *Notio Juris.*

Ut pateat quid sit jus, tria consideranda veniunt : I. Diversæ acceptiones istius vocis ; — II. Origo Juris ; — III. Juris distributio in varias species.

I. — Diversæ acceptiones vocis JUS.

2. — Jus (a jubendo) est Superioris jussus, lex seu norma agendi, ad quam si subditus suam actionem conformat, dicitur *justus*, utpote qui justitiam prosequitur.

In latiori sensu, *jus est medium per quod intendimus justitiam in societate* (1). Inde intelliguntur diversæ acceptiones istius vocis.

Conceptus juris est idea simplex simul et complexa. Quatenus hæc idea simplex est et primigenia, nomine juris exprimitur tum *facultas moralis* seu potestas ad illud quod juxta rationis dictamen competit ; tum *obligatio* juri respondens, nam corelativa dicuntur moralis facultas et officium ; tum *lex ipsa*, qua facultas et obligatio regulantur ; tum *sententia* judicis, qui *jus dicit* applicando legem ; tum *locus* in quo sententia profertur, quare dicimus : *convenire in jus*.

Quatenus vero idea fit complexa, jus vel *objective*, vel *subjective* spectari potest. Objective spectatum, est *complexio legum* quibus facultates et obligationes in aliqua societate determinantur. Quæ complexio, si recto ordine digesta sit, systema juris dicitur, codex, corpus juris.

Jus subjective consideratum est *scientia* hujusmodi legum, siquidem circa societatis facultates et obligationes, legibus determinandas, versatur universa jurium disciplina (2). Hinc qui scientia juris eminent, appellantur

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, Dissert. procemialis, § 1.
(2) Zallinger, *Institutionum* liber isagogicus, cap. I.

jurisperiti, jurisconsulti, juris doctores; qui vero eam comparant, dicuntur juris studiosi.

II. — Origo juris.

3. — I. *Falsa systemata.* — Cum homo sit ens corporale, spirituale et sociale, falsa de juris origine systemata ex triplici fonte prodierunt; etenim ab iis excogitata sunt qui, ab hominis adæquata consideratione recedentes, et a lege Creatoris deficientes, vel corporis, vel animæ, vel status seu societatis civilis independentiam absolutam fingunt.

In errores hujusmodi lapsi sunt tum veteres, tum novatores.

1. Apud veteres, Epicureis pro jure fuerunt voluptas, vis et utilitas. — Stoici, ex adverso, independentiam animæ a regulis morum asserebant, eam fato subjicientes; quare justitiam et Deum ipsum e legibus expellebant. — Pseudopolitici radicem juris duplici modo evertunt : alii jus ex pactis humanis derivant; juxta alios, justitia cives ligat, non imperantes.

2. Tria hæc systemata, mutatis aliquatenus formis, hodiernis moribus vigent : — Utilitarii et Materialistæ jus ex utilitate, utilitatem ex voluptate dimetiuntur; — Rationalistæ et Naturalistæ summum imperium rationi conferunt, nullamque legem superiorem agnoscunt præter ineluctabilem naturæ evolutionem; — demum Pantheismus politicus juris fontem sive in regum, sive in populorum voluntate constituit, sic in eos transferens quod Dei est proprium (1).

4. — II. *Vera juris origo.* — Leges requirunt duos actus legislatoris, unum quidem intellectus disponentis, alterum vero voluntatis præcipientis. Itaque duplici elemento constant, nempe *rationis ordinatione* et *potestatis voluntate;* quare optime a S. Thoma lex definitur: *ordinatio rationis ab eo qui curam societatis habet promulgata.*

Jamvero sub utroque respectu jus a divina sapientia ducit originem et dignitatem. Etenim, cum Deus sit fons æquitatis et auctoritatis, leges humanæ æquitatem et vim ab ipso accipiunt (2).

1. Æquitas legum est illarum conformitas cum lege æterna. Lex vero æterna, in Deo universi supremo gubernatore, est ratio divinæ sapientiæ dirigentis creaturas ad suum finem, in bonum commune. Cæteræ leges non sunt justæ, nec idcirco veri nominis leges, nisi hanc regulam imitentur, id est, nisi mediate saltem dirigant subditos ad finem ultimum, nec huic ullatenus adversentur.

2. Leges a Deo vim obligandi mutuantur. Ratio est quod, cum *natura* cuncti homines sint pares, solus Deus, omnium Creator et Auctor, per se aut per vicarios suos eis imperare valet, justa illud S. Pauli : *Non est potestas nisi a Deo.* (Rom., XIII.)

Igitur Deus est auctor juris, siquidem leges ab ipso derivantur, sive tanquam a causa exemplari, sive tanquam a causa efficiente.

(1) Audisio, *Juris naturæ fundamenta*, lib. I, tit. I. — Gonzalez, *Apparatus*, de origine et progressu juris canonici. — (2) S. Thomas, 1ª 2æ, q. 91, *de Lege æterna.* — Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos nostræ ætatis errores, n. LVI.

5. — III. *Corollaria.* — 1° Jus et religio, licet ab invicem differant, ex eodem fonte dimanant, ideoque arctissimo vinculo connectuntur.

2° Observantia juris est pars officiorum quæ homini christiano ex religione incumbunt.

3° Ex dictis patet quam perverse sentiant qui fundamentum juris statuere præsumunt, præscindendo a Deo et ultima hominis destinatione, et religionem a jure eliminando.

III. — Juris distributio in varias species (1).

6. — I. Jus dividitur in *naturale* et *positivum*. — Jus *naturale* est complexio legum quæ ita necessario fluunt ex Dei et creaturarum essentia, ut non possint non existere. Dicitur jus *naturæ* seu *lex naturalis*, 1° quia rerum conditarum naturæ ita convenit, ut necessario ex ipsa eruatur ; 2° quia naturæ hominum ita congenitum est, ut cuilibet rationis usum habenti principia ejusdem innotescant. — Definitur : *participatio legis æternæ in rationali creatura*, seu ordinatio divina cordibus nostris ab auctore naturæ humanæ impressa, per lumen rationis cognita, et ad recte operandum dirigens.

Jus naturale distinguitur in *privatum*, *domesticum*, *publicum* et *gentium*. Jus *privatum* hominem in statu naturali positum seorsim considerat, id est, nullo affectum adventitio statu. — Jus *domesticum* ea exponit quæ ad familiam pertinent, nempe societatis conjugalis, parentalis ac herilis fines, jura et obligationes. — Jus *publicum* naturale est systema legum quibus, natura duce, definitur constitutio societatis perfectæ. — Jus *gentium* naturale est complexio jurium et obligationum quæ inter diversas gentes ab ipsa natura statuta sunt.

Jus *positivum* complectitur leges libera voluntate sive Dei, sive hominum, conditas. — Discrimen juris naturalis et positivi per se patet : jus naturale est immutabile, cum ex rerum essentia proveniat ; jus vero positivum mutari potest, nam fertur libera voluntate legislatoris, qui leges suas variis adjunctis accommodat.

7. — II. Jus positivum subdividitur in *divinum*, quod a Deo vel Christo conditum est, et *humanum*, quod proxime ab humana auctoritate statuitur. Utrumque, cum sit accidentale et potuerit non constitui, rationis lumine haud innotescit, sed aliis mediis promulgari debet, v. gr. revelatione, publicatione, exemplarium affixione in locis determinatis.

Jus *divinum positivum* constat legibus a Deo latis, quibus homines ad finem supernaturalem diriguntur. — Duplex distingui solet, nempe *Vetus Testamentum* seu *Lex Primæva* et *Mosaica*, et *Novum Testamentum* seu *Lex Nova*, id est, complexio legum quibus Christus Ecclesiam tanquam societatem perfectam constituit, illiusque fundamentalia jura et officia determinavit.

8. — III. Juris humani duplex distinguitur species : *jus ecclesiasticum*

(1) Gonzalez, *Apparatus*, de origine juris canonici. — Zallinger, *Institutiones juris publici*, Prolegomena. — Pirhing, *Prœmium* in jus canonicum.

seu *canonicum* et *jus civile*. — Jus ecclesiasticum, quamvis primaria ejus principia a Christo sancita fuerint, humanum tamen est, in eo sensu quod singuli canones ab Ecclesiæ rectoribus decernuntur. — Jus civile continet leges quæ in Statibus a potestate civili feruntur ob bonum temporale.

Utrumque vigere constat. Etenim utraque societas, videlicet ecclesiastica et civilis, est distincta et per se autonoma, seu in ordine suo independens. Cum ea sit societatis autonomæ indoles ut *jure proprio* regatur, idcirco Ecclesia et Status suum proprium jus habent. Inde leges ecclesiasticæ et civiles.

Juri civili affine est jus gentium seu internationale positivum, quo determinantur mutua nationum officia et jura ex consuetudine et pactis vim habentia, v. g. obligatio dimittendi legatos hostium incolumes.

9. — Jamvero, discrimen magni momenti inter jus ecclesiasticum et jus civile intercedit; differunt enim origine, objecto et fine. — 1. *Origine :* societas civilis est a Deo ut auctore naturæ, dum, posito facto revelationis, ecclesiastica societas auctore Christo consistit. Illa varias regiminis formas induit; ista semper una eademque remanet. — 2. *Objecto :* jus ecclesiasticum spiritualia et spiritualibus connexa moderatur; jus vero civile politica et temporalia. — 3. *Fine :* Ecclesia ordinatur ad finem supernaturalem; societas civilis ad finem naturalem. Proinde jus canonicum æternam hominum beatitudinem præcipue spectat; jus vero civile terrenam felicitatem immediate respicit.

10. — Ex hoc triplici discrimine proditur etiam triplex causa propter quam jus canonicum juri civili *antecellit;* nimirum excellit ratione potestatis unde manat, ratione objecti et finis, tantumque distant canones a legibus civilibus quantum sacra a profanis.

Attamen hæc jura inter se ita *nexa sunt*, ut alterum alteri auxilium præstet. Unde, ait Lucius III : « Sicut leges (civiles) non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum canonum statuta principum constitutionibus adjuvantur. »

Insuper inter utrumque jus manifesta existit *analogia*. Sicut juris civilis est positivis legibus jura et officia civium determinare, ita Ecclesiæ canonibus jura et officia christianorum determinantur. Propterea jus canonicum, de quo sermonem instituimus, dictum est *annulus* quo jus civile cum religione connectitur (1).

§ 2. — *Notio juris canonici.*

Hæc notio eruitur : I. ex diversorum nominum ratione; — II. ex rei definitione : — III. ex illius divisione.

I. — Nomina juris canonici (2).

11. — Jus canonicum vocatur etiam jus *sacrum, divinum, pontificium, ecclesiasticum, disciplina ecclesiastica*. — Dicitur :

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, Dissert, procemialis, § 7. — (2) Boulx, *de Principiis juris canonici*. — Schmalzgrueber, Dissert. procem., § 7.

1. *Jus canonicum*, id est, *jus regulare*, quia canon græce, latine regula nuncupatur. — Merito dicitur jus regulare per excellentiam, eo quod canon in usu juris significet regulam ecclesiasticam inter humanas regulas principem, sicut *jus civile* sine addito significat *jus romanum*.

2. *Jus sacrum*, tum ab auctore suo, qui est persona sacra, nempe Christus et ecclesiastica potestas ab ipso instituta; tum a materia circa quam versatur; tum a fine sacro ad quem dirigit, scilicet bono spirituali fidelium et æterna beatitudine.

3. *Jus divinum*, vel quia S. Spiritus Ecclesiæ ministerio disciplinam sacram informat; vel quia canones sunt conclusiones deductæ ex principiis legis divinæ; vel quia jus istud divinam Ecclesiæ constitutionem complectitur, licet ex parte longe majori sit humanum; vel denique quia auctoritas R. Pontificis, qua conditur, ipsi fuit directe a Deo collata.

4. *Jus pontificium*, sive ut a jure cæsareo seu civili distinguatur; sive propterea quod a romanis Pontificibus firmatum sit, id est, vel traditum, vel constitutum, vel approbatum.

5. *Jus ecclesiasticum*, tum ratione objecti, quoniam agit de personis et rebus ecclesiasticis; tum ratione originis, quia nimirum ecclesiastica potestate statutum est.

6. *Disciplina ecclesiastica*, quatenus a discipulis seu filiis Ecclesiæ servandum est.

12. — Novissimis temporibus, jus canonicum et jus ecclesiasticum ita a quibusdam sibi invicem opponi solent, ut illud eas tantum normas comprehendere censeatur quæ ab ecclesiastica auctoritate statutæ sunt; istud vero concipiatur velut complexus omnium prorsus legum quæ ad regimen Ecclesiæ pertinent, etiam earum quæ a potestate civili in ordine ad politiam ecclesiasticam decernuntur. In eo sensu jus ecclesiasticum latius patet quam jus canonicum. — Verum, cum leges a potestate civili circa res ecclesiasticas latæ potius usurpationem juris quam jus contineant, perperam velut pars juris ecclesiastici considerantur. Igitur hæc duo vocabula promiscue accipimus, siquidem Ecclesia suo nomine leges suas denominat.

II. — Definitio.

13. — Jus canonicum, objective seu quoad rem spectatum, breviter definitur : *Complexus regularum quibus ordinatur vita Ecclesiæ tanquam societatis visibilis* (1).

Fusius describitur : *Complexio sacrorum canonum seu legum ab Ecclesia Christi per Episcopos, præsertim vero per R. Pontificem sancitarum, quibus societatis christianæ jura et officia determinantur, et fidelium actiones diriguntur ad finem Ecclesiæ proprium.*

Dicitur : — 1° *Complexio legum*, quod commune est juri cujusque societatis. Leges ecclesiasticæ non sunt tantum consilia et suasiones, sed pri-

(1) Schulte, *Manuale juris ecclesiastici*, § 2.

marius earum effectus est obligatio, et ad illas observandas rectores Ecclesiæ judicio pœnisque cogere valent.

2° *Per Episcopos et præsertim per R. Pontificem*, eo quod regimen Ecclesiæ Petro et Apostolis, eorumque successoribus, a Domino traditum fuit. Suprema potestate R. Pontifex et concilium œcumenicum leges universales statuunt; leges vero particulares a singulis Episcopis et cæteris legislatoribus feruntur.

3° *Ab Ecclesia Christi..... sancitarum*, nam potestas ecclesiatica triplici modo leges firmat, illas vel proponens, vel condens, vel approbans.

Ea quæ Deum aut Christum habent auctorem, v. gr. fidei dogmata, morum regulæ, jura constitutiva Ecclesiæ, ad jus divinum referuntur. Jus canonicum non spectant, nisi quatenus sunt ejus ratio et fundamentum, vel quatenus Ecclesiæ traditione declarantur, auctoritate proponuntur, pœnis vindicantur, v. g. præcepta confessionis et communionis annuæ. Leges mere disciplinares ipsa Ecclesia statuit.

Insuper aliæ sunt regulæ quæ, moribus christianorum vel edictis principum primum inductæ, accedente saltem tacito Ecclesiæ consensu approbantur seu canonizantur, et vim legis ecclesiasticæ accipiunt, v. gr. impedimentum disparitatis cultus, matrimonium dirimens (1).

4° *Societatis christianæ jura et officia determinantur.* Jure canonico generalis status Ecclesiæ determinatur, sive respectu gradus quem obtinet Ecclesia præ cæteris societatibus; sive respectu potestatis et virium quibus prædita est; sive respectu personarum in quibus dicta potestas residet (2).

5° *Fidelium actiones diriguntur ad finem Ecclesiæ proprium.* Illis verbis innotescunt juris ecclesiastici materia, forma et finis. — Materia *ex qua* sunt leges, ex quibus integratur jus canonicum. Materia *in qua* seu subjectum sunt omnes et soli baptizati. Materia *circa quam* seu objectum materiale proximum sunt actiones fidelium dirigendæ per canones. — *Forma* seu objectum formale est rectitudo, quæ per canonum directionem in actiones christianorum inducitur; hanc enim rectitudinem intendunt canones Ecclesiæ. — *Finis proximus* est recta christianorum institutio, seu bonum vitæ christianæ, maxime in actibus externis relucens. *Finis remotus et ultimus* est beatitudo æterna (3).

III. — Divisio.

14. — I. Ratione OBJECTI, jus canonicum dividitur in *publicum* et *privatum*, siquidem jus canonicum est complexus legum quibus Ecclesia constituitur et dirigitur.

Jus publicum est systema legum quibus Ecclesiæ constitutio atque ejus rectorum jura et officia definiuntur, tum ex natura societatis perfectæ, tum ex positiva voluntate Christi ejus fundatoris. — *Jus privatum* est

(1) Pirhing, *Prœmium in jus canonicum.* — (2) Tarquini, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, p. 2. — (3) Maschat, *Prolegomena juris canonici*, § 1.

systema legum Ecclesiæ auctoritate sancitarum quibus singula societatis membra diriguntur ad finem assequendum (1).

Jus publicum rursus dividitur in *internum* et *externum*. — *Jus internum* illud est quo societatis regimen constituitur, sive discrimine graduum quibus personæ apto ordine disponuntur, sive determinatione potestatis et mediorum quibus Ecclesia finem suum assequi potest. — *Jus externum* illud est quo status Ecclesiæ determinatur respectu cæterarum societatum, id est, quo relationes Ecclesiæ et societatis civilis regulantur; unde externa Ecclesiæ positio nascitur. Ad hoc pertinet celebris Leonis XIII Epistola encyclica *Immortale Dei*, de christiana civitatum constitutione.

Igitur jus publicum ratione quidem discernitur a jure privato; minime vero ab invicem absoluta separatione divelluntur. Utrumque societatis christianæ jura et officia determinat, modo tamen diverso, scilicet vel in genere, vel in specie. Jure publico status Ecclesiæ determinatur, quatenus societatis christianæ jura et officia generatim in suis principiis investigantur. Jus vero privatum, facta principiorum applicatione ad peculiares christianorum conditiones, singulorum jura et officia definit.

15. — II. Ratione ORIGINIS, jus canonicum est vel *divinum*, vel *humanum*, siquidem constat partim humanis, partim divinis legibus.

16. — III. Ratione MODI QUO INDUCITUR, distinguitur *jus scriptum*, quod constat scriptis constitutionibus seu canonibus promulgatis; et *jus non scriptum*, nempe traditiones et consuetudines vim legis habentes sine promulgatione proprie dicta.

17. — IV. Ratione EORUM QUOS OBLIGAT, jus *commune* differt a *particulari*. — Jus *commune* sive omnes omnino Christi fideles seu universam Ecclesiam, sive omnes ejusdem ordinis et gradus, v. g. monachos, generaliter regit, licet nonnulli titulo dispensationis vel legitimæ consuetudinis eximi possint, quin propterea cesset ratio et denominatio juris communis. — Jus *particulare* seu *locale* pro quadam parte societatis ecclesiasticæ statutum est, v. gr. jus provinciale, jus diœcesanum.

Usus invaluit ut jus canonicum sine addito designet jus commune, cujus singulæ leges privative dicuntur canones Ecclesiæ.

18. — V. Ratione TEMPORIS, aliud *antiquum*, aliud *novum*, aliud *novissimum* nuncupatur. — Jus *antiquum*, juxta plerosque, illud est quod leges ab initio Ecclesiæ usque ad sæculum XII editas continet. — Jus *novum* seu *medium* comprehendit leges a decreto Gratiani usque ad concilium Tridentium conditas et in libris Decretalium insertas. — Jus *novissimum* canones concilii Tridentini legesque postea sancitas complectitur. Hæc ultima distinctio nonnisi in hunc finem admittitur, ut historicæ juris canonici vicissitudines aliquo modo significentur.

Notare autem expedit quod quidam auctores vocant jus antiquum vel vetus leges olim vigentes, nunc autem abrogatas, quæ melius appellantur jus *antiquatum*.

(1) Tarquini, *Institutionvs juris ecclesiastici*, p. 1. — Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, § 6. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, introduction.

§ 3. — *Juris canonici scientia.*

Dicemus : I. Quid nomine scientiæ canonicæ intelligatur, definitionem tradendo ; — II. quisnam sit ejus scopus ; — III. quodnam intercedat discrimen inter jus canonicum et theologiam ; — IV. quænam sit utilitas et necessitas juris canonici.

I. — Definitio scientiæ canonicæ (1).

19. — I. Jus canonicum *subjective* consideratum est disciplina specialis, quæ differt a jure objective spectato, seu ab ipso complexu legum, sicut religionis scientia differt a religione seu complexu credendorum et agendorum ad colendum Deum.

Disciplina quæ versatur in explicandis Ecclesiæ juribus et legibus quibus regulantur, est *vera scientia*, nam constat principiis et conclusionibus. Etenim ei præsto sunt veritates naturales et revelatæ quibus canones innituntur : ex illis vero principiis scientifice derivantur conclusiones, v. g. ex hoc principio : *Summus Pontifex est episcopus Ecclesiæ catholicæ*, infertur singulos christianos illi debere obedientiam et reverentiam.

Definitur : *Scientia legum ecclesiasticarum studiosa, statum socialem Ecclesiæ describens.*

20. — II. Distinguitur a *jurisprudentia canonica ;* hæc enim respicit praxim, leges ad casus obvenientes applicat, et definiri potest : *habitus practicus, quo leges recte intelliguntur et ad actiones hominum sapienter applicantur* (2). Unde principaliter laudatur jurisprudentia Congregationum romanarum.

II. — Scopus scientiæ canonicæ (3).

21. — I. Munus scientiæ canonicæ in eo consistit, ut jus ecclesiasticum exhibeat in sua substantia, in sua ratione et in sua historica evolutione. Nimirum, studiosus juris cultor docendus est : 1° quænam leges nunc vigeant ; 2° quomodo dictæ leges cum idea et natura Ecclesiæ conveniant ; 3° qua ratione leges et institutiones hodie existentes ad præsentem statum devenerint.

Ex quo infertur triplicem methodum in institutionibus canonicis adhibendam esse. Methodus *practica* leges vigentes ordine logico conspiciendas exhibet ; — methodus *philosophica* leges ad ideam Ecclesiæ expendit, easque huic societati prorsus congruere demonstrat ; — methodus *historica* ostendit quomodo jus hodiernum decursu temporis conditum fuit.

Completa et scientifica juris canonici tractatio sibi exposcit triplicem hanc methodum, non unam tantum aut alteram. Imprimis hæc disciplina practice exponenda est, ut studiosi rectam legum cognitionem acquirant ; deinde speculative explicari debet, ut juris conformitas cum idea Ecclesiæ perspiciatur, eoque libentius obsequium regulis præstetur ; demum

(1) Maschat, *Prolegomena juris canonici*, § 2. — Schulte, *Manuale juris ecclesiastici*, § 3. — (2) Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, § 7. — (3) Philipps, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, introduction, § 4.

methodus historica utilissima est, imo necessaria, nam ad leges ecclesiasticas rite interpretandas requiritur ut canonista juris progressum, videlicet causas et tempora illius mutationum, investigaverit.

Equidem antiqui canonistæ, seu potius canonum compilatores, methodum practicam fere exclusive sectati sunt, in colligendis et exponendis sacris canonibus ; at recentioribus sæculis, maxime post Concilium Tridentinum, methodi tum historicæ tum philosophicæ usus invaluit, et quisque canonista triplici methodo pariter inhæret, vel principaliter uni aut alteri, pro scopo quem sibi proposuit.

22. — II. Verum sedulo cavendum ab excessibus et abusibus, in una alterave methodo adhibenda. Sic methodo historica haud recte utuntur, qui jus certa epocha efformatum cujuslibet temporis exemplar ac prototypum esse opinantur, atque volunt jus Ecclesiæ semper et ubique ad normam istius ævi reducere. Tales fuerunt Protestantes et Jansenistæ, supra modum extollentes primitivam Ecclesiam, ejusque sanctissimam disciplinam.

Methodo philosophica abutuntur qui non ex genuinis fontibus, sed ex proprio ingenio ideam Ecclesiæ arbitrariam sibi fingunt, et ex falsis principiis deducunt falsum juris canonici systema, v. g. auctores declarationis cleri gallicani (anno 1682). Cum Ecclesia a Christo suam constitutionem acceperit, nihil absurdius cogitari potest, quam si canonicæ tractationis exordium ab imaginaria Ecclesiæ idea desumatur, qualem sibi fingunt multi recentiores, ad favendum arbitrio et usurpationibus potestatis civilis. — Proinde humanæ rationis opera in eo sistere debet, ut veram Ecclesiæ naturam scrutetur et, generalibus principiis cum ea connexis primum propositis, in particulares deducat conclusiones, quæ totam doctrinam, veluti quodam germine in illis inclusam, per varios gradus evolvant (1).

III. — Discrimen inter jus canonicum et theologiam.

Jus ecclesiasticum a theologia discriminatur tum ratione temporis, tum ratione rerum.

1. — *Discrimen historicum utriusque scientiæ* (2).

In historia juris canonici, *tria tempora* distinguenda sunt.

23. — I. SS. Patres jus canonicum a theologia non discriminabant, neque theologiam dogmaticam a morali. Partes illæ in quas hodie scientia sacra dispescitur, uti passim propositæ sunt in Scripturis, quæ promiscue exhibent credenda, agenda et facta historica, ita sine stabili ordine et pro re nata exponebantur ab Ecclesiæ Patribus. Primorum enim sæculorum scriptores non sectabantur systematicam scientiæ formam, sed populi fidelis opportunam institutionem et sanctificationem spectabant. Enimvero, si præclara Patrum opera volvas, in scriptis eorum nunc

(1) Audisio, *du Droit public dans l'Eglise*, liv. I, tit. 1.
(2) Zallinger, *Institutionum canonicarum*, liber isagogicus, cap. I.

admiraberis theologos, nunc sapientissimos canonum doctores et præceptores morum. Iidem, qui fidei dogmata quodam tempore vindicabant, alio tempore doctrinam morum explicabant, et leges ecclesiasticas vel condebant vel interpretabantur, quemadmodum ipse S. Paulus fecerat in pluribus epistolis.

Contigit veritatum theologicarum evolutione, atque canonum diversitate quam incrementa Ecclesiarum poscebant, ut moles fidei expositionum, regularum moralium et canonum mirifice augeretur. Illud augmentum segregationem ac veluti divisionem bonorum antea communium peperit, et scientias sacras scindere in partes coegit; uni quidem attributæ sunt veritates dogmaticæ, aliis autem præcepta morum et canones (1).

Verum nulli fines adeo stabiles fuerunt designati, ut nunquam altera disciplina alterius dominium invaderet; adeo enim strictus est nexus præceptorum moralium cum fide, et sacrorum canonum cum fide et moribus, ut sæpissime ordo rerum cogat conjungere et intermiscere quæ pertinent ad theologiam dogmaticam aut moralem et ad jus canonicum.

24. — II. In medio ævo, vigente methodo scholastica, theologia et disciplina canonica seorsum traditæ fuerunt.

Hinc theologi a canonistis distincti sunt, et jus canonicum non amplius consideratum fuit ut pars theologiæ, sed veluti scientia peculiaris.

25. — III. A sæculo XVI, jus ecclesiasticum publicum etiam discernitur a jure privato. Postquam enim Protestantes ordinata methodo potestatem ecclesiasticam oppugnare cœperunt, et Regalistæ nefariis systematibus jura Ecclesiæ labefactare conati sunt, ad jus publicum Ecclesiæ stabiliendum conversi sunt animi. Aliunde, ob diminutionem beneficiorum et immunitatum ecclesiasticarum, brevius exponi cœperunt quæ spectant hæc capita juris privati.

Hodie alii canonistæ jus publicum, alii jus privatum, alii utrumque simul aggrediuntur. — In nostra Expositione, ultimam methodum scopo nostro aptiorem judicavimus, tum quia discrimen quæstionum juris publici a cæteris sæpe arduum est, tum quia utriusque juris materiæ ita sibi cohærent, ut systema ordinatum disciplinæ canonicæ impossibile evadat, nisi intermisceantur.

2. — *Discrimen logicum utriusque scientiæ* (2).

26. — I. Eadem doctrina sacra seu ecclesiastica multiplici sub respectu considerari potest, scilicet : vel quatenus tradit dogmata fidei; vel quatenus est regula morum; vel denique quatenus describit Ecclesiæ regimen. Propterea fidei, morum et legum tractatio tum ad dogmaticam et moralem theologiam, tum ad jus ecclesiasticum pertinet.

(1) Olim contigit quoad scientiam sacram quod novissime mirantur omnes factum quoad scientias naturales, quibus in immensum crescentibus, a litteris scientiæ proprie dictæ divisæ sunt, et seorsim a philosophia exponi cœpit physica, quæ iterum fuit divisa a chimia, zoologia, phytologia seu botanica, mineralogia, geologia, etc. Inde gradus academici artium duplicati sunt, pro litteris et scientiis seorsim conferendi; et pro scientiis iterum multiplicati sunt, nempe pro scientiis mathematicis et physicis, et pro historia naturali.

(2) Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, pars I, cap. I. — Cf. Inst. mor. Alph., n. 3

Verumtamen res aliter in theologia, aliter in jure canonico spectantur.

Primo quidem manifesta est distinctio juris canonici a *theologia dogmatica*. Hæc enim de veritatibus revelatis et ab Ecclesiæ propositis disserit, ut statuat regulam credendi; illud vero leges exponit, tanquam agendi regulam, per quam recta gubernatio Ecclesiæ firmatur. At theologia dogmatica innititur fidei canonibus, in quibus proponitur aliquid credendum; et vicissim multæ leges disciplinares a fidei regulis ita pendent, ut credendi regulam regula agendi constituat, maxime in sacra liturgia.

Ad mores quod attinet, quamvis jus canonicum et *theologia moralis* in exponendis agendi regulis conveniant, tamen inter utramque scientiam multiplex discrimen intercedit. Nam jus canonicum primario intendit vitæ socialis rectitudinem, legibus comparandam; theologia moralis vero spectat vitam privatam juxta regulas morum instituendam, et ideo versatur circa virtutes omnes ac vitia. Insuper ista præcipue spectat conscientiæ forum internum; illud autem maxime forum externum respicit.

27. — II. Præterea, discriminatio absolvitur ex eo quod *neutra theologia* omnes juris canonici partes amplectitur. Hujus rei ratio triplex est : 1° canones sunt determinationes loci, temporis et modi quo jus divinum societati observandum præscribitur; 2° jus canonicum divinis fidei et morum veritatibus addit leges mere disciplinares et pœnas quibus homines in officio continentur; 3° ad bonum spirituale promovendum, Ecclesia jus divinum imitatur plurimis institutionibus disciplinam spectantibus.

IV. — Utilitas et necessitas juris canonici.

Præstantia juris canonici consideranda est respectu Ecclesiæ in genere, et in specie respectu laicorum et clericorum.

28. — I. Quod attinet ad *Ecclesiam*, ipsi necessarium est jus canonicum. Jus enim ecclesiasticum objective spectatum est complexus legum quibus Ecclesia constituitur et regitur. Atqui nulla societas esse aut vigere potest sine constitutione qua in unum corpus socii coalescunt, vel sine legibus quibus ad finem conducuntur. Igitur Ecclesiæ necessarium est jus canonicum.

Equidem lex mosaica, pro modica gente Hebræorum et ad modicum tempus condita, potuit ab initio integra dictari et immobilis manere usque ad Christum; sub novo autem Testamento, propter Ecclesiæ universalitatem et perpetuitatem, eædem leges non poterant omnibus populis aut temporibus pariter convenire. Ideo Christus quædam principalia tantum constituit, v. g. materiam et formam sacramentorum, primatum romani Pontificis; quoad accidentalia vero, admisit varietatem et vicissitudinem legum pro locis et temporibus opportunam, atque in hunc finem contulit potestatem legislativam S. Pontifici et Episcopis.

Jamvero inde infertur scientiam canonicam requiri. Namque canones sunt agendi regulæ christianis propositæ et ab eisdem in usum perdu-

cendæ ; porro nequit in actum perduci regula ignorata. Proinde, cum jus ecclesiasticum sit norma ad quam Ecclesiæ corpus singulaque ejus membra componenda sunt, urget ineluctabilis obligatio cognoscendi tum leges fundamentales quibus Christus Ecclesiam constituit, tum leges disciplinares ab Ecclesia statutas ut societas christiana finem suum melius assequatur. Scientia juris auxiliante, leges conditæ innotescunt ; cognitæ, ab Ecclesiæ magistratibus urgentur et a subditis observantur ; violatæ, a judicibus vindicantur. Ubi hæc deficiunt, religio languescit. Ergo Ecclesiæ necessaria est scientia juris canonici (1).

29. — II. *A laicis* scientia canonum negligi nequit, sed illis necessaria est, diverso tamen gradu pro diversa eorum conditione.

1. Fideles quilibet nequeunt in unitate catholica efficaciter contineri, neque ad Ecclesiæ finem diriguntur, nisi mediante illius præceptorum cognitione et observatione. Attamen plurimis sufficit scientia imperfecta quæ est ex auditu ; nam populus inde facile accipit omnia necessaria ad obsequendum præceptis Ecclesiæ.

2. Leges canonicæ tam eximiæ et utiles sunt, ut studia ipsorum laicorum cultorum allicere debeant. Etenim mira legibus istis inest sapientia, quæ venerationem christianorum erga Ecclesiam conciliat ; et convenientia Canonum cum dogmatibus haberi debet velut catholicæ religionis apologia practica.

3. Magistratibus non licet jus ecclesiasticum ignorare, quia sedulo declinare debent a periculo etiam inscienter violandi Ecclesiæ libertates et jura, quorum cognitionem mentibus ingerit scientia canonica (2). Hoc periculum maxime imminet quoad causas matrimoniales, immunitates et bona temporalia Ecclesiæ.

30. — III. Imprimis vero *clericis* jus canonicum scitu necessarium est, ratione theologiæ, status clericalis, praxis sacerdotalis et muneris parochialis.

1. Theologi canonibus studeant necesse est, siquidem jus canonicum ab Ecclesia commendatur ut pars integralis scientiæ sacræ. Imo, cum theologia ita connectitur, ut qui, insalutata juris disciplina, theologus appellatur, dimidium theologiæ tantum mente possideat. Sicut enim theologia tota est in rebus fidei et morum illustrandis, ita jus ecclesiasticum versatur in eis custodiendis, propagandis et in actum perducendis ; quamobrem jurisprudentia canonica merito *theologia rectrix* seu *directiva* nuncupatur a Boetio.

2. Ratione ipsius status clericalis, summæ utilitatis est studium juris canonici ; nam legibus ecclesiasticis vita cleri regulatur, v. g. in tertio libro decretalium et in plerisque Conc. Trid. decretis *de Reformatione*.

3. Ratione praxis sacerdotalis, necessaria est canonum scientia ; ipsa enim suppeditat normas ad sacrum ministerium spectantes. Sic pro administrando pœnitentiæ sacramento egregie prodest, tum quia suis principiis aperit Ecclesiæ mentem circa regimen animarum, tum quia

(1) *Institutiones juris canonici*, auctore R. de M.
(2) Philips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, introduction, § 5.

permultas leges et resolutiones continet, quas sacerdos sine suo et pœnitentium detrimento ignorare non potest, v. g. circa reservationes, censuras, irregularitates, impedimenta matrimonii.

4. Ad munus parochiale rite gerendum, requiritur peritia juris. Id per se patet, ex eo quod officia parochialia non juxta cujusque placitum, sed juxta normas ab Ecclesia præscriptas peragenda sunt. Præterea, sacerdotibus curatis interdum occurrunt negotia cum magistratibus civilibus tractanda ; quapropter regulas canonicas et relationes utriusque potestatis perspectas habere debet parochus, ne aliena jura invadat, aut propria dimittat (1).

Rationibus adductis accedit auctoritas.— Prætermittimus laudes quibus juris ecclesiastici utilitatem et excellentiam celebrant canonistæ, dicentes Ecclesiæ canones proximum post Scripturæ thesauros locum habere, atque dignitate sua plurimas scientias superare.

Ad agnoscendam juris canonici præstantiam et necessitatem nos efficacius movet Ecclesiæ auctoritas, quæ studia canonica clericis non tantum commendavit, sed et imperavit : *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare*, ait S. Cœlestinus Pontifex. (Epist. 3, caput 1.) — *Sciant sacerdotes Scripturas et canones, ut ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* (Concilium Toletanum III.) Ideo multæ latæ sunt leges quibus clerici jubentur scientiam canonicam addiscere.

31. — Gravissimi momenti est jus canonicum ætate qua vivimus, præsertim in regionibus ubi instaurantur studia ecclesiastica. Igitur providentissime bono religionis consultum fuit, cum Pius IX, de optima clericorum institutione procuranda sollicitus, Galliarum Episcopis animos addidit, ut in seminariis majoribus cathedram juris canonici instituerent. Quamobrem concilia provincialia, mediante sæculo XIX° in Galliis habita, decreta ediderunt ad studium juris promovendum.

§ 4. — *Adminicula juris canonici.*

32. — Adminicula dicuntur scientiæ subsidiariæ quæ studio juris canonici inserviunt. Jamvero ejusmodi subsidia sunt : 1° scientiæ juridicæ, — et 2° scientiæ historicæ.

I. — Scientiæ juridicæ velut subsidia Juris canonici.

Hæ scientiæ complectuntur : 1. jus naturale ; — 2. jus divinum positivum ; — 3. jus civile.

1. — *De usu juris naturalis in jure canonico.*

33. — I. *Excessus vitandi.* — Duo errores in usu juris naturalis vitandi sunt. Alter eorum est qui argumenta juris naturalis ab ecclesiastica jurisprudentia ita removent, ac si utraque disciplina sibi esset adversa. Alter eorum est qui plus æquo rationi tribuunt, dum omnia indiscriminatim ex naturali jure definiunt. Tales sunt imprimis Protestantes, qui in

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, præfatio.

jurisprudentia canonica primum locum juri naturali tribuerunt, eo sane consilio ut sacrum Ecclesiæ regimen et hierarchiam destruerent (1).

34. — II. — *Regulæ servandæ* ad excessus declinandos.

Regula 1ª. — *Cum Ecclesia sit societas libera Christi voluntate instituta, manifestum est ab eo esse repetendam ejusdem constitutionem.* — Deus quippe debuit aliquem ordinem in Ecclesia instituere, cum sit sapiens conditor. Qualem autem regiminis formam revera instituerit, ex liberæ voluntatis Dei manifestatione definiendum est, nempe ex Scriptura et Traditione divina. Poinde ex solo jure naturali colligi nequit divina Ecclesiæ constitutio.

Regula 2ª. — *Positis natura hierarchiæ et fine in quem ordinata est, certe possumus media quibus finem consequitur ex ratione colligere.* — Ejusmodi regula deducitur ex necessaria proportione mediorum ad finem; nam Christus, dum finem voluit, contulit media fini obtinendo idonea. Hinc, v. g., cum certum sit Primatum a Christo institutum esse unitatis servandæ causa, merito infertur Summo Pontifici divinitus traditam fuisse omnem potestatem quæ ad unitatem efficaciter servandam necessaria est.

Regula 3ª. — *In omnibus quæ ad præcepta morum et justitiam naturalem pertinent, si positivæ Dei leges deficiant, jura et officia definiuntur canonibus, quatenus Ecclesia legem naturalem infallibiliter interpretatur.*

Regula 4ª. — *Jus naturale maxime valet ad legum æquitatem demonstrandam; etenim multi canones sunt juris naturalis applicationes.*

2. — *De usu juris divini positivi in jure canonico* (2).

35. — Jus divinum positivum, a jure naturali distinctum quatenus revelatione fertur et homines dirigit ad finem supernaturalem, præstat usum frequentem in jurisprudentia canonica, siquidem Ecclesia legibus positivis Dei velut fundamento nititur. Igitur jus divinum positivum præ oculis habendum est in explicandis Ecclesiæ canonibus, et Theologia, in qua exponitur, necessario recensetur inter adminicula Juris canonici.

Jamvero, ut supra dictum est, distinguitur jus divinum positivum in *Legem novam* et *Vetus Testamentum*.

A. De usu Legis Novæ.

Lex Nova constat iis omnibus quæ Christus præcepit; in *Traditione* et in *Scripturis Novi Testamenti* continetur.

36. — I. *Traditionis* nomine intelligitur doctrina seu institutio, quæ a primis auctoribus verbo, non scripto, in Ecclesiam inducta fuit. Non tantum in Theologia, sed et in Jure magnum est illius momentum, quia jam a fundatione Ecclesiæ plurimæ leges verbis traditæ sunt.

Sed alia est auctoritas traditionis divinæ, quæ Christum ipsum habet auctorem: et alia traditionis apostolicæ et ecclesiasticæ, quæ ab apostolis

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars. I, cap. II.
(2) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, cap. II.

vel ab eorum successoribus originem ducit. Traditiones divinæ sunt immutabiles ; traditiones vero apostolicæ et ecclesiasticæ ad jus humanum pertinent. Quomodo ab invicem secernantur definit tractatus *de locis theologicis*.

37. — II. *Novum Testamentum* est juris ecclesiastici fons præcipuus ; etenim ex ipso luculenter sumuntur omnia quæ ad jus publicum Ecclesiæ potissimum spectant. Sane ex libris N. Testamenti divina Ecclesiæ constitutio determinatur, sive respectu gradus quem Ecclesia præ cæteris societatibus obtinet, sive respectu potestatis et virium quibus prædita est, sive respectu personarum in quibus potestas residet.

Præterea, omnes leges ecclesiasticæ plus minusve directe applicant regulas generales a Deo in Scripturis traditas. Unde ait Innocentius III : *Ex auctoritatibus V. et N. Testamenti processerunt canonicæ sanctiones.*

Attendendum tamen est in Evangeliis nonnisi doctrinam et præcepta immutabilia Christi inveniri, dum in cæteris libris inter dicta et præcepta apostolorum quædam sunt divina, utpote Deo mandante prolata, quædam vero humana et mutationi obnoxia.

B. De usu Veteris Testamenti.

38. — Ne videamur aut judaizare, aut jus divinum spernere, distinguenda sunt tria genera præceptorum quibus constat Lex Vetus, nempe moralia, cæremonialia et judicialia.

I. Leges *morales* V. Testamendi habendæ sunt, in jure canonico, tanquam authentica interpretatio juris naturalis ; respiciunt enim Hebræos qua homines, et consequenter ligant omnes homines absque ulla exceptione.

II. Ex jure *cæremoniali* et *judiciali* Judæorum non licet argumenta desumere, velut ex jure divino adhuc vigente ; nam hoc jus, quo religio et status politicus apud Hebræos regebantur, expleta Redemptione, vim suam amisit. Sicut enim Synagoga seu societas religiosa Judæorum de medio tollenda erat, quatenus fuit mera figura Ecclesiæ, ita et ejus cultus ac politia, quæ præ se ferebant indolem imperfectam et transitoriam societatis ad quam ordinabantur.

III. Istius juris cæremonialis et judicialis quædam pars dicitur mortifera, alia canonizata, alia demum mortua — Pars *mortifera* complectitur ea quæ cum fide christiana conciliari nequeunt, quorum ideo nulla est auctoritas in jure canonico, v. g. ritus sacrificiorum. — Pars *canonizata* constat plurimis ritibus et præceptis ab Ecclesia libere translatis in jus canonicum, quæ valent tanquam leges Ecclesiasticæ, v. g. unctiones in ordinatione presbyterorum, consecratio ecclesiarum, thurificatio. — Pars *mortua*, quam Ecclesia neque reprobavit, neque adoptavit, præstat argumenta quibus multa disciplinæ capita confirmantur, ratione analogiæ utriusque Testamenti (1).

(1) S. Thomæ *Summa*, pars II, sect. I, quæst. 99.

3. — *De usu juris civilis in jure canonico* (1).

39. — I. *Utilitas juris civilis.* — Cum utraque potestas, ecclesiastica scilicet et civilis, a Deo ordinata sit ad regendos concorditer subditos, inde infertur analogiam et consortium existere inter jurisprudentiam canonicam et civilem.

1. Scientia juris civilis plurimum confert, tum ad ingenium juridice excolendum, tum ad canones melius intelligendos, tum ad leges recte applicandas.

2. Imprimis habenda est ratio Juris Romani, eo quod Ecclesia per imperium Romanum diffusa primum fuerit et proinde jus canonicum et civile mutuo influxu sese penetrarint. Hinc jus romanum, ab imperatoribus christianis editum, jurisprudentiam canonicam imitatur eique supplet; et Summi Pontifices illud in subsidium vocant, ubi sacri canones nihil statuerunt (2).

40. — II. *Regulæ in usu juris civilis observandæ.* — Non in omnibus causis ecclesiasticis jure civili utendum est. Ut præsto sit criterium in hoc adhibendum, præmonere oportet ex legibus civilibus aliquas a canonibus *probatas* fuisse, alias vero *correctas*, cæteras silentio *prætermissas* (3).

1. In jure canonico allegantur leges romanæ quas Ecclesia recepit et fecit suas.

2. Abstinendum est ab usu legum civilium quas Ecclesia improbavit. Jam vero ejusmodi sunt leges quæ Ecclesiæ præjudicium faciunt, vel decernunt aliquid in materia mere spirituali, vel bonis moribus adversantur (4), v. g. in Gallia, plurimi ex articulis organicis, declaratio cleri gallicani, pragmaticæ sanctiones.

3. Leges civiles quas Ecclesia neque recepit neque improbavit, tacite approbatæ videntur, si rem spectent mere profanam, nec ulla ex parte canonibus adversentur (5).

II. — Scientiæ historicæ velut subsidia juris canonici.

In primis juvant : 1. Historia ecclesiastica ; — 2. Critica.

1. — *Utilitas historiæ ecclesiasticæ in jure canonico.*

41. — I. Ad scientiam juris ecclesiastici acquirendam, interest priorum sæculorum mores et instituta perspecta habere, siquidem inde multi canones derivantur. Atqui earum rerum notitiam nobis comparat historia, quæ institutionum ecclesiasticarum *origines* aperit, progressumque juris testatur.

II. Ad leges intelligendas, non sufficit earum verba tenere, sed necesse est legislatoris mentem seu *spiritum legis* exploratum habere. Atqui spiritus legum seu voluntas legislatoris cognoscitur ex rationibus ipsum ad

(1) Soglia *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, cap. II. — (2) Epistola S. Gregorii Magni ad Joannem Defensorem. — (3) S. Alph., *Theol. mor.*, lib. I, n. 106, q. 3. — (4) Schmalzgrueber, *Dissert. proœmialis.* — (5) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. IX, cap. XIV.

legem ferendam moventibus. Hæc autem omnia plerumque ex historia et temporum circumstantiis desumuntur; nam eventus, instar causæ vel occasionis, induxerunt Concilia et SS. Pontifices ad leges statuendas. Quamobrem plurimæ decisiones quæ in Corpore juris exstant, sine cognitione historiæ explicari nequeunt (1).

III. Leges disciplinares mutari possunt. Jamvero nonnisi lumine historiæ varias *disciplinæ mutationes* perspicimus.

Igitur scientiæ subsidiariæ quibus adjuvatur historia, pariter Juri canonico inserviunt; istæ hodie celebrantur sub nomine epigraphiæ, archeologiæ, numismaticæ, etc.

2. — *Criticæ necessitas et officia* (2).

42. — 1. Historiæ consocianda est *critica*, quæ latissime patet, quatenus est ars judicandi de operibus ingenii et manuum hominum. — Prout hic sumitur, definiri potest : *Ars judicandi de auctoribus, libris et factis historicis.*

Olim nomen criticæ suspectum fuit, sed immerito. Etenim 1. critica in eo est, ut authentica a spuriis, integra a corruptis, digna fide ab indignis discernat. — Unde 2. non tantum innoxia est, sed necessaria prædicari debet, nempe ut constet de fontibus Juris canonici.

Verum critica debet esse genuina et expers studii partium, tutis inniti regulis, easque summa circumspectione adhibere.

43. — II. Tria sunt officia criticæ in Jure canonico :

1. Codicum et monumentorum auctoritatem inquirit, ex indiciis sive intrinsecis sive extrinsecis perpendendo inscriptionem auctoris, librorum integritatem, genuinam interpretationem, etc.

2. Regulas suppeditat de fide adhibenda narrationi auctorum.

3. Ad canones recto usu historiæ illustrandos, inter jura et facta tolerata vel etiam reprobata distinguit, disciplinam antiquam cum debito moderamine applicat (3).

§ 5. — *Partitio Institutionum canonicarum.*

44. — I. Partitio juris canonici aptari debet divisioni cæterarum scientiarum; proinde, ad studia canonica recte instituenda, præmittitur ordinatio cujuslibet scientiæ.

Jamvero in omni scientia *ex principiis proceditur in objectum* (4). Unde Institutiones definiuntur : tractatio scientifica de principiis et objecto cujusdam scientiæ (5).

Igitur quælibet scientia recte dividitur in duplicem partem : 1. *pars generalis* exponit principia quorum ope objectum innotescit; — 2. *pars specialis* aggreditur singulas veritates quæ objectum istius scientiæ constituunt.

(1) Zallinger, *Institutionum juris ecclesiastici*, liber isagogicus, cap. VII. — (2) Mabillon, *de Studiis monasticis*. — Honorati a Sancta Maria *Animadversiones in regulas et usum criticæ*. — (3) Zallinger, *Institutionum juris ecclesiastici*, liber isagogicus, cap. XII. — (4) Liberatore, *Institutiones philosophicæ*, Logicæ, pars. II, cap. VI. — (5) Dobmayer, *Systema theologiæ catholicæ*, pars I.

Res illustratur exemplo Philosophiæ et Theologiæ. Philosophiæ pars prior, nempe Logica, mentem nostram dirigit ad objectum hujus scientiæ attingendum. Istud vero speciale objectum constat veritatibus quas Metaphysica et Moralis contemplantur.

Theologia dogmatica generalis complectitur, velut fundamenta : Demonstrationem christianam de vera Religione, demonstrationem catholicam de vera Christi Ecclesia, et tractatum de locis theologicis ; — Dogmatica specialis singula dogmata per ordinem vindicat.

Pariter Theologia moralis generalis exhibet principia generalia morum ; — Moralis vero specialis expendit singulas veritates practicas seu regulas divinas morum.

45. — II. Juxta hanc normam statuenda est partitio juris canonici, Sicut omnis scientia, ex suis principiis, in *parte generali* propositis, procedit in suum objectum, quod in *parte speciali* luce principiorum investigatur, ita jus canonicum in duplicem partem dividitur. *Pars generalis* præmittit principia de legibus ecclesiasticis, vi quorum innotescit objectum scientiæ canonicæ ; *pars specialis*, in qua objectum juris canonici attingitur, juxta canones determinat jura et officia Ecclesiæ velut societatis.

Istam distributionem prænuntiat bipartita definitio scientiæ canonicæ. Nimirum definitionis pars prior (*scientia legum ecclesiasticarum studiosa*) evolvitur in parte generali Institutionum, cui titulus est : *Principia scientiæ canonicæ*. — Pars altera definitionis (*statum socialem Ecclesiæ describens*) explananda est in Institutionum parte speciali, quæ inscribitur : *De statu Ecclesiæ juxta canones*.

Manifesta est ratio propter quam studia canonica hoc ordine perficiuntur. Præmissis principiis cultores juris canonici diriguntur, antequam Ecclesiæ statum juridice describendum suscipiant.

Itaque :

1° PARS GENERALIS complectitur *Principia scientiæ canonicæ* ;
2° PARS SPECIALIS describit *Statum Ecclesiæ juxta canones*.

PARS GENERALIS

COMPLECTENS

PRINCIPIA SCIENTIÆ CANONICÆ

46. — Ex Institutionum definitione et partitione jam infertur *partem generalem* disserere de legum ecclesiasticarum principiis. Hoc autem sub vario respectu fieri debet, pro varia acceptione Juris canonici. Jus autem canonicum tribus modis potissimum accipitur : 1. *Objective*, pro ipsis canonibus ; nam nomine canonis proprie intelligitur lex Ecclesiæ Christi imposita per voluntatem legislatoris. — 2 *Metaphorice*, tanquam continens pro contento ; nam nomine juris canonici intelliguntur etiam codices seu collectiones ex quibus canonum textus desumitur. — 3. *Denominative*, pro scientia juris ; nam scientia canonum studiosa et interpres, quatenus retinet nomen sui objecti, pariter jus canonicum denominatur (1). — Jamvero legum ecclesiasticarum principia sub triplici respectu proposito consideranda sunt.

Non obstante ista divisione, unitas scientiæ servatur ; etenim principia juris canonici, quæ *pars generalis* tradit, in hanc unicam propositionem resolvuntur : *Lex ecclesiastica*, seu voluntas legislatoris, in *collectionibus* continetur, et ab *interpretibus* juxta genuinum sensum explanatur.

Propterea Pars generalis Institutionum in tres libros distribuitur :
Liber I. De idea legum ecclesiasticarum.
Liber II. De collectionibus earum.
Liber III. De illarum expositione.

(1) Maschat, *Prolegomena juris canonici*, § 1.

LIBER PRIMUS

DE IDEA LEGUM ECCLESIASTICARUM

47. — Conceptus legum ecclesiasticarum triplici consideratione perficitur; nimirum operæ pretium est considerare : 1. causam efficientem legum seu legislatorem; — 2. conditiones ad legis naturam pertinentes; — 3. varias legum ecclesiasticarum species.

Quapropter hunc librum dispertimur in tres titulos. Inscribitur

TITULUS I. De legislatoribus in Ecclesia;
TITULUS II. De conditionibus ad naturam legis ecclesiasticæ pertinentibus;
TITULUS III. De variis speciebus legum ecclesiasticarum.

TITULUS I

De Legislatoribus in Ecclesia.

48. — Auctoritas divina et ecclesiastica est primum ac generale principium juris canonici (1).

Primarius auctor legum in Ecclesia est Deus, non tantum eo quod lex æterna est origo cujuslibet juris, sed præsertim quia Christus primordialia Ecclesiæ jura condidit, ipse eam constituendo, illique potestatem immediate conferendo.

Causa efficiens legum ecclesiasticarum proprie dictarum est potestas a Christo Ecclesiæ collata.

Disserendum est tum de existentia hujus potestatis, tum de personis in quibus illa residet; et hinc determinanda erit forma regiminis Ecclesiæ. Unde tria capita : I. Existentia legiferæ potestatis in Ecclesia; — II. Varii legislatores; — III. Conclusio de forma regiminis Ecclesiæ.

CAPUT I

EXISTENTIA LEGIFERÆ POTESTATIS IN ECCLESIA

49. — *Potestas legifera* est jus proponendi, obligatorio modo, media idonea ad societatis finem assequendum (2).

Societas vero est multitudo hominum ea ratione conjunctorum, ut collatis viribus media idonea adhibeant ad certum communemque finem obtinendum. *Perfecta societas* dicitur ea quæ est in se completa, ideoque

(1) Zallinger, *Institutionum*, liber isagogicus, cap. III. — (2) Brabandere, Pars 1ª, n. 3-4.

in semetipsa habet media ad proprii finis assecutionem sufficientia ; *imperfecta* vero est ea quæ non habet in se omnia media ad finem suum consequendum necessaria, sed in his pendet a societate perfecta cujus est pars.

His præmissis, ad probandam existentiam legiferæ potestatis in Ecclesia, duo sufficiunt : 1° ut omni societati perfectæ competat legifera potestas ; — 2° ut Ecclesia Christi sit societas perfecta. Atqui hæc duo constant.

50. — Prima assertio : *Omni societati perfectæ competit legifera potestas* (1).

Prob. Competit societati perfectæ jus exigendi a suis membris quidquid necessarium est ad finem consequendum, siquidem singulis sociis inest officium conferendi vires suas ad ea præstanda quæ ad finem societatis assequendum necessaria sunt. Atqui ad finem consequendum, pro humani intellectus diversitate et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum æstu, in qualibet societate necessarium est jus proponendi media idonea, et omnes ad eadem adhibenda obligandi ; qua in re legifera potestas consistit. Ergo potestas legifera societati perfectæ competit.

51. — Secunda assertio : *Ecclesia Christi est societas perfecta, tum ex natura sua, tum ex voluntate divini ejus Fundatoris* (2).

Prob. 1ª pars : *ex natura Ecclesiæ*. Natura societatum ex earum fine determinatur. Proinde societas quæ suo fine suprema est, nec ad aliam societatem ordinatur, ex natura sua perfecta est, et donatur omnibus mediis ad finem consequendum necessariis. Atqui Ecclesia est societas suprema, neque ad aliam ordinatur, cum ejus finis sit adeptio vitæ æternæ.

Prob. 2ª pars : *ex voluntate Christi*. Duplici via proceditur : 1° demonstratur a priori absurditas propositionis contradictoriæ ; — 2° afferuntur tanquam argumentum a posteriori positiva testimonia ejusdem divinæ voluntatis.

1. *Argumentum a priori.* — Absurdum est asserere divinum Ecclesiæ Fundatorem noluisse eamdem constituere in societatem perfectam ; debuit enim Ecclesiæ suæ sufficienter providere. Atqui sufficienter Ecclesiæ non providisset, si eamdem non constituisset in societatem perfectam, id est, nisi ipsi dedisset potestatem quæ omnia media necessaria ad finem suum consequendum complecteretur; namque, si media ad finem Ecclesiæ consequendum penderent ab alia societate, nempe a societate civili, nefaria sequerentur consectaria : 1° recta Ecclesiæ administratio fere precaria esset; — 2° ejusdem unitas pro varietate consiliorum apud diversas societates civiles in perpetuo discrimine versaretur ; — 3° in infidelium regionibus, Ecclesia suis hostibus fuisset tradita. Ergo Christus debuit Ecclesiam suam constituere in societatem perfectam.

2. *Argumentum a posteriori.* — Christum Ecclesiam suam constituisse in societatem perfectam, constat ex positivis testimoniis, nempe ex Scripturis et Traditione, ex definitionibus et praxi Ecclesiæ. Quæ testimonia theologis alleganda relinquimus, in tractatu *de vera Ecclesia*. Hic sufficiat referre propositionem in *Syllabo* Pii IX damnatam (n. 19) : « Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et

(1) Tarquini, *Juris ecclesiastici publici institutiones*, lib. I, cap. I, sect. 1. — (2) Ibid., sect 2.

constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire quænam sint Ecclesiæ jura et limites intra quos eadem jura exercere queat. »

52. — Ex utraque assertione adstruitur legiferæ potestatis ecclesiasticæ existentia, cujus integra probatio sequenti syllogismo concluditur :

Omni societati perfectæ competit legifera potestas.

Atqui Ecclesia Christi est societas perfecta.

Ergo Ecclesiæ inest potestas leges ferendi.

CAPUT II

VARII LEGISLATORES

Legislatores sunt alii a Christo instituti; alii instituti ab Ecclesia. De utroque ordine dicemus.

ARTICULUS I

LEGISLATORES A CHRISTO INSTITUTI

Instructi sunt vel potestate suprema, vel potestate subordinata.

§ 1. — *Potestas suprema.*

Definiendum venit 1. in quo subjecto resideat suprema potestas; — 2. quis sit nexus inter Primatum et Episcopatum.

I. — Subjectum in quo residet potestas suprema (1).

53. — I. *Error vitandus.* Hæreticum est dicere *claves datas esse toti Ecclesiæ, non uni*, tum quia Summus Pontifex, Petri successor, est caput Ecclesiæ; tum quia SS. Patres docent « Bono unitatis, beatum Petrum claves regni cœlorum communicandas cæteris solum accepisse (2); » tum quia damnata est propositio Richerii asserens « Christum fundando Ecclesiam prius et immediatius claves seu jurisdictionem toti dedisse Ecclesiæ, quam Petro. »

Equidem nonnulli scriptores catholici, non subjectum proximum, sed finem potissimæ considerantes, docuerunt claves a Christo traditas fuisse Ecclesiæ. Sed sententia eorum a Richerii errore omnino discrepat; etenim Richerius Ecclesiæ nomine totam multitudinem fidelium intelligit, illi vero S. Pontificem et Episcopos tantum : « Potestas clavium data est Ecclesiæ, hoc est Pontifici et Episcopis, ait Soglia, et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri successorem (3). »

54. — II. *Institutio supremi capitis in Ecclesia.* Petrus, Apostolorum

(1) Audisio, *Droit public de l'Eglise*, tom. I, tit. 6; tom. II, tit. 5. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. V. — Litta, *Lettres sur les quatre articles du clergé de France.* — (2) S. Optatus, lib. VII. — (3) Soglia *Institutiones juris publici ecclesiastici.* pars II, lib. II, cap. I.

princeps constitutus, ab ipso Christo accepit jurisdictionem *supremam, universalem* ac *immediatam*. — Jamvero hæc potestas ad successores Petri transmissa est.

Huc pertinent Christi verba quibus universo gregi pastor præficitur (1), ædificii fundamentum ponitur, et instituitur caput visibile cui tradita est suprema potestas ligandi (2). — Item hic canon Concilii Vaticani (Sess. IV, cap. 1) : « Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo « Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius « Ecclesiæ militantis visibile caput ; vel eumdem honoris tantum, non « autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino « nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse ; anathema sit. »

55. — III. *Corpus episcopale.* Licet Petrus primatum obtinuerit, non tamen solus potestate præditus est ; nam etiam Apostolos Petro conjunctos Christus potestate instruxit, ea tamen conditione ut auctoritati Capitis in usu suæ potestatis essent subjecti. In Apostolorum vero locum successit corpus Episcoporum.

Huc referuntur Christi verba quibus Apostolos universim et conjunctim cum Petro alloquitur : *Quæcumque alligaveritis...* (3) ; *Ego mitto vos* (4) ; *Data est mihi omnis potestas... Euntes docete... Ego vobiscum sum...* (5).

Itaque Summus Pontifex non est unicum potestatis clavium subjectum, siquidem hæc potestas non uni tantum (Petro), sed et collegio apostolico divinitus data est.

Igitur subjectum potestatis ecclesiasticæ est collegium Apostolicum, cui succedit corpus episcopale. Apostolicum vero collegium necessario Petrum includit tanquam caput Ecclesiæ et centrum unitatis.

II. — Nexus inter Primatum et Episcopatum (6).

Hic nexus oritur ex unitate, et firmatur perpetuitate tum Primatus, tum Episcopatus.

56. — I. *Unitas Episcopatus cum Primatu.* Quamvis potestas suprema, in Petro et Apostolis instituta, videatur in duplici subjecto residere, nempe *singulariter* in Vicario Christi,, et *collegialiter* in corpore Episcoporum S. Pontifici conjunctorum, Episcopatus tamen unus est, sive spectetur origo, sive spectetur exercitium potestatis pascendi per doctrinam et regendi per leges.

1. *Origo* hujus potestatis a Petro repetenda est, in quem Christus plenitudinem potestatis super universam Ecclesiam contulit, antequam in Apostolos quidquam derivaret. Postquam enim plenam potestatem antea effuderat in Petrum, non poterat quidquam in alios Apostolos conferre, nisi derivando ex plenitudine in Petrum collata. Propterea S. Cyprianus dicit : « In Petro Dominus unitatis originem instituit ; Episcopatus unus est » in radice et capite, nempe in Petro ejusque successoribus (7).

2. Equidem suprema potestas ecclesiastica *duplici modo exercetur*,

(1) Joan., XXI, 15. — (2) Matth., XVI, 19. — (3) Matth., XVIII, 18. — (4) Joan., XX, 21. — (5) Matth., XXVIII, 18. — (6) Ballerini, *De vi et ratione Primatus R. Pontificis*, cap. IX. — (7) S. Cyprianus, lib. *De unitate Ecclesiæ*. — Bellarminus, *De Romano Pontifice*, lib. II, cap. XVI.

nempe *ordinarie* singulariter a Romano Pontifice cui assentiunt Episcopi, et *extraordinarie* collegialiter a concilio generali cui accedit confirmatio Summi Pontificis. Attamen ejusmodi potestas unica est ; etenim Petrus, seu illius successor R. Pontifex, tanquam os et organum Ecclesiæ docentis et regentis haberi debet, tum quia Christus ipsi soli supremam potestatem primum contulit, tum quia Ecclesia regens non concipitur sine centro unitatis jam divinitus constituto. Igitur, sicut collegium apostolicum constat Apostolis cum Petro conjunctis, ita corpus episcopale complectitur Episcopos Romano Pontifici velut capiti adhærentes (1).

57. — II. *Perpetuitas Primatus et Episcopatus.* Christus, cum Petro et Apostolis contulit potestatem regendi Ecclesiam indefectibilem usque ad finem sæculorum, eo ipso in successoribus eorum instituit perpetuitatem Primatus et corporis episcopalis. Ergo quod dicitur de Petro et Apostolis, etiam de Romano Pontifice et Episcopis generatim dicendum est. — Hinc ista definitio Conc. Vatic. (Sess. IV, cap. II) : « Si quis ergo dixerit, non esse « ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus « in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores ; « aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu succes- « sorem ; anathema sit. »

1. *Perpetuitas primatus*, non secus ac ipsius institutio, a jure divino proficiscitur. Etenim, Primatus a Christo collatus fuit Petro, ut Ecclesiæ catholicæ unitas firmaretur. Atqui unitas constituit proprietatem essentialem Ecclesiæ Christi. Ergo primatus debuit in Ecclesia esse perpetuus, sicut Ecclesia ipsa perdurat usque ad consummationem sæculi. Hanc veritatem Theologi vindicant ex verbis Christi : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (2).

2. *Perpetuitas Episcopatus.* Ecclesia, cum sit indefectibilis, immutabilis est in sua constitutione divina. Atqui Episcopatus pertinet ad divinam constitutionem Ecclesiæ. Proinde deficere nequit corpus episcopale (3).

Itaque, juxta Traditionem, Summus Pontifex tanquam Petri successor, Episcopi vero tanquam successores Apostolorum agnoscuntur.

§ 2. — *Potestas subordinata.*

58. — Quo facilius recta hujus potestatis notio exponatur, consideranda est : 1. In singulis Apostolis ; — 2. In Apostolorum successoribus, qui sunt Episcopi diœcesani.

I. — Singuli Apostoli.

Duo sunt attendenda, videlicet, ipsius Apostolatus origo divina, et potestatis singulorum Apostolorum subordinatio.

59. — I. *Apostolatus origo divina.* Christus non tantum instituit colle-

(1) Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. V. — (2) Matth., XVI, 19. — Perrone, *De Ecclesia*, sect. II, cap. I. — (3) Gregorius XVI, *Triomphe du Saint-Siège et de l'Eglise. Discours préliminaire.*

gium apostolicum ; sed etiam singulos Apostolos ipse misit, eosque aliqua potestate instruxit, dicens : *Euntes docete...* (1). Hinc ista B. Pauli verba : *Pro Christo legatione fungimur* (2) ; *Paulus apostolus per Jesum Christum* (3).

60. — II. *Subordinatio istius potestatis.* Unitas a Christo constituta poscebat ut Apostoli Petrum tanquam caput Ecclesiæ agnoscerent. Hinc potestas singulis concessa subordinata erat jurisdictioni supremi Pastoris ; « Poterat (Petrus) eos obligare et ipsorum leges abrogare (4), » ait S. Alphonsus de Ligorio.

1. Ejusmodi dependentia, quæ ab institutione Primatus proveniebat, ab Apostolis observata fuit ; in hunc finem illis attribuitur *duplex* prærogativa *personalis*, nempe infallibilitas in fide et indefectibilitas in caritate seu confirmatio in gratia. His prærogativis donati, quidquid agebant, illud agebant cum assensu auctoritatis supremæ ; quæ agendi ratio fuit ipsorum successoribus norma.

2. Duobus præcipue modis Apostoli primatum Petri colere debebant : — *Primus* modus erat communio cum capite retinenda. Quæ communionis necessitas dupliciter spectari poterat, nempe ratione Apostolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro conservandam tenebantur ; et ratione Ecclesiarum, quas ipsi instituebant, ea lege ut Petrum tanquam Ecclesiæ caput respicerent, ejusque regimini subjicerentur.

Secundus modus colendi Primatum is erat, ut causas majores, vel ad universalem Ecclesiæ disciplinam pertinentes, Apostoli ad Petrum tanquam ad collegii apostolici et Ecclesiæ caput, discutiendas referrent (5).

II. — Episcopi diœcesani

61. — I. *Episcopi succedunt in locum Apostolorum.* — Declarat Tridentina Synodus « Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse (6). » Explicanda sunt hæc verba Concilii Tridentini.

1. Petro personaliter succedit solus Romanus Pontifex : « Definimus ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium (7). »

2. Corpus episcopale Collegio apostolico succedit, siquidem Episcopi simul cum Summo Pontifice Ecclesiam regentem efficiunt ; sed Episcopi locum Apostolorum tenent in genere, non vero singuli singulis succedunt in integram Apostolatus potestatem.

3. Singuli Episcopi non sunt præditi personalibus prærogativis Apostolorum, v. g. donis miraculorum, confirmationis in gratia et infallibilitatis, quibus vel missionem suam comprobabant, vel in unitate retinebantur. Neque donum miraculorum, neque infallibilitas ad singulos Apostolorum

(1) Matth., XXVIII. — (2) Ep. II ad Corinth., V, 20. — (3) Ep. ad Gal., I. 1. — (4) S. Alph., lib. I, 104. *Verum...* — (5) Soglia, *Institutiones juris publici*, pars II, lib. I, cap. 1. — (6) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. IV. — (7) Concilium Florentinum, in Decreto Unionis (1439).

successores pervenire debuit; tum quia, divina Ecclesiæ institutione semel comprobata, donum miraculorum non amplius fuit necessarium; tum quia unitati conservandæ consultum fuit per subordinationem potestatis singulorum Episcoporum capiti infallibili Ecclesiæ, a quo potest augeri, restringi et auferri.

4. Singulorum Apostolorum potestas alia fuit extraordinaria, alia ordinaria et ad Episcopos transmissa; id est, hæc potestas dividitur in Apostolatum et Episcopatum. — Ad *Apostolatum* pertinet potestas ubique fundandi Ecclesias et Episcopos instituendi. Ejusmodi potestas, ordinaria in Petro cui succedit Summus Pontifex, fuit mere personalis et extraordinaria in cæteris Apostolis, qui sub isto respectu singulatim successores non habuerunt. Quamobrem hæc potestas, fundatis ordinatisque Ecclesiis, tanquam completo opere propter quod concessa fuerat, cum Apostolis cessavit. — Auctoritas *Episcopatus* totam ordinis potestatem complectebatur, et simul facultatem regendi particulares Ecclesias. In hanc potestatem Episcopi succedunt.

Igitur, ut episcopalis potestatis genuina origo ac ratio innotescat, sedulo distinguenda sunt Apostolorum jura extraordinaria et ordinaria (1).

62. — II. *Divisio diœceseon.* —Cum singuli Episcopi Apostolis succedant, quatenus ad ecclesias particulares regendas destinantur; cumque munus episcopale non habeat jure divino certam determinationem neque in territorio, neque in jurisdictionis actibus, plura inferuntur:

1. Christus Apostolos mittens ad nuntiandum Evangelium in universum orbem, inter eos civitates non distribuit. Sed ipsi deinceps, aucto fidelium numero, illam instituerunt divisionem quam existimarunt necessariam esse ut recta regiminis ratio constaret; certique sunt constituti fines, intra quos unusquisque Episcopus jurisdictionem exerceat. Jamvero *diœcesis* vocatur territorium unicuique Episcopo assignatum.

2. Episcopi diœcesani non exercent plenitudinem potestatis; alioquin tot essent independentes Ecclesiæ, quot Episcopatus. Propter unitatem omnes obnoxii sunt superiori auctoritati SS. Pontificum, eorumque potestas intra quosdam limites continetur.

3. Una et catholica Ecclesia constat diœcesibus veluti Ecclesiis particularibus. Diœceses enim dicuntur *ecclesiæ* et societatibus perfectis æquiparantur, quia regimen earum imitatur gubernationem Ecclesiæ universalis; vocantur vero *ecclesiæ particulares*, quia pendent ab Ecclesia Romana, cujus sunt filiæ et imagines.

Itaque Episcopus regit suam peculiarem ecclesiam, quæ totius Ecclesiæ pars est; et omnes Episcopi curare debent ut particulares ecclesiæ, quas singuli regunt, centro communi adhærcant et uni capiti subjiciantur; nam *Ecclesiæ unitas* efficitur et conservatur, dum omnia membra unum caput agnoscunt, et unum habent centrum in quo conjunguntur (2).

(1) Phillips, *du Droit ecclésiastique*, liv. I, chap. IV. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, liv. I, tit. 14. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. IV. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. 3.

ARTICULUS II

LEGISLATORES AB ECCLESIA INSTITUTI

63. — Præter potestatem supremam, vi cujus leges generales statuuntur a Romano Pontifice, vel a conciliis œcumenicis; præter etiam singulos Episcopos, qui jure divino ad hierarchiam pertinent et ecclesiis particularibus præficiuntur, alii sunt legislatores instituti ab Ecclesia, videlicet :

1. Concilia particularia; — Personæ jurisdictionem obtinentes.

§ 1.— *Concilia particularia velut legislatores* (1).

Distinguuntur : 1. Concilia plurium Episcoporum; — 2. Concilium unius Episcopi cum proprio clero, seu Synodus diœcesana.

I. — De Conciliis plurium Episcoporum.

64. — I. *Duplex species* conciliorum ejusmodi distinguitur, tum ratione præsidis ipsorum, tum ratione Episcoporum quibus constant, et ecclesiarum pro quibus conditur jus conciliare. Aliud est concilium *nationale* seu *plenarium* ex Episcopis unius nationis aut saltem plurium provinciarum constans, præside patriarcha, primate aut delegato S. Sedis; et aliud concilium *provinciale*, quod constat ex Episcopis unius provinciæ, sub præside metropolita.

65. — *Legislatores* in his conciliis sunt, non tantum Patriarchæ, Primates et Metropolitæ, qui eis præsident, verum etiam *omnes Episcopi* quibus constant concilia. Ratio est, tum quia singuli Episcopi sunt legislatores in singulis diœcesibus quibus constant provinciæ ecclesiasticæ, tum quia præeminentia Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum, prout ab Ecclesia instituta fuit, juribus Episcoporum nihil detrahit,

II. — De synodo diœcesana.

66. — I. Gubernatio diœcesis imitatur regimen universalis Ecclesiæ; et sicut jus commune a Romano Pontifice vel a concilio generali fertur, ita jus diœcesanum ab Episcopo vel a synodo statuitur.

II. Discrimen consistit in eo quod Episcopus solus potestatem legiferam in synodo exercet, dum Episcopi, cum Summo Pontifice regentem Ecclesiam constituentes, sunt vere judices in conciliis generalibus. — Hujus discriminis ratio est quia presbyteri sunt tantum adjutores Episcopi.

§ 2. — *Personæ jurisdictionem obtinentes* (2).

Distinguuntur : 1. Legati; — 2. Plures prælati; — 3. Superiores regularium; — 4. Collegia ecclesiastica.

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, Dissert. proœmialis, § 7. — (2) Maschat, Pirhing, *Decretalium*, lib. II, tit. 2. *De constitutionibus.*

67. — I. *Legati.* Romano Pontifici competit jus mittendi Legatos, sive stabiles, sive ad tempus, qui vices ipsius absentis obeant. Præter cætera jura quibus ordinarie instructi sunt Legati, habere etiam possunt facultatem statuendi leges particulares, quæ provincias obligent. Talem habuit Cardinalis Caprara in Gallia (1802); eaque usus est ad festa supprimenda vel mutandam eorum solemnitatem, ad capitula constituenda, ad parochias supprimendas et restituendas, etc.

II. *Prælati* jurisdictionem quasi episcopalem adepti, v. g. Abbates, Vicarii Apostolici, Vicarius capitularis, potestate legislativa gaudent.

III. *Ordinum regularium Generales* cum Capitulo regulari possunt condere statuta perpetua quæ vim legis habeant. Etenim per constitutiones a Sancta Sede approbatas accipiunt potestatem subditos gubernandi etiam legibus ad finem instituti ordinatis.

IV. *Collegiis ecclesiasticis*, v. g. capitulis, universitatibus et facultatibus competit *autonomia*, vi cujus valent sibi aliqua statuta condere, sine præjudicio auctoritatis epicopalis cui subjacent.

CAPUT III

CONCLUSIO DE FORMA REGIMINIS ECCLESIÆ (1)

68. — Ex distinctione variorum legislatorum jam proposita facile intelligitur qualis sit forma regiminis Ecclesiæ; nam hæc forma specificatur ex subjecto in quo potestas suprema residet.

Formæ regiminis societatum perfectarum sunt monarchia, aristocratia, democratia, regimen mixtum. *Monarchia* dicitur summum imperium quod apud unum est; — *Aristocratia* designat summum imperium in optimatibus vigens; — *Democratiam* vocant summum imperium quod ab universo populo possidetur, et ejus nomine exercetur; — *Regimen mixtum* illud est quod ex multiplici forma *temperatur*, et diversa sortitur nomina pro diverso temperamento.

I. *Rejiciuntur falsa systemata.* — 1° Regimen Ecclesiæ non est democraticum. Hic fuit error non tantum Protestantium, sed etiam Richerii et Jansenistarum, qui docuerunt potestatem ecclesiasticam christiano populo traditam esse. Confutatur ex eo quod datur jure divino discrimen inter clerum et populum, inter Ecclesiam regentem et Ecclesiam audientem. Profecto hierarchia divinitus instituta, tum ordinis, tum jurisdictionis, abhorret ab idea democratiæ.

2° Neque regimen Ecclesiæ mere aristocraticum est; huic enim formæ repugnat Primatus jurisdictionis R. Pontificis. Igitur qui meram aristocratiam inducunt in Ecclesiam catholicam, dogma Primatus eo ipso rejiciunt.

3° Si stricte loqui velimus, dici non potest regimen ecclesiasticum esse mere monarchicum; cum enim Episcopatus sit institutionis divinæ, S. Pontifex non est unicum potestatis subjectum.

(1) Audisio, *Droit public de l'Eglise*, liv. I et II. — Tarquini, *Institutiones juris publici*, lib. II.

4° Potestas Episcoporum efficit quidem temperamentum aristocraticum ; sed istud temperamentum non tale intelligitur quale existit in statibus civilibus, quorum forma mixta ex divisione jurium summi imperii ita oritur, ut jus quod in uno subjecto inest, non idem in altero insit, neque ab altero pendeat: dum Episcopatus nihil monarchiæ pontificiæ detrahit.

69. — II. *Describitur genuina forma regiminis Ecclesiæ* (1).

Assertio : *Regimen Ecclesiæ, ex Primatu et Hierarchia jurisdictionis constans, imprimis est vere monarchia, quæ temperatur aristocratia sine diminutione potestatis, et commoda democratiæ præ se fert; ac proinde perfectum est.*

Dicitur : 1° *Ex primatu et Hierarchia constans*, siquidem Petro et Apostolis eorumque successoribus a Christo data fuit auctoritas regendi Ecclesiam. Proinde regimen Ecclesiæ non tantum est monarchia, neque aristocratia tantum, sed utraque simul. Hæc duo, specie contraria, conciliantur in eo quod duplex agnoscitur subjectum et gradus potestatis ecclesiasticæ, quæ summa est in R. Pontifice, subordinata vero in episcopis.

2° *Est vere monarchia.* — Etenim monarchiæ ratio in eo est posita ut omnes uni plene subjiciantur. Atqui Primatus hanc regiminis formam induit. Præter verba Christi et Traditionem, hoc probat decretum quo concilium Florentinum plenitudinem pontificiæ potestatis sic magnifice exprimit : « Definimus R. Pontificem esse totius Ecclesiæ caput, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse. »

3° *Temperatur aristocratia.* — Episcopi regimen Ecclesiæ participant, non vicario nomine, sed propria auctoritate, quatenus sunt Apostolorum successores. Atqui duplici modo Apostolis successerunt, nempe collegialiter et singulatim. Igitur dupliciter fiunt regiminis participes, sive quia sunt membra corporis episcopalis a quo universalis Ecclesia gubernatur, sive quia Christus voluit ut Ecclesiæ particulares regulariter Episcopis committerentur regendæ. Igitur Christus, instituendo hierarchiam, elementum aristocraticum regimini Ecclesiæ admiscuit.

4° *Temperatur... sine diminutione potestatis.* — In societatibus civilibus, regimen ex monarchia et aristocratia mixtum divisionem jurium supponit. Comparatio illius cum Ecclesia institui nequit, tum quia potestas spiritualis non divisa est, quasi una ejusdem pars in S. Pontifice, altera in Episcopatu resideret; tum quia non is erat instituendæ dignitatis episcopalis scopus, ut caput diminutionem acciperet, sed ut Ecclesiæ unitas per unitatem diœcesanam firmaretur. Ergo Primatui, ex voluntate Christi, robur potius quam temperamentum ab Episcopatu accedit.

Episcopi efformant quidem cum S. Pontifice regentem Ecclesiam. Inde vero Primatum non imminui triplici ratione constat : 1. Potestas suprema tota tradita est Petro, cui succedit S. Pontifex ; unde quidquid juris Episcopis competit, id eminenter inest Vicario Christi. — 2. Singuli Episcopi subordinantur S. Pontifici, qui eos instituit ac moderatur. — 3. Episcopi etiam collegialiter pendent a S. Pontifice.

(1) Taparelli, *Essai théorique de droit naturel*, liv. VII, chap. I. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. V. — Soglia, *Institutiones juris publici*, lib. II, cap. II, § 55.

5° *Præ se fert commoda democratiæ*, sive quia omnia peraguntur in Ecclesia propter Deum et fideles; sive quia omnes catholici sunt ejusdem conditionis respectu fidei, morum et disciplinæ; sive quia, clero cœlibatum observante, quilibet digni ad munera promoveri possunt. — Huic assertioni quoad rem nemo refragabitur. Sed quoad loquendi modum, minus recte dicit Bellarminus democratiam quemdam in Ecclesia locum habere; nam officiorum æqua distributio pro meritis, absque ulla personarum acceptione, distinguitur a regiminis forma, quæ solum ex subjecto summæ potestatis determinatur.

6° *Regimen Ecclesiæ est perfectum.* — Illa præ cæteris optima est regiminis forma, in qua caput et membra societatis sua jura et discrimina ita servant, ut unitas sit in varietate, vitaque floreat in multitudine. Atqui talis est Ecclesia, in qua excellit unitas regiminis, in unitate maxima varietas, in universa multitudine actio et vita (1).

TITULUS II

De conditionibus ad naturam legis pertinentibus

70. — Cum Deus sit fons æquitatis et auctoritatis, leges humanæ necessario æquitatem et vim ab ipso accipiunt; et sicut lex æterna est rationis et voluntatis ordinatio in Deo summo gubernatore universi mundi, ita leges humanæ, ut sapientiam divinam imitentur, duos involvunt actus legislatoris: unum quidem intellectus, quo determinat facienda; alterum vero voluntatis, quo præcipit ut fiant. — Itaque leges duplici elemento constant, veluti materia et forma: 1° Rationis ordinatione in societatis finem; 2° legislatoris voluntate imposita.

Proinde omnis vera lex est regula agendi, præscribens societati media adhibenda ad finem ipsius assequendum.

Definitur: *Rationis ordinatio in societatis finem seu bonum commune, et ab eo qui curam habet communitatis seu societatis perfectæ promulgata seu obligatorio modo proposita.*

71. — Ex definitione innotescit qualis sit legis *materia* et *forma*. — *Materia legis* est ipsa regula quæ proponitur, duplici qualitate prædita. Nimirum requiritur: 1° ut sit rationabilis, id est, honesta seu rationi conformis, nam æquitas legum est earum conformitas cum lege æterna seu ratione increata Dei, cujus ratio humana est participatio; 2° ut conducat ad finem societatis, ideo enim legifera potestas a Deo data est, ut Providentiæ ancilletur proponendo media adhibenda ut societas finem suum assequi possit. — Quamobrem, ex defectu materiæ lex erit nulla, si regula proposita legi divinæ adversetur; erit vero abroganda, ubi desierit ad finem societatis conducere.

Forma legis est ipsa regulæ propositio, id est, sufficiens intimatio socie-

(1) Audisio, *Juris naturæ fundamenta*, lib. III.

tati facta per modum obligationis ab eo in quo societatis potestas residet. — Igitur lex erit nulla ex defectu formæ, 1° si ab alio proposita fuerit quam a rectore societatis ; 2° si fuerit proposita per modum consilii, non autem per modum obligationis ; 3° si non fuerit sufficienter proposita, seu promulgata.

72. — Recta notione legis in genere præmissa, facilius jam intelligitur quid sit *lex ecclesiastica*.

Definitur : *Ordinatio stabilis superioris ecclesiastici, ad bonum commune fidelium promulgata.* — Ex qua definitione patet varias ad legem constituendam requiri conditiones, quarum expositio est materia præsentis tituli.

Aliæ conditiones sunt necessariæ ad legem *inducendam*, aliæ autem ad legem *firmandam* ordinatæ sunt. — De singulis in duplici capite agetur.

CAPUT I

CONDITIONES NECESSARIÆ AD LEGEM INDUCENDAM

73. — Lex vel expressa legislatoris voluntate conditur, vel originem e consuetudine ducit. Utriusque conditiones investigantes, dicemus 1° de legis ecclesiasticæ objecto et subjecto ; — 2° de ejus promulgatione et acceptatione ; — 3° de consuetudine.

ARTICULUS I

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS ECCLESIASTICÆ

§ 1. — *De objecto legis ecclesiasticæ* (1).

74. — Media a societatibus adhibenda ex earum fine adæquato determinantur. Atqui *sanctificatio animarum* seu finis Ecclesiæ proximus, per quem ad finem ultimum tenditur, nonnisi geminis viribus comparari potest, nempe *gratia sanctificante*, quam Christus per sacramenta conferri voluit, et *hominis cooperatione*. Ideo potestas ordinis Ecclesiæ data fuit ad efficienda sacramenta ; potestas autem jurisdictionis instituta est ad fidelium cooperationem dirigendam et efficaciter urgendam.

Jamvero, sicut ista fidelium cooperatio fit triplici modo, nempe per fidem, virtutes singulorum et observentiam disciplinæ ; ita potestas legislativa Ecclesiæ hanc cooperationem tribus modis dirigit, nempe docendo veritates fidei, mores informando juxta legem divinam, et disciplinam statuendo. Igitur legis ecclesiasticæ triplex est objectum, scilicet dogmata, mores et disciplina. — Hinc canones *dogmatici*, *morales* et *disciplinares*, de quibus seorsim agere expedit, quo melius perspiciatur eorum propria ratio et vis.

(1) Tarquini, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, lib. I, cap. I.

I. — De canonibus dogmaticis (1).

75. — I. *Eorum indoles.* Canones dogmatici sunt illi in quibus aliquid credendum proponitur. Ipsorum objectum est veritas divinitus revelata et ab omnibus fidelibus credenda.

Attamen non omnes canones in quibus veritas aliqua enuntiatur habendi sunt ut dogmatici ; dogmaticos enim dicimus canones qui catholicæ fidei regulam sive dogmata tradunt. Dogma vero definitur : *Veritas a Deo revelata et ab Ecclesiæ supremo magisterio proposita ut firmiter credenda.* Duo igitur desiderantur, ut habeatur canon dogmaticus : 1° divina revelatio veritatis quæ in canone docetur ; 2° Ecclesiæ propositio cum obligatione credendi. Cum Christus Ecclesiæ promiserit infallibilitatem, secundum nequit adesse, quin primum adsit.

76. — II. *Notæ canonum dogmaticorum.* Ad canonem dogmaticum dignoscendum, non opus est ut inquiramus an doctrina illius in verbo Dei contineatur, cum fides catholica revelationi necessario innitatur ; sed satis erit, si constet doctrinam canonis ab Ecclesia tanquam fidei dogma propositam esse.

Ut intelligamus an doctrina canonis simpliciter asseratur, an etiam proponatur ut dogma fidei, duplex regula potest adhiberi, prout canones dogmatici statuuntur sub forma *affirmativa*, vel sub forma *negativa*.

Prima regula. — Canones dogmatici statuuntur affirmative, quando Ecclesia veritatem ut revelatam docet, fidemque exigit. Ita fecit in tribus symbolis, in formulis professionis Fidei, in capitibus dogmaticis Concilii Trid. et Conc. Vaticani, et in definitione Immaculatæ Conceptionis B. M. V., quam his verbis enuntiavit Pius IX : *Definimus doctrinam... esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter credendam.*

Altera regula. — Canones sunt dogmatici negative, ubi errores tanquam fidei catholicæ contradicentes damnantur. Quæ damnatio seu lex negative dogmatica fieri potest triplici modo : 1° si contrarium asserentes hæretici declarantur ; hæc nota est admodum perspicua ; — 2° cum Concilia sub hac forma decreta edunt : *Si quis dixerit... anathema sit* ; — 3° si in eos qui contradicunt excommunicationis sententia fertur. Sed secundus et tertius modus negativus ita limitari debent : canones in quibus anathema vel excommunicatio in dissentientes decernitur, dogmatici sunt, dummodo in eis de rebus fidei agatur ; siquidem in veteribus conciliis etiam canones qui ad fidem non pertinent eadem excommunicationis pœna seu anathemate sanciuntur.

II. — De canonibus morum (2).

Tria sunt enucleanda : — 1^{um}, an ejusmodi canones differant a legibus disciplinaribus ; — 2^{um}, an omnes ad canones dogmaticos reducantur ; — 3^{um}, qualis sit eorum auctoritas.

(1) Soglia *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, §§ 9, 10, 11. — Melchior Cano, *De locis theologicis*, lib V, cap. v. — (2) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, § 12.

77. — I. Equidem canones morum cum legibus *disciplinaribus* in eo conveniunt, quod sunt agendi regulæ. Verum dogmata moralia, seu principia revelata morum, discriminantur a notione disciplinæ; nam disciplina est populi christiani praxis, quam Ecclesia præscribit ad societatem religiosam exterius ordinandam in terris; dogma autem morale versatur circa singulorum actiones dirigendas ad finem supernaturalem ultimum, per se vero et directe non respicit finem socialem seu ordinem publicum Ecclesiæ militantis.

Igitur habentur canones morum, non autem leges disciplinares, quamdiu Ecclesia veritates morales solum docet, quin novam praxim doctrinæ additam imponat.

78. — II. Canones morales aliquando *dogmatibus* accensentur, aliquando ab illis differunt. Profecto sunt dogmatici, ubi quædam principia morum in Ecclesiæ legibus proponuntur, non tantum observanda, sed etiam credenda. Sæpius vero notis canonum dogmaticorum non pollent, quatenus legem divinam velut agendi regulam interpretantur, quin exigatur actus fidei, v. g. in damnatione multarum propositionum.

79. — III. Canonum moralium *auctoritas* ex duplici fonte desumitur, nempe ex eorum objecto immutabili, et infallibilitate Ecclesiæ.

1° *Ex objecto immutabili.* — Sicut dogmatici canones regulam statuunt eorum quæ firmiter in rebus fidei tenenda sunt, ita canones morum perpetuo firmi stabilesque manent; siquidem id spectant quod in actibus humanis per se est bonum et agendum, vel malum et omittendum, nam versantur in proponendis explicandisque præceptis moralibus divinis, quibus hominum mores informantur.

2° *Ex infallibilitate Ecclesiæ.* — Ecclesia in tradendis canonibus morum errare non potest. Etenim, stante Christi promissione, Spiritus Sanctus Ecclesiam docet omnem veritatem quæ ad salutem sit necessaria. Atqui ad salutem necessariæ sunt non modo veritates fidei, sed etiam morum. Igitur fieri nequit ut Ecclesia in his erret, et doceat vel præscribat quod legi divinæ adversatur.

III. — De canonibus disciplinaribus (1).

80. — I. *Ipsorum indoles.* Canones qui neque ad fidem, neque ad mores pertinent, ad disciplinam Ecclesiæ referuntur.

Nomine *disciplinæ* veniunt tum praxes societati fidelium præscriptæ, tum leges quibus istæ praxes determinantur, v. g. disciplina arcani et pœnitentiæ publicæ, clericalis, monastica. Sicut dogma est veritas revelata, et canones dogmatici fidem exigunt; sicut regulæ morum singulos homines ad virtutem excolendam informant, et Ecclesia canonibus morum legem divinam interpretatur ac proponit; ita disciplina est in Ecclesia praxis fidei conformis, et disciplinares dicuntur leges quibus Ecclesia exterius in officio et ordine continetur.

Itaque disciplina consistit in conformitate quam leges inducunt inter

(1) Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. X.

veritates credendas et mores societatis ; siquidem omnis praxis Ecclesiastica fidem exprimit, atque se habet ut symbolum et medium quo interna Ecclesiæ vita innotescit et propagatur, ut videre est in debito cultu et usu SS. Eucharistiæ, in adoratione crucis, in jejunio, in festis, etc. — Ratio est, quia inter animam et corpus Ecclesiæ mutuum existit commercium, ex quo corpus non tantum anima informatur, verum etiam agit in animam, id est vita fidei per visibile ministerium corporis fovetur ac sese manifestat ; Christus enim in Ecclesia instituit internæ gratiæ externa media, scilicet sacramenta et sacrificium, quibus accedunt praxes ab Ecclesia præscriptæ (1).

81. — II. *Præcipua disciplinæ capita.* Canones disciplinares sunt firmissimum fidei, morum et religionis præsidium. Etenim versantur :

1° *In tutela fidei et morum*, quatenus pœnas decernunt in eos qui in fide et moribus deliquerint. Huc pertinent censuræ, aliæque pœnæ ecclesiasticæ, quibus lex divina sancitur, v. g. contra hæreticos, contra attentantes matrimonium irritum et sacrilegum.

2° *In determinandis præceptis divinis*, dum scilicet præfiniunt *tempus* ac *modum* ea observandi ; cujus generis sunt canones de die dominica, de confessione et communione paschali.

3° *In regenda societate ecclesiastica.* Hinc directio personarum, gradus ac modi quibus potestas a Christo instituta exercetur, conventiones inter Ecclesiam et Status civiles.

4° *In ordinandis verbis, actibus et rebus ad cultum divinum pertinentibus.* Hæc est disciplina liturgica, quæ complectitur canones de administratione Sacramentorum, de Sacrificii celebratione, de officio divino, de diebus festis, de locis sacris, etc.

5° *In administrandis bonis temporalibus Ecclesiæ*, inter quæ eminent diversa beneficiorum genera.

82. — III. Lato sensu et quatenus complectitur quaslibet praxes in Ecclesia servandas, disciplina distinguitur in *immutabilem* et *mutabilem*. Prior, improprie dicta disciplina, ad jus divinum pertinet ; altera omnino pendet ab Ecclesia (2).

1. Disciplinam immutabilem dicunt *dogmaticam* vel *dogmati connexam*. Dogmaticam vocant eam quæ originem suam ipsi Christo refert ; sic hierarchia divinitus instituta, materia et forma sacramentorum, matrimonii unitas et indissolubilitas, a Christo auctore originem ducunt.

Disciplinam dogmati connexam eam appellant quæ cum dogmate ita connectitur, ut aboleri nequeat quin de veritate dogmatis detrahatur. Talis est disciplina qua Eucharistiam veneramur ; ea enim tolli nequit sine maxima catholici dogmatis injuria. Proinde hæc disciplina etiam debet immota manere, sed tantum in eo quod ejus substantiam attingit ; nam modum Ecclesia decernit et mutare potest.

2. Mutabilis e t disciplina Ecclesiæ propria. Nimirum, ea quæ juris divini sunt certis modis determinantur, ita ut immutabili Religionis

(1) Perrone, *De Ecclesia*, sect. I, cap. II. — (2) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, § 13.

substantiæ semper adhæreat aliquid mutabile et accidentale, quod ad dispositionem Ecclesiæ pertinet, et in quo maxime est ratio disciplinæ mere ecclesiasticæ.

Plurima occurrunt exempla. De fide est R. Pontificem Episcopis præesse ; verum diversis vinculis Primatus ipsos moderatur, v. g. olim metropolitæ conferebant episcopis suæ provinciæ institutionem canonicam, nunc ipsi Papæ reservatam. Pariter de fide est Episcopos presbyteris superiores esse ; diversa autem est forma ministerii cui sacerdotes ab Episcopis adscribuntur. Dominus consiliis evangelicis fideles ad statum religiosum adduxit ; sed varii sunt ordines regulares ab Ecclesia approbati. Christus quidem substantiam seu materiam et formam sacramentorum instituit ; eorum vero substantiæ accedunt ritus et regulæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes.

83. — IV. Regulæ de disciplina mutabili, Ecclesiæ propria (1).

Regula 1ª. — Ecclesia judicat quid sit divini juris, quid vero suæ disciplinæ. Etenim, eadem potestas sacra quæ ex institutione Christi de fide infallibiliter judicat, pari auctoritate definire potest, utrum quidpiam ad disciplinam variabilem aut ad jus divinum immutabile pertineat ; secus enim, si quid divino juri posset addère vel detrahere, satis instructa non esset ad declarandam legem divinam, ac fideles rite docendos et dirigendos.

Regula 2ª. — Potestas statuendi et mutandi ea quæ sunt distincta a jure divino, et Ecclesiæ disciplinam proprie dictam efficiunt, pertinet ad Ecclesiæ rectores, juxta gradum suæ potestatis legiferæ.

Regula 3ª. — Quæ sit justa ratio immutandi vel conservandi aliquam disciplinæ legem, id profecto ab ea auctoritate judicari debet, quæ prædita est jure disciplinam mutandi vel stabiliendi. Igitur quicumque disciplinaria decreta, quæ nova sunt, ob hanc unicam causam improbant, sectariis Jansenistis consentiunt. Hi enim, dum veterem laudant Ecclesiæ disciplinam, pontificias leges recens editas carpunt et rejicere nituntur, quasi non omni tempore Ecclesia esset sponsa Christi, vel potestas a Christo in perpetuum collata certis temporum spatiis restringeretur.

§ 2. — *De subjecto legis ecclesiasticæ* (2).

Subjectum legis duplici modo determinandum est, nempe in genere, respectu *societatis ;* et in specie, respectu *personarum.*

84. — I. Legis ecclesiasticæ *subjectum in genere* est ipsa Christianorum societas. Ea enim est differentia inter præceptum, regulam proprie dictam et legem : præceptum singularibus personis imponitur ; regula vel statutum communitates minores afficit ; lex fertur in societatem perfectam. Atqui canones feruntur in societatem christianorum seu Ecclesiam, societatum perfectarum perfectissimam. Ergo Ecclesia ipsa est in genere subjectum legis ecclesiasticæ.

(1) Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. x. — (2) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 2, § 6. — Pirhing, *Jus canonicum*, lib. I, tit. 2, *De constitutionibus.*

85. — II. *Personæ legibus ecclesiasticis subditæ.* — Legibus humanis subduntur omnes et soli subditi rationis usum habentes. Si hujusmodi principium juri canonico applicemus, proponitur hæc regula :

Legibus mere disciplinaribus Ecclesiæ subjiciuntur omnes et soli baptizati, quorum statui proportionata est lex ecclesiastica.

Ratio est, quia jus canonicum est complexio legum ecclesiasticarum, quibus Christiani diriguntur ad finem supernaturalem ; eadem enim obligatione qua tenemur ad finem ultimum tendere in Ecclesia, jubemur unitati Ecclesiæ adhærere, illiusque legibus obtemperare.

86. — III. *Corollaria* (1). — 1. Infideles legibus disciplinaribus non subduntur, siquidem non sunt Ecclesiæ membra.

2. Hæretici, quamvis sint rebelles, Ecclesiæ subjacent ratione baptismi.

3. Perpetuo amentes legibus humanis dirigi nequeunt ; amentes ad tempus excusantur durante amentia.

4. Pueri usum rationis adepti ad ea quæ illorum ætati conveniunt obligantur.

5. Peregrini, legibus quidem communibus subditi, sunt immunes a legibus particularibus, sive sui territorii, sive loci in quo versantur.

ARTICULUS II

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS

§ 1. — *De legis promulgatione.*

87. — 1. *Ut lex obliget, necessaria est promulgatio* (2). Etenim, lex est regula societati imposita. Atqui promulgatio est signum quo legislator, personam publicam agens, societati voluntatem suam imponit. Ergo promulgatio requiritur tanquam complementum formale legis humanæ, scilicet, quo obligat subditos et rationem legis vere habet.

88. — II. *Ipsa promulgatio differt a divulgatione legis jam promulgatæ.* — Promulgatio est publica legis propositio, facta nomine et auctoritate legislatoris, ita ut notitia legis ad subditos pervenire possit. Divulgatio autem est quædam promulgationis extensio, seu illius declaratio facta iis qui promulgationi non interfuerunt, sive ista notificatio fiat per inferiores magistratus, sive per privatos fide dignos.

Inde sequitur divulgationem non esse necessariam ad legis valorem. Equidem ab obligatione legis excusantur qui illam minime noverint ; verum non requiritur ut intimatio juridica singulis fiat, alioquin sufficiens promulgatio legum nunquam constaret.

89. — III. *Modus promulgandi leges humanas non determinatur jure divino, sive naturali, sive positivo* (3). — 1. Ex natura rei, ea sufficit legis promulgatio qua moraliter possit devenire in notitiam omnium

(1) S. Alph., lib. I, 153-161. — (2) Ibid., 61-62, 96. — Suarez, *De legibus*, lib. I, cap II ; lib. IV, cap. XV. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 2, § 4. — Soglia, Institutiones juris publici, pars I, cap. II, § 24.

subditorum ; non exigitur ergo ut lex publicetur hac vel illa solemnitate, per præconem vel per affixionem edicti in urbe principe tantum, vel in singulis provinciis, eodem tempore vel successive. — 2. Deus nullum modum promulgationis determinavit, hominibus conferendo potestatem ferendi leges.

Cum promulgationis forma jure divino non determinetur, ab arbitrio legislatoris pendet. Itaque sufficit promulgatio facta in urbe principe, nisi aliud exprimatur ; v. g. ut Episcorum leges obligent, satis est quod in cathedrali civitate promulgentur.

90. — IV. *Pontificiæ leges Romæ promulgantur.*

Si factum spectemus, non una eademque forma servata est in promulgandis legibus pontificiis, sed pro temporum varietate diversa fuit. Hodie forma, quæ a sex sæculis invaluit, fere in eo consistit ut SS. Pontificum leges Romæ publicentur et affigantur. Attamen haud semel peculiaris promulgandi modus adhibetur, v. g. Concilii Tridentini decretum de clandestinitate matrimonii in singulis ecclesiis parochialibus publicari præceptum est.

91. — Sufficit promulgatio Romæ facta, siquidem SS. Pontifices possunt et volunt sic obligare.

1. *Non deest potestas ;* quilibet enim modus promulgandi a legislatore libere eligitur, dummodo sit sufficiens ut lex possit pervenire ad notitiam subditorum. Atqui hæc promulgationis forma per se sufficit ad hunc finem obtinendum ; nam, præter Bullarium et diaria, facile est Romano Pontifici authenticum exemplar legis promulgatæ mittere Nuntiis et Episcopis, qui hanc notitiam clericis et fidelibus communicare poterunt.

2. *Non deest voluntas* ; nimirum hæc est clausula Bullis apponi consueta : « Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas... affigi et publicari, sicque publicatas omnes et singulos quos illæ concernunt perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent. »

Confirmatur ex eo quod omnes causæ quæ ad romanam Curiam deferuntur, judicantur juxta leges eo modo promulgatas. Jus autem commune, ad instar *juris romani*, concedit *bimestre*, antequam lex pontificia obligare incipiat, quia prius moraliter nequit sufficienter vulgari etiam nostris temporibus (1). Legitur quippe in Const. Pii IV *Sicut ad sacrorum*, super declaratione temporis ad observanda decreta Conc. Trid : « Jure etiam communi sancitum est ut constitutiones novæ nonnisi post certum tempus obtineant. »

Ratio statuendi quod Romæ tantum facta promulgatio legum pontificiarum sufficeret, videtur fuisse ne principes sæculares aut episcopi, potestate sua abutentes, impedirent aut retardarent promulgationem, et consequenter obligationem hujusmodi legum.

(1) Cf. Inst. mor. Alph., n. 157-161.

§ 2. — *De legis acceptatione.*

Quæstio esse potest: 1. de acceptatione legis ecclesiasticæ a fidelibus ; — 2. de ejus acceptatione a principibus, seu de placito regio ; 3. de acceptatione legis pontificiæ ab episcopis.

I. — De legis acceptatione a fidelibus (1).

92. — I. Leges *per se* non pendent a populi acceptatione. Constat ex propositione ab Alexandro VII damnata : « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. »

Ratio est, quia si lex non obligaret independenter ab acceptatione populi, id proveniret ex defectu voluntatis vel potestatis in legislatore. Atqui neutrum dici potest: — Non deest *voluntas ;* hoc probat tum natura legis, quæ differt a consilio, tum vis verborum præcipientium, tum inflictio pœnarum quibus legislator urget legis observationem. — Neque deficit *potestas*, siquidem ipse Christus Petro et cæteris Apostolis eorumque successoribus tradidit potestatem regendi universos fideles. Hæc autem potestas legislativa eluderetur, si valor legum a populi consensu penderet.

93. — II. Attamen leges per acceptationem fidelium firmantur *accidentaliter ;* non quidem hoc sensu quod inde accipiant vim obligandi, sed eo sensu quod per usum eximantur a periculo abrogationis. Leges enim quarum observantia negligitur, tandem abeunt in desuetudinem, vel a legislatore revocantur (2).

II. — De acceptatione legis ecclesiasticæ a principibus, seu de placito regio.

94. — *Placitum regium* (*Exsequatur*) est facultas principibus attributa leges pontificias vel episcopales examinandi, earumque publicationem concedendi vel denegandi.

1. — *Illius origo* (3).

95. — Placiti origo repetenda est a schismate Occidentis, quod ab Urbano VI usque ad concilium Constantiense perduravit ; antea enim nullum ejus vestigium deprehenditur.

Sic vero introductum est placitum : Urbanus VI, ne occasione schismatis fraudes impune admitterentur, concessit ut, antequam apostolicæ Constitutiones executioni mandarentur, Episcopi judicarent an a vero Pontifice profectæ essent. Principes quoque, ne populi a pseudopontificibus deciperentur, bullas inspicere cœperunt.

Martinus V facultatem ab Urbano VI concessam sustulit. Verum, cessante causa, non cessavit effectus; extincto scilicet schismate, apud multas nationes potestas civilis Placitum retinuit et gradatim amplificavit.

(1) Maschat, *Inst. juris can.*, lib. I, tit. 2. — Suarez, *De legibus*, lib. IV. cap. XVI. — (2) S. Alph., lib. I, 136-139. — (3) Bouix, *De principiis juris canonici*, p. 180. — Phillips, *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, tom. III, p. 204.

Primum quidem ad solam authenticitatem attendebat, deinde vero ad tenorem litterarum apostolicarum, audens pro arbitrio suo rejicere vel recipere et exsequi, in principio sola rescripta beneficialia, postmodum decreta disciplinaria, et tandem ipsas bullas dogmaticas.

Ex eo tempore, ad blandiendum principibus plura prodierunt systemata, quibus ipsis vindicatur jus approbandi leges ecclesiasticas. Aliqui dixerunt hanc facultatem principibus competere jure proprio ex illorum majestate suprema; alii, ulterius progressi, contenderunt SS. Pontificum leges non ligare conscientiam, nisi ab auctoritate civili approbentur.

2. — *Confutatio istius systematis* (1).

96. — I. *Placitum stare nequit cum juribus Ecclesiæ.* Id probatur triplici ratione :

1. *Ex divina Ecclesiæ constitutione.* — Ecclesia et Status sunt duæ societates distinctæ, in suo ordine perfectæ, et independentes. Atqui repugnat utriusque independentiæ unam sibi arrogare jus approbandi leges alterius. Quod dici potest de duobus Statibus ad invicem, idem a fortiori dici debet de societate ecclesiastica respectu societatis civilis, siquidem Ecclesia, utpote a Christo instituta in finem supernaturalem, societati civili præeminet.

Jamvero Placitum impedit liberum exercitium legiferæ potestatis quæ competit Ecclesiæ tum ex natura societatis perfectæ, tum ex voluntate Christi.

2. *Ex praxi Ecclesiæ*(2). — Juxta adversarios, hæc facultas principibus, non solum christianis, sed etiam infidelibus tribuenda esset; atqui neutrum dici potest, si praxis Ecclesiæ attendatur. Quo placito usi sunt apostoli erga principes infideles, cum non modo fidem prædicarent, sed disciplinam efformarent liberrima potestate? Neque intelligitur quomodo princeps qui per baptismum Ecclesiæ jurisdictioni se subjicit, quidquam juris adversus illam jurisdictionem exercere posset. Unde Ecclesia constanter sibi vindicavit liberum usum potestatis a Christo acceptæ, v. gr. Gregorius II ad Leonem Isauricum scripsit: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, sic nec imperator in Ecclesias introspiciéndi. »

Proinde falsum est Placitum ab immemorabili tempore in usu fuisse.

3. *Ex ipsius placiti regii reprobatione.* — Aliqui docent Placitum servandum esse velut consuetudinem praxi multorum annorum præscriptam, quæ principibus contulit facultatem examinandi leges pontificias. Sed ut consuetudo servari possit contra leges ecclesiasticas, duo requiruntur, nempe *causa justa* et *consensus Ecclesiæ*. Atqui neutrum subsistit.

Equidem, durante schismate Occidentis, propter dubiam electionem et incertam auctoritatem Pontificum, visum est necessarium ut eorum leges

(1) Soglia, *Institutiones juris publici et ecclesiastici*, pars. I. § 26. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. XI. — Encycl. Leonis XIII *Immortale Dei*, vers. fin. — (2) Cf. Const. *Apost. sedis*, Excommunicationes R. Pontifici speciali modo reservatæ, VI et VIII.

examini subjicerentur. Unde, si legitima fuerit unquam hæc inspectio legum pontificiarum, id non erat jus proprium, sed mera Ecclesiæ concessio ad tempus, non ad judicanda et irritanda decreta apostolica, sed ad eorum authenticitatem recognoscendam, aut dispensationem postulandam, ob peculiares causas.

Verum, cessante schismate, cessavit consensus Ecclesiæ, quia nulla remanebat necessitas, et saltem tacite revocata fuit facultas quæ propter schisma concessa fuerat. Imo Placitum, quatenus a principibus adhibetur invita Ecclesia, fuit solemniter reprobatum a Concilio Vaticano (sess. IV, cap. III).

97. — II. *Excutiuntur argumenta defensorum Placiti* (1).

Contendunt plures jurisperiti Placitum esse jus proprium Cæsareæ majestatis; *majestatem* vero vocant complexionem jurium quæ pertinent ad regimen et incolumitatem societatis perfectæ. Sed inter hæc jura immerito recensent jus adversus Ecclesiam *se protegendi*, *jus cavendi* et *jus inspiciendi*, ex quibus Placitum derivant.

1. Dicunt principibus inesse *jus moderandi cultum publicum* in societate quam gubernant, ideoque leges ecclesiasticas approbandi, *protectionis* causa, ne scilicet civibus noxiæ sint.

Resp. Equidem principum est societatem sibi creditam moderari in ordine civili. Verum Christus instituit potestatem ecclesiasticam ad dirigendos fideles in viam salutis; quæ potestas inutilis evaderet, si principes jure proprio consulerent fini supernaturali subditorum.

Igitur religionis cura guberniis civilibus non competit, nisi in eo sensu quod debent illius exercitium protegere. Si vero principes leges ecclesiasticas judicent, jam non sunt Ecclesiæ protectores, sed dominatores.

2. Dicunt guberniis inesse *jus cavendi* ne quid ab Ecclesia fiat quod vel Principis dignitatem, vel publicam utilitatem possit lædere.

Resp. Quid mali præcavendum erit contra canones Ecclesiæ? Sive fidei vel morum doctrinam tradant, sive statuant disciplinam et dirigant actiones fidelium in ordine ad finem supernaturalem, nocere non possunt. Dicemusne Ecclesiam esse hostem, ut contra eam *caveant consules*, ne societas civilis detrimentum patiatur?

Itaque Placitum est fœtus politicorum, qui adulandi studio pericula fingunt, et ex invidia principes incitant ad libertatem Ecclesiæ coarctandam.

3. Dicunt materiam legum esse eamdem in Statu et in Ecclesia; ac proinde gubernium habere *jus inspiciendi* quid Ecclesia statuat.

Resp. Materia legum utriusque societatis non est *mixta* stricto sensu. Etenim objectum legis ecclesiasticæ sunt actiones fidelium ad finem supernaturalem dirigendæ; leges vero civiles versantur circa res profanas civium ad finem naturalem consequendum. Proinde leges ecclesiasticæ et civiles non habent objectum commune.

Ergo neoterici potestatem politicam ultra fines ipsius extendunt.

(1) Audisio, *Juris naturæ fundamenta*, lib, III. — *Droit public de l'Eglise*, livres II, III.

III. — De acceptatione legis pontificiæ ab episcopis (1).

Duplex hic quæstio distinguitur : alia *juris*, nempe an S. Pontifex possit legibus suis obligare absque Episcoporum acceptatione ; altera *facti*, nempe utrum ea sit voluntas S. Pontificis, ut omnes leges disciplinares obligent antequam acceptentur ab Episcopis.

98. — I. *Quæstio juris*. Summus Pontifex *potest*, si velit, legibus suis obligare *absque Episcoporum acceptatione*. Ratio est, quia S. Pontifici competit legifera potestas in universam Ecclesiam. Atqui potestas ferendi leges quibus non obligarentur nisi consentientes, non esset vera potestas legifera.

Huc pertinent, tum verba quibus Christus Petro illiusque successoribus contulit potestatem nulla humana potestate circumscriptam, tum canones quibus Concilia definiunt Romano Pontifici *plenam potestatem* divinitus traditam esse.

99. — II. *Quæstionem facti* solvunt Suarez et Benedictus XIV his principiis :

1. Sententia tenens *quasdam leges* pontificias ad disciplinam spectantes de facto non statim obligare ante acceptationem, modo hoc tribuatur liberæ voluntati S. Pontificis, licita est.

2. De quibusdam tantum, non vero de omnibus apostolicis constitutionibus præsumitur iste consensus SS. Pontificum. Præsumi potest, si constitutio aliqua, licet plerisque orbis christiani diœcesibus utilis, alicui tamen provinciæ aut diœcesi minus opportuna dignoscatur, dummodo agatur de illa disciplinæ parte quæ intimiorem cum temporis et loci circumstantiis relationem habet. Minime vero id consentitur, ait Benedictus XIV (2), si agitur de Constitutionibus pertinentibus ad illam disciplinam, « quæ sacros respicit ritus, cæremonias, Sacramenta, clericorum vitam ; namque isthæc omnia a pontificia auctoritate omnino pendent ; ideoque Apostolicæ Sedis decreta, quæ circa ea prodire contingat, inferiorum judicio et censuræ nullo modo subjecta esse debent. »

3. Episcopus judicans novam legem suæ diœcesi non convenire ob peculiares circumstantias, supplicationem ad Sanctam Sedem mittat (3) ; quoties enim Sedes Apostolica expositas rationes validas esse agnoscit, non renuit ecclesiam particularem a lege generali eximere.

ARTICULUS III

DE CONSUETUDINE (4)

Consuetudinis indoles exponitur triplici quæstione : 1. Quæ sint consuetudinis natura et species ? — 2. Quænam conditiones requirantur ut consuetudo vim legis habeat ? — 3. Quibus modis consuetudo abrogetur ?

(1) Bouix *De principiis juris canonici*, pars II, sect, II, cap. v. — Soglia, *Institutiones juris publici* pars I, § 25. — Suarez, *De legibus*, lib. IV, cap. XVI. — (2) *De Synodo*, lib. IX, cap. VIII. — (3) *Decretal.* Gregor., lib. I, tit. 3, c. v. — (4) *Ibid*, tit. 4. — S. Alph., lib. I, 107-109. — Bouix, *De principiis juris canonici*. — Soglia, *Inst. juris publici*, pars I, cap. II, § 21. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 4. — Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, lib. I, tit. 4.

§ 1. — *Consuetudinis natura et species.*

100. — Consuetudo est frequentia actuum uniformium. In jure, potissimum attenditur ad illius valorem, extensionem et relationem ad leges scriptas.

I. Ratione valoris, distinguitur consuetudo *facti* et consuetudo *juris*.

Consuetudo *facti* est ipsa frequentia actuum uniformium alicujus societatis ; quæ probanda est ab allegante eam, nam factum non præsumitur, sed probari debet, juxta principium juris : *asserentis est probare*.

Consuetudo *juris* est jus inductum a populi moribus cum legislatoris consensu, seu lex inducta per consuetudinem, quæ ideo dicitur *jus non scriptum*.

II. Ratione extensionis, consuetudo est *universalis* vel *particularis*.

Consuetudo universalis viget in tota Ecclesia, v. g. cœnula in diebus jejunii ; consuetudo particularis, in provincia aut diœcesi, v. g. Romæ, abstinentia ab ovis et lacticiniis in jejuniis quatuor temporum.

III. Ratione relationis ad leges scriptas, alia est consuetudo *secundum legem*, alia *præter legem*, alia *contra legem*.

Consuetudo *secundum legem* est illa quæ legem antea conditam diuturno usu firmat et interpretatur. Unde dicitur : *Optima est legum interpres consuetudo* (1).

Consuetudo *præter legem* inducit jus antea non existens, nec priori contrarium : *pro lege suscipitur, ubi deficit lex*.

Consuetudo *contra legem* introducit jus contrarium legi præexistenti, vel eam abrogando, vel ei derogando, v. g. cœnula dierum jejunii.

Ecclesia sapientissime egit consuetudines tam generales quam speciales admittendo, eo quod in cunctis orbis regionibus, ob morum diversitatem, multo minus quam in una natione eadem regula in omnibus haberi potest, nec Matris pietas sinit dominationis ostentationem fieri sine necessitate, in reprobatione morum diuturnorum et rationabilium.

§ 2. — *Conditiones requisitæ ut consuetudo vim legis habeat.*

101. — In genere, consuetudo talis esse debet ut ipsi conveniat definitio legis, nempe ut respectu *societatis* constantem, obligatoriam et *rectam* voluntatem *legislatoris* exhibeat.

In specie, quædam conditiones requiruntur, tum ex parte *societatis*, tum ex parte *objecti*, tum ex parte *legislatoris* et *temporis*.

102. — I. Ex parte *societatis*, requiritur : 1. Societas perfecta, et habitus majoris partis subditorum. Ratio primi est, quia consuetudo legem imitatur, cujus vim obtinet ; atqui subjectum legis est societas perfecta v. g. universalis Ecclesia, diœcesis. Igitur personæ privatæ et societates imperfectæ, v. g. familia, parœcia, nequeunt consuetudinem quæ vim legis habeat introducere. Ratio secundi est, quia universus populus non censetur consentire in id quod non exercetur a majori parte subditorum.

(1) Lib. I decret., tit. 4, c. VIII.

2. Requiritur qualitas actuum, nempe non interrupta et publica frequentatio actuum scienter et libere exercitorum. Ratio est, quia lex est regula publica et stabilis, ex proposito intimata. Præterea, si hujusmodi actus non sint uniformes, publici et liberi, præsumi nequit consensus societatis.

3. Requiritur intentio statuendi obligationem, si consuetudo sit secundum vel præter legem. Ratio est, quia actus agentium, quos legislator approbat et in jus convertit, non operantur ultra intentionem eorum. Unde plures sunt laudabiles consuetudines mera devotione invectæ, quæ non pariunt obligationem, v. g. usus aquæ benedictæ ad ingressum ecclesiæ. Si vero consuetudo sit contra legem, requiritur persuasio communis de illius cessatione, quæ sensim obtinere potest, etiamsi auctores consuetudinis formaliter peccaverint.

103. — II. Ex parte *objecti*, sicut materia legis debet esse honesta et utilis, ita requiritur ut consuetudo sit *rationabilis*, id est, rectæ rationi et spiritui Ecclesiæ non repugnans.

Irrationabilitas consuetudinis dignoscitur sive ex jure divino, sive ex jure ecclesiastico.

1. Ratione legis divinæ, irrationabilis est consuetudo quæ vel directe juri divino adversatur, vel peccatorum occasio est, vel religioni nocet. Talis est apud Græcos praxis dissolvendi matrimonium consummatum, propter conjugis adulterium.

2. Ratione disciplinæ ecclesiasticæ, irrationabilis est consuetudo quæ ab Ecclesia reprobatur velut abusus, vel dissolvit nervum disciplinæ, qui est auctoritas Prælatorum, v. g. Placitum regium, consuetudo non acceptandi decreta Sanctæ Sedis.

104. — III. Ex parte *legislatoris*, sicut lex ejus voluntate statuitur, ita consuetudo vim legis nonnisi ab illius consensu accipit.

Jamvero duplici modo legislator assentit consuetudini, nempe vel *personaliter* seu via *conniventiæ*, vel *legaliter* seu via *præscriptionis*.

1. Consentit personaliter, quando consuetudinem ipse cognoscit, eamque approbat ; iste consensus est *expressus* vel *tacitus*.

Consensus personalis est *expressus*, quando potestas suprema expressis verbis declarat consuetudinem servari posse ; sic consensit Pius IX diffusioni usus frustuli in diebus jejunii.

Consensus est *tacitus*, si non contradicat, cum facile reclamare posset, juxta regulam juris : *qui tacet consentire videtur*. Consuetudinem vero non firmat silentium œconomicum seu prudentia imperatum, nempe ob timorem majoris mali, v. g. schismatis.

2. Consentit legaliter, quando consuetudinis nescius est. Porro consensus legalis, qui dicitur etiam *generalis* et *præsumptus*, præstatur per generalem Ecclesiæ legem, qua consuetudines *rationabiles et legitime præscriptæ* approbantur (1).

(1) Decret. l, I, tit. 4, chap. XI : « Licet longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura ut vel positivo juri debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit præscripta. »

105. — IV. *Tempus requisitum* ut consuetudo præscribat.

1. Si consuetudo procedit via conniventiæ, id est, si consensu personali legislatoris innititur, nullum requiritur tempus, sed sufficit quod constet de legislatoris consensu, ex quo consuetudo *juris* tunc accipit totam suam vim.

2. Si procedatur via præscriptionis seu diuturnæ possessionis, juxta omnes, decennium sufficit ut consuetudo *juxta* aut *præter legem* vim juris consequatur, quia jus romanum habet decem annos ut tempus longævum ; canonibus enim longævitatem non determinantibus, standum est juri romano, ex usu probato. — Atvero, ut consuetudo *contra legem* sit præscripta, saltem decennium requiritur, et certo quadraginta anni sufficiunt, quos jus romanum requirit ad præscribendum cum præjudicio tertii. Igitur, ante quadraginta annos dubia est hujusmodi consuetudo, et lex possidet, nisi societas eam ut abrogatam habeat.

§ 3. — *Modi quibus consuetudo abrogatur.*

106. — Consuetudo abrogatur tribus modis :

I. *Per consuetudinem contrariam* seu *desuetudinem*. Sicut enim lex nova priori derogat, ita consuetudo quæ legis rationem habet.

II. *Per legem contrariam supervenientem*, qua revocatur consensus legislatoris, ex quo consuetudo vim habebat. — Applicatio hujus regulæ diversa est pro variis consuetudinum speciebus :

1. Consuetudinem *universalem* abrogat lex generalis ; alioquin, lex careret effectu certe intento.

2. Consuetudo *particularis* non abrogatur per legem generalem, nisi id exprimatur. Ratio est, quia legislator censetur illam ignorare, *cum sit facti et in facto consistat*, ut ait Bonif. VIII, in 6°, ac proinde de ea nihil statuit.

Quær. *Qualis clausula requiratur, ut lex generalis abroget consuetudinem particularem ?*

Consuetudo particularis non privilegiata, id est, nondum quadragenaria, abrogatur per clausulam : *Non obstante qualibet consuetudine in contrarium.*

Consuetudo particularis privilegiata, præsertim *immemorialis*, aboletur tantum per specialem mentionem : *Non obstante qualibet consuetudine, etiam immemoriali.* Ratio est, quia possessio valde diuturna, nempe saltem quadragenaria, habetur in jure ut titulus quo melior allegari non potest.

III. *Per legem anteriorem* futuras consuetudines contrarias prohibentem, v. g. per legem qua Pius IV statuit decreta concilii Tridentini valitura esse contra consuetudines quæ in futurum inducerentur.

Contra hujusmodi legem consuetudo difficile præscribit, propter triplicem rationem : — 1. Subditi obligatione strictiori tenentur ad consuetudinem non inducendam ; — 2. In dubio, ista consuetudo censetur irrationabilis ; — 3. S. Pontifex, legum Tridentinarum custos, consuetudinibus contrariis non consentit, nisi circumstantiæ mutentur.

Attamen, sicut perpetuitas, quæ per se competit legi, non impedit eam abrogari, mutata voluntate legislatoris, ita non repugnat ipsam prohibitionem præscribendi contra decreta Tridentina aboleri, vel aliquatenus temperari consuetudine contraria et tolerata, eo quod ista prohibitio non necessario exprimit voluntatem legislatoris, nisi pro tempore quo lata est. Nec desunt exempla : v. g. in plurimis regionibus absque concursu prævio conferuntur beneficia curata, et ipse Pius VII (1803) firma declaravit matrimonia clandestina in locis Germaniæ, ubi decretum Tridentinum, primo observatum, postea longo intervallo in desuetudinem abierat (1).

CAPUT II

CONDITIONES AD LEGEM FIRMANDAM ORDINATÆ

107. — Leges maxime firmantur ex eo quod ipse legislator illarum *durationi* non obsistat per inconsideratam mutationem, earumque *executionem* debita sanctione *promoveat.* Quare in duplici articulo dicemus

1. De legum duratione ; — 2. De earum executione promovenda.

ARTICULUS I

DE LEGUM DURATIONE

Duratio legum aperit viam duplici investigationi : — 1. Qualis ipsis competat stabilitas ? — 2. Quomodo earum mutatio contingat ?

§ 1. — *De stabilitate legum ecclesiasticarum* (2).

108. — I. *Leges stabiliter feruntur.* Stabilitas legi competit, tum respectu *legislatoris,* quo mortuo, lex non moritur ; tum respectu *subditorum,* cum sint membra societatis permanentis, in quam lex fertur ; tum respectu *ipsius legis,* quæ, semel lata, semper durat, donec vel revocetur, vel justa esse desinat.

Quamvis leges sint stabiles, perpetuitas tamen ad illarum essentiam ita non pertinet, ut statutum ad tempus latum, sed reliquis proprietatibus legis præditum, ideo debeat a notione legis excludi, et inter mera præcepta numerari, v. g. præscripta durante Concilio.

109. — II. *Leges humanæ mutari possunt.* In hoc magnum intercedit discrimen inter jus divinum et jus humanum. Ratio mutationis et diversitatis legis humanæ est duplex : 1. Successu temporis, id quod erat utile, aliquando deprehenditur inutile, vel noxium. — 2. Singulæ societates obnoxiæ sunt variis necessitatibus, quibus occurrunt diversæ leges.

110. — III. Ecclesia leges suas non mutat, *nisi quando urgens necessitas*

(1) S. Alph., *Theolog. moral.,* l. IV, n. 15.
(2) Suarez, *De legibus,* lib. I, cap. x. — Taparelli, *Essai théorique de droit naturel,* liv. III.

vel evidens utilitas id exposcit. Sic agit quia propter frequentem mutationem leges minoris æstimarentur, et quia decet disciplinam, quæ versatur circa modum observandi jus divinum, hujus stabilitatem imitari.— Hinc est cur S. Sedes legem universalem ordinarie non statuat, nisi usu locali vel concessione particulari ejus convenientia probata fuerit ; atque etiam aliquod veteris disciplinæ vestigium servare studeat, ut videre est præsertim in liturgia.

§ 2. — *De mutatione legum ecclesiasticarum* (1).

Duplex quæstio expenditur : altera generalis, de modis quibus fit mutatio legum ; altera specialis, de dispensatione.

I. — De modis quibus fit mutatio legum (2).

Lex cessare potest vel *ab intrinseco*, per se ipsam, — vel *ab extrinseco*, per voluntatem legislatoris.

111. — I. Lex dicitur *per se ipsam cessare*, quando ejus causa finalis cessat *adæquate*, respectu *totius societatis*. Ratio est, quia vel ex defectu materiæ lex fit inutilis, vel cessante omnino ratione propter quam legislator tulit legem, non perseverat seu non perseverare censetur voluntas obligandi. Sic cessaverunt leges circa feuda ecclesiastica et prohibitio vendendi Mahumetanis arma, plumbum, chordas, etc... quibus olim utebantur ad nocendum christianis.

112. — II. Leges expressa *voluntate legislatoris* solvuntur, sive erga societatem, sive erga singulos subditos.

1. Legum mutatio *erga societatem* distinguitur, tum ratione effectus quem producit, tum ratione modi quo peragitur.

Ratione effectus, *abrogatio* differt a *derogatione* : per abrogationem lex tota, per derogationem pars legis tollitur.

Ratione modi, abrogatio et derogatio fieri possunt sive per *desuetudinem*, sive per *ordinationem ipsius legislatoris*. Hæc ordinatio est vel legis *revocatio*, vel *nova lex contraria*.

2. Erga singulos privatos, lex solvitur *dispensatione*, quæ in specie expendenda est.

II. — De dispensatione (3).

113. — *Dispensatio* est legis relaxatio ad tempus, legitima auctoritate facta, ex justa causa, in gratiam alicujus. — Quæ relaxatio, si perpetuo aliquem aut cœtum personarum eximat ab observantia legis, appellatur privilegium.

Ex ista definitione, ad dispensandum requiritur potestas et justa causa.

114. — I. *Potestas dispensandi his definitur regulis :*

Regula 1ª. A lege dispensare possunt legislator, ejus successor, et eorum

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. XI, § 8. — Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. I, tit. XI, § 5. — (2) S. Alph., lib. I, 199. — (3) S. Alph. lib. I, 178-198.

in jurisdictione superior. — Igitur dispensare valet S. Pontifex in omnibus legibus ecclesiasticis ; Episcopus in legibus diœcesanis.

Regula 2ª. Inferior dispensare nequit in legibus superioris, nisi facultas ipsi concedatur. Ratio est, quia dispensare est actus jurisdictionis ; atqui inferior non habet jurisdictionem in leges superioris. Unde dicitur in Clementinis : « Lex superioris per inferiorem tolli non potest (1). » — Inde colligitur Episcopum non posse dispensare in legibus generalibus, nisi in casibus ipsi concessis, sive indulto (2), sive consuetudine.

Regula 3ª. Potestas dispensandi, cum sit bono publico favorabilis, late interpretanda est ; — ipsa vero dispensatio, cum sit vulnus legis, regulariter strictam interpretationem patitur.

115. — II. *Causa ad dispensandum requisita.*

Regula 1ª. Illicita est dispensatio sine causa concessa. Ratio est, quia potestas datur in ædificationem (3).

Reluga 2ª. Valida est dispensatio sine causa a supremo legislatore concessa, quia legis obligatio pendet ab illius voluntate. Invalida vero erit, si concedatur ab inferiore et delegato, eo quod iste non accepit potestatem temere dispensandi.

Regula 3ª. Superior dispensat sub conditione sive expressa, sive tacita, *si preces veritate nitantur*. Dispensatio invalida est propter subreptionem aut obreptionem, id est, propter reticentiam veritatis aut falsitatis narrationem, quoties in petitione non exprimitur objectum dispensationis, vel error ingeritur circa causam finalem quæ principaliter movet ad dispensandum.

116. — III. *Cessat dispensatio:* 1° per revocationem ; 2° per renuntiationem a superiore acceptatam ; 3° per cessationem causæ finalis, non solum ante executionem, sed etiam post inchoatam executionem, nisi dispensatio sit absoluta, vel habeat materiam indivisibilem.

ARTICULUS II

DE LEGUM EXECUTIONE PROMOVENDA

Executio legum aperit viam duplici investigationi : — 1. An Ecclesiæ competat potestas applicandi leges ? — 2. Quali sanctione muniantur leges Ecclesiæ?

§ 1. *De potestate applicandi leges.*

Jus applicandi leges constat potestate *judiciaria* et *coercitiva*.

(1) Clement. *De electione*, cap. 2. — (2) Die 26 nov. 1897, Leo XIII approbavit in perpetuum decretum S. Officii, quo statuitur facultates omnes speciales a S. Sede Episcopis aliisque locorum ordinariis habitualiter concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire. Easdem vero generali modo subdelegare licet, nisi id prohibeatur in rescripto, cui omnino standum est (S. Offic. 17 dec. 1898).

(3) Concil. Trident. (sess. XXV, cap. XVIII *de Reform.*) : « Sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos ; quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum. »

I. — Potestas judicandi (1).

117. — I. *Ejus munia.* Potestas judiciaria duplici munere fungitur, nempe vel *lites* seu causas civiles componit, vel *crimina* seu causas criminales dijudicat.

118. — II. *Illius existentia.* Ista potestas competit Ecclesiæ tum ex voluntate Christi, qui Petrum et cæteros Apostolos eorumque successores constituit judices, tum ex natura societatis perfectæ. Etenim, competit societati perfectæ jus exigendi a suis quidquid necessarium est ad finem consequendum. Atqui ad finem consequendum necessaria est applicatio mediorum per leges propositorum ; id autem, spectata hominum indole, fieri nequit, nisi potestas habeat jus cognoscendi de sociorum actionibus, utrum legibus conformes sint ; qua in re judiciaria potestas consistit (1).

II. — Potestas coercendi (2).

119. — I. *Ejus munia.* Potestas coercitiva pariter fungitur duplici munere : leges exequitur, et pœnas infligit.

120. — *Illius existentia* probatur : — 1° *ex natura societatis perfectæ.* Societati perfectæ competit potestas legislativa et judiciaria. Atqui utraque potestas exigit jus coercendi, sine quo esset inefficax. Quid enim prodest potestas ferendi leges, si puniri non possint ii qui legibus non obediunt ? Quid juvat judicia exercere, si sententia executioni non mandetur ?

2° *Ex voluntate Christi.* Apostoli dicunt hanc potestatem coercendi sibi divinitus collatam fuisse, v. g. S. Paulus ait *In promptu se habere ulcisci omnem inobedientiam... ex potestate quam dedit sibi Dominus.* (II Corinth., x, 6-8).

§ 2. — *De sanctione qua muniuntur leges ecclesiasticæ* (3).

121. — Sanctio, etsi ad ipsam legis essentiam forte non pertineat, tamen ad efficacitatem legis necessaria est.

Definitur : Convenientis (præmii ac præsertim) pœnæ criminosis retribuendæ promissio, a legislatore facta.

Theoria pœnarum exhibet earum *finem*, *objectum* et *species*, atque *modum eas infligendi.*

122. — I. *Pœnarum finis* est reprimere *crimina*, nempe actiones imputabiles quibus externus societatis ordo perturbatur ; unde juris pœnalis *fundamentum* est jus et officium custodiendi ordinem in societate.

Eo quod delictis publicis inest *corruptio* delinquentis, *contagio* mali exempli et *contemptus* legum, pœnæ sunt erga delinquentem *medici-*

(1) Tarquini, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, p. 14. — (2) Cf. Encycl. Leonis XIII, *Immortale Dei*, § Nam Unigenitus. — (3) Tarquini, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, p. 17. — V. infra, n. 879 et seq.

nales, erga membra societatis *exemplares*, erga publicum ordinem *reparatrices*.

123. — II. *Pœnarum objectum*. Pœna ecclesiastica est præcipue malum *privationis* ab auctoritate inflictum, ad vindicandam inordinationem delicti. — Materia, qualitas et proportio pœnarum tales esse debent ut ad conservationem ordinis socialis sufficiant, siquidem pœnæ adhibentur tanquam medium ad hunc finem obtinendum.

Jamvero, præter sanctionem æternam, Ecclesia habet in terra *pœnas sibi proprias*, id est, suis legibus statutas et a judicibus ecclesiasticis infligendas.

Earum objectum sunt bona communionis christianæ, nempe jura sive generalia, sive specialia, quæ fideles exercent tanquam membra Ecclesiæ.

Ecclesia suis pœnis aliquando jura hujusmodi suspendit, sive omnia, sive quædam tantum; aliquando vero non tantum suspendit, sed etiam tollit ista jura, vel totaliter, vel ex parte.

124. — III. *Species pœnarum ecclesiasticarum*. Ecclesia utitur pœnis *vindicativis* et *medicinalibus ;* priores potissimum adhibentur ad vindictam criminis, posteriores autem ad delinquentis emendationem.

Pœnæ vindicativæ sunt *temporales* vel *spirituales*.

Præcipuæ pœnæ medicinales sunt *censuræ*, scilicet, *excommunicatio, suspensio et interdictum*.

125. — IV. *Modus infligendi pœnas*. Pœnæ ab Ecclesia infliguntur duplici modo : 1. *ipso jure* seu *ipso facto*, nempe quando pœna per solam criminis commissionem incurritur; 2. *ferenda sententia*, quando ad pœnam incurrendam requiritur sententia judicis.

TITULUS III

De speciebus legum in Ecclesia, seu de variis modis quibus exercetur potestas legifera.

126. — In præsenti titulo, agitur tantum de legibus auctoritate supremi legislatoris sancitis ; nam leges proprie particulares, scilicet, latæ a conciliis particularibus et Episcopis, opportunius expenduntur in *Parte speciali*, ubi de hierarchia jurisdictionis, in qua suum locum obtinent concilia particularia et Episcopi. Porro dicemus tum de variis modis ferendi leges, qui se habent ex parte legislatoris ; tum de iis qui se habent ex parte subjecti, sive ratione personarum, sive ratione loci. — Hinc tria capita : — 1. de exercitio auctoritatis Pontificiæ ; — 2. de privilegiis ; — 3. de jure canonico nationali.

CAPUT I

DE EXERCITIO AUCTORITATIS PONTIFICIÆ

Alia aguntur per ipsum S. Pontificem ; alia per Congregationes Romanas.

ARTICULUS 1

DE ACTIS IPSIUS S. PONTIFICIS

Distinguuntur 1° Constitutiones Pontificiæ, et 2° Rescripta, prout eduntur pro tota Ecclesia aut notabili illius parte, vel pro particulari negotio aut persona.

§ 1. — *De Constitutionibus Pontificiis* (1).

Ex apostolicis constitutionibus, velut ex uberrimo fonte, confecta est potior pars juris canonici. Constitutionum vero apostolicarum nomine veniunt leges a R. Pontificibus, tanquam universalis Ecclesiæ rectoribus, conditæ. Aliæ sunt *dogmaticæ* seu definitiones in rebus fidei aut morum ; aliæ vero *disciplinares*. Expendenda sunt earum nomina et forma.

127. — I. *Earum nomina.* Litteræ apostolicæ olim *auctoritates* nominabantur, quo melius significaretur illarum auctoritas. Verum usu temporis obsolevit ista nuncupatio, quæ nunc varia est pro variis speciebus litterarum pontificiarum.

Constitutiones disciplinares variis nominibus designantur, ratione materiæ. Dicuntur *constitutiones* proprie dictæ, si aliquid maximi momenti permanenter observandum statuant ; *decreta*, si motu proprio S. Pontificis editæ sint, nulla interveniente postulatione ; *decretales epistolæ* et *responsa*, si ad consultationem aut postulationem emissæ fuerint ; *encyclicæ*, si ad universos orbis Episcopos, aut saltem alicujus partis notabilis Ecclesiæ dirigantur. Quæ nomina velut synonyma sæpe usurpantur.

Vivæ vocis oracula dicuntur declarationes, decisiones et concessiones a S. Pontifice ore tenus factæ. Quæ scripto mandantur et ab officialibus curiæ romanæ consignantur, sunt authentica et vim habent in foro externo ; cætera vero in foro interno tantum valent.

128. — II. Ex diversitate formæ, litteræ apostolicæ distinguuntur in *Bullas* et *Brevia*.

1. *Diversitas sigilli :* — Bullæ (litteræ bullatæ) nomen suum accipiunt a numismate plumbeo chordulis sericis vel cannabeis appenso, cujus usum ad majora beneficia et solemniora S. Sedis acta limitavit Leo XIII (1878), subrogata pro cæteris litteris impressione sigilli rubri coloris imagines SS. Petri et Pauli referentis, inscriptione nominis S. Pontificis regnantis circumducta. — Brevia autem habent sigillum ceræ rubræ, in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis ; unde dicuntur expediri *sub annulo piscatoris*.

2. *Diversitas membranæ :* — pro Bullis subobscuræ et crassiores membranæ, — pro Brevibus albæ et subtiles adhibentur.

3. *Diversitas tituli :* — Bullæ incipiunt : *Leo, servus servorum Dei*, non in forma tituli, sed a capite versiculi ; — in Brevibus inscribitur titulus : *Leo, Papa XIII.*

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum Prolegomena*, cap. III. — Soglia, *Institutiones juris publici*, pars I, cap. II. — Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, liber isagogicus, cap. VI. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique*, tom. III, liv. II.

4. *Diversitas expeditionis :* — Bullæ in cancellaria apostolica expediuntur ; — Brevia, per Cardinalem a secretis Brevium.

5. *Diversitas finis :* — Brevia communiter pro levioribus ; — Bullæ pro gravioribus negotiis dari solent.

129. — *Diversitatem scripturæ* sustulit Leo XIII, characterem teutonicum seu longobardum, pro Bullis antea adhibitum, deinceps adhiberi prohibendo, et communi latino omnia S. Sedis acta exarari mandando.

§ 2. — *De rescriptis* (1).

Tria expendenda sunt : 1. notio, — 2. forma, — 3. effectus rescriptorum.

130. — I. *Definitio*. — Rescriptum, quoad nomen, est *responsum scriptum ;* at, quoad rem, rescriptum proprie acceptum definitur : *responsum Principis scripto datum ad consulentis vel supplicantis instantiam*.

Dicitur 1° *Responsum Principis*, nempe Summi Pontificis, a quo solo, si verborum proprietas tenenda est, in rebus ecclesiasticis rescripta conceduntur.

Dicitur 2° *Scripto datum ;* unde differt ab oraculo vivæ vocis.

Dicitur 3° *Ad instantiam* consulentis vel supplicantis ; unde ducta est potissima divisio in rescripta *justitiæ*, *gratiæ*, et *mixta*. — *Rescripta justitiæ* dantur ad justitiam inter litigantes judiciaiiter administrandam ; *rescripta gratiæ* præter aut contra jus ex liberalitate Principis procedunt ; *rescripta mixta* simul participant de gratia et justitia, v. g. concessio restitutionis in integrum (2) (V. n. 845).

131. — II. *Forma* consistit in tribus partibus rescripti, nempe narratione, supplicatione et conclusione : 1° *Narratio* supplicantis a rescribente repetitur ; 2° *Supplicationis causæ* ponderantur ; 3° *Conclusio* seu *dispositiva* est pars præcipua rescripti, qua S. Pontifex mentem suam aperit, declarando quid, qualiter et sub quibus conditionibus concedat (3).

Stylus curiæ vocatur norma tum rescripta petendi aut concedendi, tum in judicio procedendi, usu recepta, vel S. Pontificis decreto statuta.

132. — III. *Effectus rescriptorum* a voluntate rescribentis pendet ; juxta regulas sequentes illorum vis determinatur :

Regula 1ª. Attendenda est principaliter conclusio, qua directe S. Pontifex mentem suam definit et intimat.

Regula 2ª. Rescriptis ordinarie inesse censetur hæc conditio : *si preces veritate nitantur*, aut *si ita est*. Sed excluditur, quando S. Pontifex rescribit sub formula : *ex certa scientia*.

Regula 3ª. Rescriptum est invalidum propter obreptionem vel subreptionem, si falsitatis expressio vel veritatis suppressio voluntatem S. Pontificis determinaverit ; vel si illud obtinens sit censura innodatus. Unde oratores ex stylo curiæ prius a censuris ad cautelam absolvuntur, ad effectum duntaxat gratiam consequendi.

(1) *Decretalium* lib. I, tit. 3, *De rescriptis*. — (2) Zallinger, *Jus canonicum*, lib. I, tit. 3. — (3) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. I, tit. 3.

Regula 4ª. Generatim rescripta jus speciale faciunt in iis tantum causis et personis pro quibus edita sunt (1).

Regula 5ª. Aliquando rescripta jus universale constituunt, videlicet quoties S. Pontifex, ad consultationem respondendo, interpretatur vel facit jus commune. Ejusmodi decisiones eo consilio edi solent, ut ad decidendos similes casus inserviant. Unde ait Innocentius III : « In similibus causis cæteri tenentur similiter judicare (2). » Notum est libros Decretalium et Extravagantium editos fuisse, ut singula quæ in iis continentur decreta in pari causa vim legis habeant.

ARTICULUS II

DE ACTIS CONGREGATIONUM ROMANARUM

Declaranda venit : 1. Indoles ipsarum Congregationum ; — 2. Multigeneris auctoritas decisionum ab eis editarum.

§ 1. — *Indoles congregationum romanarum* (3).

133. - I. Varia fuit forma Curiæ romanæ, cujus distinguitur triplex ætas, nempe Conciliorum romanorum, Consistorii et Congregationum.

1. *Ætas Conciliorum romanorum.* — Ante sæculum XI, consueverunt SS. Pontifices causas ecclesiasticas judicare in conciliis romanis, quibus intererant Episcopi suburbicarii et alii, cum presbyteris et diaconis Ecclesiæ romanæ.

2. *Ætas Consistorii.* — Crescente numero fidelium et negotiorum ad Sanctam Sedem confluentium, viciniores Episcopi facti sunt membra Sacri Collegii quod, imaginem concilii præ se ferens, evasit ordinarium S. Pontificis consilium. In consistorio Cardinalium plurima negotia judicabantur.

3. *Ætas congregationum.* — A sæculo XVI, adhuc in dies crescente multitudine causarum ad Curiam romanam devolutarum, SS. Pontifices, ne opprimerentur onere administrationis, cui Consistorium jam non sufficiebat, instituerunt varias Cardinalium Congregationes, quibus singulis diversæ causæ assignantur.

134. — II. Congregationes romanæ sunt *distincti Cardinalium cœtus a SS. Pontificibus instituti, ad certa negotia curanda, discutienda et judicanda sua auctoritate.*

Nimirum auctoritas S. Pontificis, cum ipse solus omnibus negotiis satisfacere nequeat, velut multiplicata singulis Congregationibus communicatur. Nam earum membra sunt judices ordinarii qui, juxta limites muneris determinati, potestatem apostolicam exercent more tribunalis supremi, salvis prærogativis personalibus Pontificum, inter quas eminet infallibilitas, quæ prorsus incommunicabilis est.

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars I, cap II. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. 27. — (3) Analecta juris Pontificii : *des Congrégations romaines*. — Bouix, *de Curia romana*. — Vid. infra, n. 354 et seqq.

Igitur, sicut Vicarius generalis unum tribunal cum Episcopo constituit, ita Congregationes semper agunt nomine S. Pontificis. Unde Benedictus XIV ait : « Earum voce suas Sedes Apostolica declarat sententias. »

§ 2. — *Multigeneris auctoritas decisionum a Congregationibus romanis editarum* (1).

Congregationum decisiones duplici modo jurisprudentiæ canonicæ inserviunt.

135. — I. Ejusmodi decisiones *æquivalent saltem sententiis judicialibus definitivis*, siquidem Congregationes sunt tribunalia Sedis Apostolicæ. Atqui sententiarum definitivarum effectus dicitur *res judicata*, id est, appellationem excludens et executioni mandanda, nisi a S. Pontifice obtineatur beneficium novæ audientiæ, ut causa iterum proponatur ac discutiatur.

Auctoritas vero sententiæ judicialis sua natura fertur in casus particulares, cum sit applicatio juris generalis ad singula. Inde colligitur Congregationum responsa non extendi ad casus dissimiles, pro quibus data non sunt. Imo occurrunt in collectionibus decreta contraria, quorum diversitatis causa sunt diversæ circumstantiæ et mutatio jurisprudentiæ.

Insuper nonnullæ decisiones non respiciunt nisi personas pro quibus dantur, v. g. sententiæ quibus lites dirimuntur ex regulis prudentiæ, habita ratione circumstantiarum, non ad strictos juris apices.

136. — II. Plurimæ decisiones *obtinent vim legis*. Ratio est, quia potestas judiciaria leges applicat juxta sensum quo propositæ sunt ; quod involvit duo judicia, alterum de subditorum actionibus, alterum de vero legum sensu. Propterea supremi tribunalis duplex munus est, nempe legem applicare et interpretari (2).

Igitur, quamvis Congregationes institutæ fuerint potissimum ad leges applicandas, tamen sæpius accidit ut earum decreta vim legis obtineant. Id contingit in sequentibus casibus : 1° Si decisiones ejusmodi de mandato S. Pontificis promulgentur tanquam decreta generalia ; — 2° Si declarationes sint mere comprehensivæ seu legem interpretentur, quin sensum legis proprium extendant ; sicut enim jus commune societatem obligat, ita et illius interpretatio nomine S. Pontificis edita.

Decisionum uniformitas in casibus similibus inducit *praxim* fori seu jurisprudentiam Curiæ romanæ, quæ per se non facit jus, sed præsumptionem juris ; unde decreta quæ ad particularium instantias aut quæsita lata sunt, ad normam et exemplum pro iisdem et similibus casibus in Ecclesia universali deserviunt (3). Ista jurisprudentia non est omnino immobilis, sed aliquando pro temporibus mutatur, ut patet ex interpre-

(1) Stremler, *des Peines ecclésiastiques, de l'Appel et des Congrégations romaines.* — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. II, cap. III. — (2) Tarquini, *Juris ecclesiastici publici institutiones*, lib. I, cap. 1. — (3) Simor, *Episcopus Jaurinensis*, dissert. *De Congregationibus romanis et illarum auctoritate.* — S. C. Rit., 15 jan 1897. — Thesaurus resolut. Congr. Conc. tom. 108, p. 163.

tatione suspensionis *ex informata conscientia*, quam modo perpetuam, modo temporaneam tantum admisit S. Congregatio Concilii.

Ut decreta SS. Congregationum vim legis obtineant, requiritur, juxta statuta SS. Pontificum : 1. Ut procedant in forma authentica, solito sigillo et subscriptione Præfecti et Secretarii ejusdem Congregationis munita ; — 2. Ut referatur in ipsis decretis decisiones fuisse pronuntiatas, consulto S. Pontifice ; — 3. Ut Cardinales declarent et interpretentur tantum, non vero disponant aut amplient ultra vim verborum et regulas juris ; si enim declarationes sint extensivæ, id est, disponant ultra quod verba legum proprie denotant, non habent vim legis, nisi fiant ex speciali mandato Papæ (1). Unde SS. Rituum Congreg., de vi suorum decretorum consulta, respondit (5 junii 1885) : *Sua decreta a S. Pontifice confirmata omnino servanda esse.*

137. — Porro circa vim decretorum Congregationum romanarum, Benedictus XIV (2) hæc habet : « Opus est adnotare aliqua interdum a sacris Urbis Congregationibus edi responsa, quæ, licet juri communi sint conformia, non tamen labefactant contraria synodorum statuta, quæ alicubi justis de causis vigeant, neque ab istis in posterum servandis quempiam excusant ; » v. g. prohibitio celebrandi missam in oratoriis publicis ante missam parochialem stat, quamvis Cong. Conc. decreverit de rigore juris hoc non posse a parocho prohiberi. — « Si quid declarationibus S. Congreg. contrarium ab episcopis prædecessoribus vel a legitima consuetudine fuerit inductum, ait Zamboni (Collect. declar. supplem. § XV), non debent episcopi vi harum declarationum subditos compellere ad illarum observationem, cum nec contraria statuta synodorum, nec legitimos locorum usus eædem resolutiones invertere ac labefactare censeantur. » — Hinc sapienter concludit Maschat : « Si immutanda sunt quæpiam in diœcesibus recepta et usu firmata, expectandum erit mandatum ordinarii. » (Proleg. juris can. § IV, 22.)

CAPUT II

DE PRIVILEGIIS (3)

Dicenda de privilegiis reducuntur ad eorum 1. definitionem ; — 2. divisionem ; — 3. acquisitionem ; — 4. effectus ; — 5. interpretationem ; — 6. amissionem.

138. — 1. *Eorum nomen et definitio.* Privilegium etymologice *lex privata* vel *privans lege*, nunc lato, nunc stricto sensu sumitur. Lato sensu, privilegia dicuntur etiam illæ juris dispositiones quæ pro certo genere personarum singulariter constitutæ sunt, v. g. privilegia clericorum. Gratiæ hujus generis potius leges singulares sunt quam privilegia, partemque juris communis efficiunt (4).

Stricte acceptum, privilegium est *exceptio singularibus personis, locis vel institutis concessa ex superioris benevolentia.* Ejusmodi privilegia sunt exceptiones a regula juris communis, et ad jus particulare in sensu strictissimo pertinent. De his potissimum hoc loco disseritur.

(1) Ferraris, verbo *Congregationes*, n. 4. — Brabandere, n. 228 et seqq. — (2) *De synodo diœc.*, lib. XII, cap. VII, n. 7. — (3) *Decret.* lib. V, tit. 33, *De privilegiis.* — S. Alph., lib. I, Append., *De privilegiis* — (4) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. 33.

Itaque privilegium definitur: *concessio juris specialis permanentis a legislatore*. Inde tria inferuntur: 1. juri concesso respondet in aliis obligatio, saltem negativa, non impediendi ejus usum ; 2. cum privilegium sit jus speciale, exemptio non extenditur ad personas vel casus non expressos ; 3. privilegium, quatenus est jus permanens, differt a dispensatione et licentia.

139. — II. *Dividuntur* privilegia ratione *materiæ*, *formæ*, *concedentis*, et *subjecti* (1).

1. Ratione materiæ, distinguitur privilegium *contra* vel *præter* legem, prout legibus derogat, v. g. exemptio regularium, vel præter illas existit, v. g. facultas permanens absolvendi a reservatis.

2. Ratione formæ, conceditur scripto, vel vivæ vocis oraculo ; in corpore juris continetur, vel extra illud exulat.

3. Ratione superioris concedentis, privilegium *gratiosum* ex mera liberalitate conceditur, v. g. privilegium altaris ; *remuneratorium* datur ob merita personarum, qualia generatim sunt privilegia Regularium ; *onerosum* seu conventionale accipitur per modum contractus cum reciproco onere, v. g. juspatronatus.

4. Ratione subjecti cui privilegium conceditur, alia privilegia sunt *personalia*, quæ alicui personæ nominatim inhærent ; alia vero *realia*, quæ directe et immediate alligantur rei, loco, statui, muneri, dignitati, ratione cujus redundant in personas.

140. — III. *Acquiritur* privilegium vel *directe*, *per concessionem principis*, aut consuetudinem rite præscriptam ; vel *indirecte*, *per communicationem*.

1. Ad potestatem legislativam pertinet privilegia *concedere*, tum quia solus legislator potest a legibus eximere, tum quia obligandi sunt alii ne privilegiatum in usu gratiæ impediant. Verum potestas concedendi privilegia restringitur ad materias dispositioni concedentis subjectas ; unde contra jus commune solus S. Pontifex privilegia indulgere valet (2). — Privilegia præter legem concedi possunt etiam non subditis, siquidem sunt actus meræ liberalitatis. — Ad concessionem privilegiorum refertur eorum confirmatio vel innovatio.

2. Privilegium jam existens acquiritur per *communicationem*, quando superior privilegium uni prius concessum ad alterum extendit, v. g. privilegia unius universitatis alteri universitati communicari solebant, atque inter Ordines Mendicantes fit communicatio privilegiorum.

Datur duplex communicatio : — 1° per *extensionem* seu *accessorie*, si privilegium unum et idem ad alios extendatur, illos quasi aggregando privilegiatis ; tunc, si augeatur vel minuitur privilegium in his quibus fuit primo concessum, augetur et minuitur in omnibus aliis ; — 2° *ad instar*, cum ad exemplum et similitudinem alterius conceditur. Si id fiat *æque principaliter* seu *pariformiter*, utrumque privilegium stat per se et independenter ab alio ; ideo si augeatur aut minuatur privilegium pro

(1) Inst. mor. Alph., n. 249. — (2) Cf. Breve Leonis XIII, 18 april. 1897, *de privilegiis Americæ latinæ*.

eo cui prius concessum est, non augetur vel minuitur pro aliis (1). Hujusmodi habetur communicatio inter viros regulares.

141. — IV. *Effectus* privilegii consistit in facultate, non vero regulariter in necessitate eo utendi. — Usus privilegii duo importat : 1° Per illud juri communi derogatur, quando juri communi contrarium est. Sed si privilegium contrarium sit juri speciali, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria istius juris. — 2° Qui in usu privilegii turbatur vel impeditur, pro asserendo jure suo potest judicis defensionem implorare.

Privilegiatus non tenetur uti privilegio privato, sed favori suo renuntiare potest. Tenetur autem eo uti, quoties privilegium ex fine suo publicum est, v. g. si cedat in bonum commune, vel si reale sit, et addictum loco vel dignitati. Sic clericus tenetur uti privilegiis canonis et fori.

142. — Ordinariis locorum *exhiberi* debent privilegia aut saltem apographa eorum fide digna, 1° quoties adest clausula jubens Ordinarium certiorari, vel ejus recognitionem præmitti publicationi ; 2° quoties sunt usus publici, et versantur circa res aut personas Ordinario subditas, v. g. absolutionem diœcesanorum, exemptionem a jure communi vel ab auctoritate ipsius Ordinarii.

143. — V. *Interpretatio* doctrinalis privilegiorum fit juxta regulas sequentes :

1. Ejusmodi interpretatio sic fieri debet ut, spectata materia, privilegium quemdam favorem specialem operetur *contra* vel *præter* legem.

2. Inhærendum est proprietati verborum, secundum communem acceptionem et receptum stylum curiæ.

3. Late interpretanda sunt privilegia mere favorabilia et concessa in favorem religionis ; stricte vero interpretanda sunt privilegia odiosa seu adversa juri communi, vel juri quæsito tertii, juxta regulam 15^{am} in 6 : *Odia restringi et favores convenit ampliari.*

144. — VI. *Amittuntur* privilegia : 1. *Ipso facto*, videlicet *destructione totali* rei aut *interitu* personæ cui addictum est privilegium reale aut personale, vel *lapsu temporis* ad quod datur, vel *defectu conditionis* sub qua conceditur.

2. *Renuntiatione* expressa vel tacita et acceptata. Si privilegium contineat privatum favorem personæ, ad validam renuntiationem requiritur tantum consensus concedentis ; etenim juri suo quilibet renuntiare potest. At, si privilegium contineat favorem publicum, privilegiatus ei renuntiare nequit.

Per simplicem *non usum* generatim non amittuntur privilegia, nimirum *non usu* non amittitur privilegium quo datur mera facultas agendi vel omittendi, v. g. privilegium sacrificandi ante auroram. Attamen *non usu* et *usu contrario* amitti possunt privilegia quæ gravamen tertii continent ; nam, si quis legitimo tempore non utatur privilegio ejusmodi, tacite censetur illud præscriptioni submittere.

3. *Revocatione concedentis*, vel successoris ejus, privilegiato intimata.

(1) Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, lib. V, tit. 33.

— Hæc revocatio est tacita vel expressa : *tacita* fit per novam legem sine clausula derogatoria, quoties illa lex nequit aliter suum effectum sortiri ; *expressa* fit per clausulas a legislatore adhibitas sive in nova lege sive in alio actu. Ad revocationem sufficit ordinarie clausula generalis : *non obstantibus quibuscumque privilegiis ;* privilegia vero specialibus clausulis munita non nisi speciali et expressa mentione revocantur.

Privilegia mere gratiosa sine causa revocari non solent, quia illud a dignitate superioris alienum esse videtur. Alia privilegia, præsertim ea quibus inest ratio conventionis, pro libitu unius partis revocari non possunt ; sed justæ causæ ea revocandi sunt *abusus privilegii* et *necessitas publica* (1).

CAPUT III

DE JURE CANONICO NATIONALI

Duplex occurit quæstio : alia generalis, de jure nationali in genere ; alia specialis, de jure gallicano.

ARTICULUS I

DE JURE NATIONALI IN GENERE (2).

Tradita ejus notione, dicemus de illius dependentia erga Sanctam Sedem.

§ 1. — *Notio juris canonici nationalis.*

145. — I. Jus nationale est *complexio legum Ecclesiis* alicujus gentis *propriarum*. Jamvero jus Ecclesiis alicujus gentis proprium duplici modo spectari potest, nempe vel quatenus complectitur leges particulares præter jus commune statutas, vel quatenus juri communi derogat.

Vigere posse leges ecclesiasticas alicui genti proprias priori sensu nemo negat, siquidem præter potestatem supremam, qua condi possunt leges particulares sicut leges generales, sunt in Ecclesia legislatores diœcesani et provinciales, imo concilia plenaria seu nationalia, quibus intersunt omnes episcopi alicujus gentis.

Verum nomine juris nationalis intelligi solet, juxta secundam significationem, quædam juri communi derogatio apud Ecclesias alicujus nationis. — Quapropter jus nationale definitur : *Jus alicui genti proprium et juri communi derogans.*

146. — II. Jus nationale vel tale fuit ab initio per derogationem juri communi factam, vel evasit nationale, quia mutato in cæteris Ecclesiis jure communi, hoc firmum in aliqua natione permansit.

(1) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. 33. — (2) Boulx, *De principiis juris canonici*, pars I, sect. III, cap. I. — Phillipps, *Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux* t. III, liv. II.

Iterum, jus derogatorium ab initio vel concessum est per simplex privilegium, vel per Concordatum.

Denique, privilegium exemptionis introductum est vel expresso Superioris consensu, vel consuetudine per tacitum illius consensum firmata.

§ 2. — *Dependentia juris nationalis erga S. Sedem.*

147. — I. *Omne jus canonicum nationale, ut sit legitimum, auctoritate R. Pontificis inniti debet.* — Etenim jus hujusmodi, cum sit derogatio juri communi facta, firmari nequit nisi auctoritate Sanctæ Sedis. Alioquin statueretur vel a potestate civili, vel ab alia potestate ecclesiastica, vel a consuetudine. Atqui nihil eorum dici potest:

Prima hypothesis rejicitur, eo quod ad potestatem civilem non spectat leges ecclesiasticas condere, vel ab eis eximere.

Altera sibi contradicit, quatenus juris nationalis fundamentum ponit in alia potestate spirituali præter Sedem Apostolicam. Ista enim potestas esset, vel concilium particulare, sive nationale, sive provinciale; vel dignitas patriarchalis, primatialis aut metropolitana; vel auctoritas singulorum Episcoporum. Atqui nulla ex his potestatibus legitimam juri communi derogationem statuere valet. Id agere nequit concilium nationale, quod, nedum possit leges universales mutare, iis obedire jubetur. Idem dicendum est a fortiori de concilio provinciali. — Neque Patriarchæ, Primates aut Metropolitæ; suam enim auctoritatem mutuantur ab Apostolica Sede, quæ illorum gradus instituit. — Neque singuli Episcopi, cum R. Pontifici et legibus generalibus subjiciantur.

Tertia hypothesis nihil probat. Equidem consuetudo alicujus regionis ita potest invalescere contra jus commune, ut vim legis obtineat, et in nonnullis rebus illam regionem sub particulari jure constituat. Sed ideo tantum in jus erigitur consuetudo, quia consensus legislatoris ei accedit. Ergo jus nationale derogatorium, etiam ubi ex moribus exsurgit, auctoritate R. Pontificis innititur.

148. — II. *Jus canonicum nationale a R. Pontifice irritari potest*, sive inductum sit per privilegium aut consuetudinem, sive fuerit initio jus commune in cæteris Ecclesiis postea mutatum, sive Concordato firmetur.

Prob. 1ª *pars*. Qui concessit privilegium, potest illud revocare. Proinde ubi exemptio introducta fuit, sive per privilegium scriptum, sive per consuetudinem approbatam, S. Pontifex potest jus nationale irritare, vel privilegium revocando, vel consuetudinem non amplius approbando.

Prob. 2ª *pars*. Etiamsi jus nationale fuerit prius jus commune, et nationale non evaserit, nisi quia jus commune, alibi mutatum, in aliqua regione perseveravit, pendet tamen a R. Pontifice, qui potest illud mutare.

Equidem ab aliquibus perperam affirmatum fuit R. Pontificis potes-

tatem auctoritate veterum canonum et jure particularium Ecclesiarum restringi. — Ut autem erroris fundamentum convellatur, satis erit animadvertere quæstionem fieri vel de validitate mutationis, vel de ejus licitate.

Si de *validitate* agatur, S. Pontifici velut supremo legislatori competit potestas in jus commune, siquidem Primatus a Christo ita institutus est, ut nulla humana auctoritate circumscribatur.

Si vero de *licitate* sit sermo, requiritur quidem ut mutatio non fiat nisi rationabili de causa ; sed R. Pontificis est de ea judicare.

Igitur jus nationale, etiam ubi ab antiquo jure communi suam ducit originem, non est inviolabile.

Probatur 3ª *pars*. R. Pontifex potest, juxta exigente causa, irritare jus canonicum nationale, etiam Concordatis firmatum.

Concordatum enim spectatur vel ut privilegium, vel ut contractus. — Si prius, R. Pontifex habet potestatem illud irritandi ; nam ex gravi causa possunt privilegia revocari. — Si posterius, R. Pontifici licet hunc contractum, vel annuente potestate civili rescindere, vel non servatis conditionibus rescissum declarare.

ARTICULUS II

DE JURE GALLICANO

Rejecto Gallicanismo tanquam errore damnato, genuina tradetur notio juris gallicani legitime nunc vigentis.

§ 1. — *Rejicitur Gallicanismus.*

149. — Nomine Gallicanismi veniebant (præter errores circa fidem) certæ derogationes juri communi, inconsulto et dissentiente Romano Pontifice introductæ, et tanquam *libertates gallicanæ* celebratæ. Istius systematis natura et falsitas ex mox dicendis manifestæ erunt.

Libertatum gallicanarum systema (1).

Istæ innotescunt ex earum origine, declaratione et consectariis.

150. — I. *Illarum origo.* Nonnulli, Gallicanismi ortum præclaro nomine honestare studentes, illum magna cum injuria S. Ludovico IX adscribunt. At vera earum origo repetenda est a miserrima schismatis occidentalis ætate, ex quo tempore, plurimis causis urgentibus, v. g. Protestantismi contagione, Jansenistarum fraude et politicæ potestatis superbia, sensim increverunt. Demum solemnibus formulis fuerunt expressæ, quum, Ludovico XIV adversus Innocentium XI hostiles animos

(1) Tarquini, *Institutiones juris publici*, lib. II, cap. II. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, liv. II, tit. 2º, 30.

gerente, ab aliquibus Episcopis, anno 1682 ejusdem regis jussu congregatis, edita est famosa quatuor articulorum declaratio.

151. — II. *Declarationis quatuor articuli.* Primus est, R. Pontificum nullam esse in reges et civilia negotia, nec indirectam quidem, potestatem.

2us, Concilii generalis auctoritatem R. Pontificis auctoritate esse superiorem.

3us, Potestatem Sedis Apostolicæ coarctari *a*) per canones jam conditos; *b*) per consuetudines atque instituta a regno et ab Ecclesia gallicana recepta.

4us, R. Pontificis judicium infallibile censendum non esse, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

152. — III. *Consectaria.* Licet ad Ecclesiam turbandam plurima ex iis propositionibus deduci possint, tria tamen infelici celebritate insigniora revera ex eis dimanaverunt, quæ veluti regni instituta ad tertium articulum revocantur :

1° *Appellatio ab abusu*, nempe illa misera consuetudo subjiciendi Ecclesiam magistratibus civilibus, ad eos appellando a sententiis judicis ecclesiastici.

2° *Placitum regium*, id est, pessima altera consuetudo qua constitutiones apostolicæ et Episcoporum litteræ pastorales edi servarique vetantur, nisi civilis magistratus permittat.

3° *Regius patronatus* et custodia canonum, quorum prætextu gubernium sibi vindicat facultatem quibuslibet Ecclesiæ negotiis se immiscendi.

153. — Hæ sunt libertates gallicanæ, quas Fenelonius *servitutem erga regem, et adversus R. Pontificem licentiam* merito appellavit, ut facile intelligit quicumque ad scopum, media, et effectus prædictæ declarationis attendit. *Scopus* nimirum insinuatur articulo primo ; *media* tribus sequentibus; *effectus* præcipui continentur in tribus consectariis quæ commemoravimus.

Jam vero, prædictam declarationem reprobarunt plures romani Pontifices, nempe Innocentius XI litteris in forma Brevis, die 13 aprilis 1682 ; Alexander VIII Const. *Inter multiplices*, die 1 augusti 1690; et Pius VI Const. *Auctorem fidei*, die 28 augusti 1794 (circa fin.). Imo eam rejecerunt illius auctores, nempe Episcopi et ipse Ludovicus XIV, litteris seorsim datis ad Innocentium XII, anno 1693.

Istius systematis confutatio (1).

154. — Hoc systema, pluries a S. Sede reprobatum, solemniter damnatum fuit a Concilio Vaticano, quod definivit : « Romanum Pontificem habere plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, et hanc ejus potestatem esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles. »

(1) Cf. Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, vol. III, liv. I, § 135. — Bouix, *De principiis juris canonici*, pars I, sect. III, cap II.

— Inde facile concluditur Sedis Apostolicæ auctoritatem coarctari non posse, neque per jam conditos canones, neque per ullas introductas consuetudines. — Adde, quartam *declarationis* propositionem formaliter damnatam fuisse ab eodem Concilio definiente Romanum Pontificem, quum ex cathedra loquitur, infallibilitate pollere, ideoque *ejus definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.*

Cæterum, Gallicanismi error per se manifestus est; quatuor enim articuli vel sunt veri, vel falsi. Si veri essent, non magis constituerent jus Galliæ quam cæterarum gentium : si vero sint falsi, nullo modo jus in Gallia constituere possunt.

§ 2. — *Jus gallicanum legitime nunc vigens.*

155. — Triplex datur ejus definitio, alia erronea, alia æquivoca, et alia recta.

Erronea est ista olim pervulgata definitio : *Jus constanter sequendi receptos Ecclesiæ canones et antiquas Galliæ consuetudines, quidquid de novo in contrarium decernatur.* Etenim non convenit nisi Gallicanismo, qui concinne definiretur : *arbitrium ex Ecclesiæ legibus ea retinendi quæ Gallis placent;* nam sacros canones distinguebat in receptos et non receptos in Gallia.

Æquivoca est altera definitio : *Jus Ecclesiis Galliæ proprium*; nam ex usu loquendi, hæc verba derogationibus sive legitimis, sive illegitimis conveniunt.

Jus canonicum gallicanum recte definitur : *Variæ apud Ecclesias Galliæ juri communi derogationes, auctoritate R. Pontificis firmatæ.*

156. — Hinc sequitur jus canonicum in Gallia nunc vigens (præter jus provinciale et diœcesanum) ex duplici fonte determinari, nempe ex jure communi, atque ex Concordato et posterioribus Ecclesiæ dispositionibus.

I. *Standum est juri communi*, quoties non constat ei derogatum fuisse. Jamvero hæc regula, cujus veritas patet, ita intelligitur : ad determinandum jus canonicum Galliæ, non inquirendum est quid fuerit juris nationalis ante Concordatum, sed tantum quid sit vel a jure communi, vel a Concordato et subsequentibus legibus statutum.

Ratio est, quia per bullam *Qui Christi Domini*, priscus ecclesiarum Galliæ status fuit abolitus. Hæc sunt verba Pii VII : « Supprimimus, annulamus et extinguimus titulum, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum... cum respectivis earum juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis... Non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus. »

Ex ista constitutione deducitur revera extinctum fuisse priscum jus gallicanum, quatenus veteribus diœcesibus et provinciis ecclesiasticis connexum erat; sed illius vim plus æquo ampliant qui cum Bouix contendunt penitus abolita fuisse etiam ea quæ non erant connexa diœcesium circumscriptioni, ita ut novæ ecclesiæ similes fuerint iis quæ fundantur

apud infideles ; nam constat v. g. indulgentias quibusdam locis concessas perseverasse, patronos olim electos haberi ut legitimos, veteres parochias non concordato ipso fuisse suppressas, sed decreto subsequenti cardinalis Legati, etc. (V. Craisson, n. 153-4).

II. *Disciplina Ecclesiis Galliæ propria generatim constituitur a Concordato et subsequentibus dispositionibus S. Sedis.*

157. — 1. *Concordatum*, inter Pium VII et Napoleonem anno 1801 initum, quasdam quidem juri communi derogationes induxit, numero tamen pauciores ; non enim respiciunt nisi diœceses circumscribendas et Episcopos nominandos, parochiarum erectionem et parochorum nominationem, alienationem bonorum ecclesiasticorum, et congruam cleri sustentationem (1).

Concordato accedunt Bullæ et Brevia Pii VII, atque Legati decreta quibus ad executionem deductum est.

158. — Simul cum Concordato (8 aprilis 1802) Gubernium promulgavit quasi codicem ecclesiasticum, sub nomine : *Articles organiques du culte catholique.* In iis proclamantur *libertates* prætensæ ecclesiæ gallicanæ ; necessitas *placiti* imponitur pro omnibus Litteris Curiæ Romanæ, etiam privatos tantum respicientibus ; appellationes ab abusu *admittuntur* ; jubetur edoceri in seminariis declaratio cleri gallicani, etc.

Contra illos *articulos organicos* pluries reclamavit S. Sedes, sed a gubernio non fuerunt revocati nisi ex parte, ipsique semper fuerunt atque nunc sunt instrumentum Ecclesiæ opprimendæ (2). Notandum tamen quod S. Sedes ab initio non omnibus cum eadem severitate restitit, et decurrentibus annis quorumdam applicationem admisit, v. g., circa parochias amovibiles et nominationem parochorum eis præpositorum.

159. — *Articulis organicis* affinia sunt *Jura regalia* (*la régale*) quorum vi reges Galliæ, tolerante aut etiam concedente S. Sede, suscipiebant administrationem temporalem diœcesium vacantium, fructus *mensæ episcopalis* faciebant suos, et multa beneficia conferebant. Ista jura seu privilegia *regalia* in novo rerum ordine non solum diuturna desuetudine abrogata sunt, sed etiam Concordato, in quo S. Pontifex Pius VII recognoscit in Præside Gubernii Gallici sola jura ac privilegia quibud *apud S. Sedem* fruebatur antiquum regimen, et cætera implicite aut dispositionibus contrariis extinguit. Unde iniquæ usurpationis et oppressionis argui debet exercitium veterum jurium regalium, aliquando attentatum sub regimine novissimi Concordati.

160. — 2. *Subsequentes S. Sedis dispositiones* sunt acta quibus R. Pontifices in Gallia juris observantiam promoverunt, v. g. circa Liturgiam. His accedunt legitimæ consuetudines, sive ab antiquo vigentes, sive recentius inductæ.

(1) Vide *Concordati* textum aliaque documenta apud Emilium Ollivier : *Nouveau Manuel de droit ecclésiastique français.*

(2) Craisson : *Manuale totius juris canonici*, n. 232. — Cf. Hébrard : *Les articles organiques.* —

Ad recte judicandum de consuetudinibus vigentibus, tres dantur regulæ :

Regula 1ª. Adversus multiplicem Galliæ praxim legibus ecclesiasticis contrariam Rom. Pontifex reclamavit, data occasione, v. g. quoad liturgias particulares, casus S. Pontifici reservatos.

Regula 2ª. Quædam consuetudines requisitis conditionibus satisfacere possunt, etiam antiquæ, *populi moribus constantes*, quas bulla executionis Concordati non abrogavit, dum extinxit quæcumque pertinebant ad anteriorem statum diœcesium et capitulorum (1).

Regula 3ª. In dubio jus commune possidet, nisi S. Sedes consulta indulgeat ei derogari, ut fecit quoad amovibilitatem majoris partis parochorum.

(1) Brabandere, n. 74.

LIBER SECUNDUS

DE COLLECTIONIBUS CANONUM

PROŒMIUM. — DE COLLECTIONIBUS GENERATIM

161. — Collectiones canonum sunt *fontes* juris canonici, e quibus canonista haurit argumenta sua, sicut theologus e locis theologicis argumenta theologica.

Nullis initio ecclesiastica disciplina legibus scriptis, sed traditis ab apostolis et eorum successoribus regebatur institutis, quæ deinde, ne incerta vagarentur, brevibus sententiis seu canonibus scripto tradebantur.

Postmodum, canones Conciliorum et Summorum Pontificum decreta, diversis temporibus et locis constituta, in unum codicem colligi cœperunt; unde prodierunt canonum *Collectiones*, quarum quædam integros habent canones, aliæ contractos, aliæ vero leges civiles cum canonibus (1).

162. — II. De collectionibus hæc generatim animadvertenda sunt :

1. In causis fidei, nulla esse potest inter Ecclesias differentia ; sed, illæsa unitate, varia potest esse disciplina Ecclesiarum. Hinc quædam Ecclesiæ suas canonum collectiones habuerunt, in quas, præter canones generales, illi quoque congesti sunt quos singulæ provinciæ et diœceses sibi proprios constituerant, sicut in breviario romano, præter officia communia, reperiuntur propria quibusdam diœcesibus et provinciis.

2. Sola canonum in unum codicem collectio nullam eisdem canonibus auctoritatem addit. Proinde canones in unum codicem a privatis auctoribus collecti non aliam auctoritatem obtinent, præter eam quam acceperunt ex fontibus unde desumpti sunt. Itaque, ut canones ratione collectionis vim aliquam consequantur, oportet collectionem ipsam publica auctoritate confectam aut saltem probatam esse, sicut ipsa symbola fidei. Unde collectiones Gratiani et Gardellini nullam addiderunt vim singulis documentis quæ in iis continentur, dum collectiones decretalium, qua tales, vim legis consecutæ sunt, ex voluntate romanorum Pontificum.

3. Ex quibusdam collectionibus, propter defectum authenticitatis vel integritatis, nihil certi hauriri potest (2).

(1) Zallinger, *Historia fontium juris canonici*, cap. I. — (2) Soglia, *Prænotiones in jus ecclesiasticum*, cap. III. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. I.

Collectiones canonum in tribus titulis expendentur :

Titulus I. **Collectiones juris antiqui.**
Titulus II. **Collectiones juris novi.**
Titulus III. **Collectiones juris novissimi.**

TITULUS I

Collectiones Juris antiqui.

163. — Numerantur : 1. Canones et Constitutiones Apostolorum ; — 2. Collectiones græcæ ; — 3. Collectiones latinæ ; — 4. Falsæ Decretales.

CAPUT I

CANONES ET CONSTITUTIONES APOSTOLORUM

Antiquissima cujus mentio fit, est collectio *Canonum Apostolorum*, cui subjiciuntur octo libri *Constitutionum Apostolicarum*.

ARTICULUS I

DE CANONIBUS APOSTOLORUM (1)

164. — I. *Eorum authenticitas dubia*. Illos Apostolis adscribi non posse, pluribus argumentis probatur.

1. Nulla eorum fit mentio apud illos qui tribus prioribus sæculis res ecclesiasticas scriptis illustrarunt. Maximi momenti est illorum silentium, præsertim Eusebii Cæsariensis et S. Hieronymi, qui in conservanda scriptorum apostolicorum memoria diligenter versati sunt.

2. Nec S. Victor Papa in controversia de Paschate celebrando, nec S. Cyprianus in controversia de baptismo hæreticorum, his canonibus usi sunt ; eos autem, si Apostolorum fuissent, allegare non omisissent.

3. Apud veteres in dubium revocati sunt ; v. g. S. Gelasius Papa et S. Isidorus Hispalensis apocryphos vocant canones Apostolorum.

4. Multa in illis sunt, quæ cum Apostolorum ætate nulla ratione componi possunt, v. g. distinctio bonorum Ecclesiæ a bonis Episcopi.

5. Quædam in eis inveniuntur Ecclesiæ traditioni contraria. Nimirum disciplinæ apostolicæ adversantur, ubi dicunt excommunicandos esse eos qui sabbato jejunant ; et veritatem catholicam offendunt tum circa Scripturæ canonem, tum circa baptismum ab hæreticis collatum. Inde manifestum est hujusmodi canones ab hæreticis collectos aut saltem adulteratos fuisse.

(1) Cotelerius, *Patres apostolici*, t. I. — FF. Ballerini, *De collectionibus canonum*, p. I. — Binet, *Apparatus juris canonici*, pars II, cap. IV.

165. — II. *Eorum origo.* Disciplinam antiquam in his canonibus contineri negarunt Protestantes. Hodie vero fatentur omnes eruditi canones Apostolicos constare partim ex regulis quas Apostoli verbis tradiderunt, partim ex consuetudinibus ecclesiarum, partim ex decretis Conciliorum quæ prioribus sæculis in Oriente celebrata sunt. Modo plures, modo pauciores inveniuntur ; quæ diversa ipsorum partitio probat eam collectionem non ab uno auctore, sed diversis temporibus confectam esse.

166. — III. *Illorum numerus et auctoritas.* Maxima est differentia inter latinam et græcam Ecclesiam : Ecclesia orientalis canones 85 omnes et integros accepit, eosque tanquam ab Apostolis editos veneratur ; Latina autem Ecclesia 50 priores canones tantum recepit, eosque in causis judicandis adhibuit, ita tamen ut nihil de illorum origine decerneret.

ARTICULUS II

DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS (1).

167. — I. *Earum origo.* Octo libri *Constitutionum Apostolicarum*, in capite collectionis conciliorum editi, non fuerunt ab Apostolis traditi, neque a S. Clemente Romano scripti, quales ad nos pervenerunt. Id infertur tum ex eo quod in eis multa reperiuntur historiæ et Apostolorum doctrinæ adversa ; tum ex eo quod Patres priorum sæculorum, data occasione, iis nunquam usi sunt, sicut supra notatum est de canonibus apostolorum.

Quod attinet ad *auctorem* ac *tempus* quo primum prodierunt, non una est eruditorum sententia. Probabilius sentire videntur qui has Constitutiones III° aut IV° sæculo vulgatas fuisse existimant. Illas commendat S. Epiphanius, quia tunc in eis nihil fidei vel disciplinæ contrarium inveniebatur.

168. — II. *Earum auctoritas.* Constitutiones Apostolicæ, cum sint antiquæ, multa complectuntur utilia.

Quamvis fuerint olim puræ, nihilque continuerint doctrinæ catholicæ adversum, postea pluribus in locis ab hæreticis corruptæ sunt. Manifestum est ergo nullam certam auctoritatem his constitutionibus tribuendam esse.

CAPUT II

COLLECTIONES GRÆCÆ (2).

169. — I. *Collectio Chalcedonensis.* Ecclesiam orientalem medio sæculo

(1) Schmalzgrueber, *Dissert. procemialis*, § 7. — Bouix, *De principiis juris canonici*, pars II, cap. III. — Darras, *Historia eccl.*, tom. 6, p. 582. — (2) Zallinger, *Historia fontium juris canonici*, cap. I. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. I.

v° suum habuisse canonum codicem constat ex actis Concilii Chalcedonensis, in quibus fit illius mentio. In isto codice continebantur, juxta ordinem chronologicum, canones generales et particulares, nempe canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, etc.

Huic collectioni accesserunt medio sæculo VI° canones Apostolorum, Sardicenses, Ephesini, Chalcedonenses, et Regula Sancti Basilii.

170. — II. *Collectio Joannis Scholastici.* Ex iis omnibus canonibus Joannes, cognomento *Scholasticus*, presbyter Antiochenus, suam adornavit collectionem, secundum ordinem materiarum distributam. Deinde ad episcopatum Constantinopolitanum evectus, leges civiles præsertim ex codice Justiniani depromptas collectioni suæ adjecit; unde exstitit primus auctor *Nomocanonum*, id est, collectionum in quibus canones ecclesiastici cum legibus imperialibus conjunguntur.

Hæc collectio suspecta est eo quod ejus auctor Nestorianismi fautor fuit.

171. — III. *Concilium quinisextum seu Trullanum* (692, sub Justiniano II), ita dictum e loco palatii imperialis in quo Constantinopoli celebratum est, canonibus dogmaticis Concilii generalis V et VI superaddere 102 disciplinares præsumpsit, velut eorumdem complementum et appendicem.

Romana Ecclesia eos tantum probavit Trullanos canones, qui Conciliis generalibus aut moribus christianis non adversarentur. Proinde collectio synodi Trullanæ, quatenus illius propria est, nullam habet auctoritatem.

172. — IV. *Collectio Photii.* Sæculo IX°, Photius, qui græci schismatis auctor fuit, collectiones orientales iterum elaboravit, suumque concinnavit *Nomocanonem*, qui apud Græcos in summo honore et pretio semper habitus est.

Suspectæ sunt collectiones Photianæ, siquidem ad favendum schismati editæ fuerunt, et cum canonibus legitimis continent regulas Photio duce in duobus conciliabulis editas.

173. — V. Præter memoratas Græcorum collectiones, sunt etiam minores, de quibus sermonem non instituimus. Hæc omnia *monumenta juris ecclesiastici* spectantia Ecclesiam orientalem nuper collegit cardinalis Pitra, jussu Pii IX.

CAPUT III

COLLECTIONES LATINÆ (1).

174. — I. *Initium collectionum apud Latinos.* In Ecclesia Latina, primo non alii quam Nicæni canones agniti fuerunt; quo sub nomine comprehendebantur etiam Sardicenses, quia Concilium Sardicense tanquam appendix Nicæni habebatur.

(1) FF. Ballerini, *De antiquis collectionibus.* — Coustant, *Epistolæ Rom. Pontificum*, t. I. — Bouix, *De principiis juris canonici*, pars III, cap. IV. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. I.

Postea, ex Græcorum codicibus latine redditis confectæ sunt ampliores collectiones, quæ *Hispanica* et *Prisca* dicuntur.

An vero codex latinus qui, præter canones Conciliorum, omnes etiam pontificias constitutiones contineret, auctoritate Sanctæ Sedis tunc editus fuerit, incertum est. Sed constat tali codice non fuisse opus ut Decretales promulgarentur, et apud Ecclesias vim obtinerent; nam satis promulgata erant decreta SS. Pontificum, eo quod, ad præcipuos provinciarum præsules primum directa, subinde per litteras aliis Episcopis communicabantur, sicque omnibus innotescebant.

175. — II. *Collectiones Ecclesiæ Romanæ.* Aliquem codicem canonum et decretalium ante sæculum VI in Ecclesia Romana exstitisse probabile est, tum quia in Concilio Chalcedonensi ad unum codicem Legati S. Pontificis, ad alium Græci provocabant, quod probat utrique Ecclesiæ suum codicem fuisse, tum quia S. Siricius papa ad episcopos scripsit: *Statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum definita nulli sacerdotum ignorare sit liberum* (1), — quod frustra jussisset, nisi codex fuisset, ex quo sacerdotes notitiam canonum haurire possent.

Multa vero moliuntur ut nihil agant Van Espen et alii, qui pontificias constitutiones in collectionibus nondum insertas fuisse contendunt, ut inde inferre possint, ante Dionysium Conciliorum canones tantum, non item Apostolicæ Sedis decreta auctoritatem obtinuisse. Etenim, etsi verum esset neminem antea decretales collegisse, id tamen vetustæ illarum auctoritati nihil detraheret; nam vis earum profluebat, non ex privatis codicibus, sed ex potestate SS. Pontificum, et ex autographo quod, in archivio Sedis Apostolicæ servatum, ad dirimendas controversias adhibebatur.

176. — III. *Collectio Dionysii.* Ineunte sæculo VI°, *Dionysius*, natione Scytha, moribus Romanus, professione monachus, et ratione staturæ vel modestiæ cognomento *exiguus*, operam dedit novæ collectioni, quæ dividitur in duas partes : altera Conciliorum canones, altera SS. Pontificum decretales complectitur.

Codex Dionysianus, privata quidem auctoritate vulgatus, tamen ab Ecclesia Romana receptus fuit. Illum pluribus monumentis auctum Adrianus I Carolo Magno Romæ dono dedit; quapropter vocatur *Collectio Adriana*. Cum Summus Pontifex collectionem ipsam commendaverit, ea quamdam Apostolicam auctoritatem, præsertim apud Gallos, obtinuit, et passim *Codex canonum* appellari cœpit, nunc vero inscribitur *Vetus canonum codex*.

177. — IV. *Collectiones Ecclesiarum particularium.* Insignes Ecclesiæ peculiarem codicem habuerunt, in quo tum antiqui canones, tum decretales SS. Pontificum, tum statuta particularia continebantur.

Vigebant : 1. Apud Africanos, *Codex Africanus; Breviatio canonum* Ferrandi diaconi (547); *Canonum concordia* Cresconii Episcopi (697).

2. Apud Hispanos, *capitula* Martini, Bracarensis Episcopi (572); *collectio* dicta *Isidori* Hispalensis (680), satis accurata, quæ novissime reperta est.

(1) S. Siricii epist. ad Imerium, Episcopum Tarraconensem.

3. Apud Gallos, *Codex canonum ; Capitularia*, quæ, in generalibus comitiis Episcoporum et procerum lata, Ecclesiæ simul et Status regimen spectabant ; *Pannormia* Ivonis Carnotensis (1117), octo libris canonum methodice dispositorum constans.

4. Apud Germanos, *Collectio Reginonis* (906) ; *Volumen decretorum* Burchardi (1025), e falsis decretalibus partim conflatum.

Præter has collectiones multæ aliæ concinnatæ sunt minus notæ, vel nondum editæ, diversis in regionibus, v. g. in Hibernia.

178. — V. Collectionibus legum accedunt *libri rituales* et *formularia*.

Inter libros rituales, quibus describuntur ritus a SS. Pontificibus, Episcopis et sacerdotibus adhibendi, eminet *Ordo Romanus* (1).

Formularia conficiebantur ad determinandum modum quo negotia varia scriptis tractari deberent. Ejusmodi formularum collectio pro Ecclesia Romana est *Liber diurnus*.

CAPUT IV

FALSÆ DECRETALES (2).

179. — Præter genuinas Ecclesiæ leges, falsæ constitutiones aliquando circumferebantur, sicut diversis temporibus contigit vulgari Evangelia apocrypha, Biblia adulterata et supposita litteras apostolicas. — Quædam in disputationum æstu ad propriam sententiam defendendam, aut incusandos adversarios conficta ; plura ex disciplina tunc vigenti desumpta, et superioribus temporibus aut personis adscripta ; alia denique ex eo potissimum orta esse videntur, quod ad legum formam redactæ sunt notitiæ quas historiæ scriptores de antiquis et deperditis legibus conservarunt. Sensim sine sensu plurima tanquam vera et genuina in quibusdam canonum collectionibus recepta sunt.

Distinctim agemus 1° de historia collectionis Pseudo-Isidori, et 2° de falsarum Decretalium auctoritate.

ARTICULUS I

ISIDORIANÆ COLLECTIONIS HISTORIA

Hujus libri fatis primo breviter expositis, dein dicetur de illius origine.

§ 1. — *Fata hujus libri.*

180. — I. Hæc falsa collectio, quæ Isidori *Mercatoris* vel *Peccatoris* vulgo dicitur, circa medium sæculum IX prodiit. Præcipue conflata est ex hispanica collectione quæ S. Isidoro Hispalensi tribui solebat. Tribus par-

(1) Mabillon, *Museum italicum*, t. II — (2) Ballerini, *De antiquis collectionibus*. — Zaccharia, *Antifebronius*, t. I, dissert. III. — Bouix, *De principiis juris canonici*.

tibus constat : prima continet 50 fictas decretales SS. Pontificum, a S. Clemente I usque ad S. Melchiadem ; in secunda, sequuntur canones Conciliorum ex hispanica collectione fere fideliter excerpti ; tertia habet decreta SS. Pontificum, a S. Silvestro usque ad S. Gregorium M., inter quæ plures sunt falsæ decretales.

Burchardus, episcopus Wormatiensis (996-1025), quo tempore Italiæ imperabant Germani, in sua canonum collectione quasi publici juris fecit falsas decretales, et suspicionem erroris removit suffragio suo.

181. — II. Primus omnium Cardinalis Cusanus tranquillam Isidori possessionem turbavit (1450) ; quamobrem Centuriatores Magdeburgenses immerito gloriantur ejus collectionis imposturam se primos detexisse. Deinceps a permultis catholicis aliisque viris eruditis diligentius in eam collectionem inquisitum est, et rationes ad probandam suppositionem adeo firmæ propositæ sunt, ut nemo jam de fallacia dubitare possit.

Inde Protestantes et omnes in Sanctam Sedem infensi, v. g. Jansenistæ, Gallicani, Pseudoliberales, Rationalistæ, ducibus Fleury, Van Espen, Febronio, Guizot, Gratry, etc., arripuerunt occasionem asserendi falsas decretales conniventibus Romanis Pontificibus exaratas fuisse, ad amplificandam eorum auctoritatem, atque per ipsas inductam esse novam et deteriorem disciplinam, quamvis nulla e collectionibus authenticis sacrorum canonum, jubente aut approbante Romano Pontifice editis, supposita contineat documenta.

§ 2. — *Collectionis origo* (1).

182. — I. *Ad tempus* quod attinet, in lucem venisse videtur iste codex inter annum 829 et 847 ; nam auctor inseruit ad verbum plures sententias Concilii Parisiensis anni 829, et collectionis mentio primum habetur anno 846.

183. — II. *Insciis Romanis Pontificibus collectio confecta fuit.*

Etenim S. Leo IV, qui anno 847 ad Petri cathedram evectus est, ad Episcopos Britanniæ rescribens, non alias decretales et canones agnovit præter eos qui apud Dionysium exstabant ; quod manifestum indicium est falsas decretales Romæ cognitas non fuisse, vel saltem non receptas.

Sensim quidem in plures regiones, ipsamque Italiam invectæ sunt, imo in decretum Gratiani transfusæ sunt ; sed a nullo Pontifice romano solemnem obtinuerunt approbationem.

Quidam contenderunt Romanos Pontifices ad publicam earum condemnationem teneri. Verum præteriti temporis errores detegere, fraudesque patefacere, scientiæ munus est, non legislatoris ; nec ullus Sanctam Sedem in hac re accusabit, si illos ipsos qui accuratissimam criticam in descriptione falsarum decretalium adhibuerunt, sub SS. Pontificum oculis suum opus edidisse animadverterit.

184. — III. *Collectionis auctor fuit aliquis Gallus vel Germanus* (2).

(1) Zallinger, *Appendix*, cap. II. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. I. — (2) Bouix, *De Principiis juris canonici*, pars III, cap. X.

Etenim 1. omnes qui exstant noni sæculi codices in Gallia scripti sunt, ut patet ex characteribus et idiotismis.

2. Istæ decretales primum citantur a scriptoribus in orientali Francorum imperio.

3. Hæc collectio continet epistolas a S. Bonifacio, episcopo Moguntino, vel ab aliis ad ipsum scriptas, quæ nonnisi in Germania noscebantur.

4. Hispanica collectio quæ ad istam conficiendam adhibita fuit, non ex hispanicis, sed ex gallicis codicibus desumpta est.

Ergo ipsæ regiones [in quibus ob falsas decretales tam vehementer contra Sanctam Sedem clamitatum est, auctorem imposturæ sibi vindicant.

Quær. *Quis fuerit iste auctor?* — Alii alium fuisse opinati sunt; sed nunc tandem compertum est falsarium esse Benedictum, diaconum Otgari, episcopi Moguntini, anno 835 damnati ob rebellionem contra Ludovicum Pium (1).

ARTICULUS II

FALSARUM DECRETALIUM AUCTORITAS

Expendi debet : 1. Earum auctoritas intrinseca; — 2. Illarum influxus in disciplinam.

§ 1. — *Earum auctoritas intrinseca* (2).

185. — I. Hæc auctoritas nulla est. Præcipua falsitatis argumenta sunt sequentia :

Argumentum *extrinsecum*. — Harum decretalium non meminerunt priora Concilia, non veteres Patres et scriptores, non Dionysius, diligens collector, non denique cæteri, quorum intererat in controversiis exortis illas constitutiones producere, si exstitissent.

Argumenta *intrinseca*. — 1. Multa in eis occurrunt recentiora ætate Pontificum quibus adscribuntur, v. g. Scripturarum sententiæ juxta versionem S. Hieronymi, canones Conciliorum quæ nondum celebrata erant.

2. De persecutionibus, de consolatione martyrum, de rebus, statu et moribus eorum temporum omnino silent.

3. Falsæ sunt consulares notæ eisdem epistolis affixæ, nam consules referunt qui in fastis Romanis nunquam reperti sunt.

4. Sermo rudis est et barbarus, a priorum sæculorum nitore prorsus alienus; idem semper est stylus, eadem verborum dispositio in tot epistolis quæ ab auctoribus diversæ plane indolis, ætatis ac morum, scriptæ dicuntur.

186. — II. *Fontes hujus collectionis*. Non omnia tamen Isidorus finxit ingenio suo, sed quatuor monumentorum generibus usus est : — 1. *Genuinis*, quales sunt decretales ex codice hispanico desumptæ; — 2. *Supposi-*

(1) Cf. Card. Pitra, *Analecta novissima*, 1885. — (2) Soglia, *Prænotiones in jus ecclesiasticum*, cap. III.

titiis, quæ ipse finxit, ut sunt multæ Pontificum epistolæ, præcipue trium priorum sæculorum; — 3. *Apocryphis*, quæ ab aliis scripta ipse in suam collectionem retulit; — 4. *Interpolatis*, quæ videlicet suis additamentis corrupit.

§ 2. — *Fictarum decretalium influxus in disciplinam* (1).

187. — *Falsum est per fictas decretales amplificatam fuisse Romani Pontificis auctoritatem, novum jus inductum, perturbata Episcoporum jura, eversam Ecclesiæ disciplinam.*

I. Prob. *ex tenore ipsius collectionis.* — Falsæ sunt generatim decretales ratione formæ, non vero ratione materiæ; consuevit enim Isidorus nihil sine antiquorum suffragio scribere. Pleraque desumpta sunt sive ex operibus Patrum, sive ex legibus SS. Pontificum, sive ex canonibus Conciliorum; cætera exhibent disciplinam quæ jam obtinuerat; nam in pluribus regionibus, v. g. in Italia et Hispania, vigebant mores et usus quorum origo his decretalibus tribuitur, dum illæ ibi erant incognitæ.

II. Prob. *ex mente auctoris.* — In illis temporibus fictæ litteræ adhibitæ sunt, ut ea quæ jam usu recepta erant superiorum sæculorum testimoniis comprobarentur. Igitur non alia fuit ratio vulgandi hanc collectionem, quam ut antiqua monumenta hinc inde sparsa in unum colligerentur, instauratisque ex illis juris et historiæ fontibus, vigens eo tempore disciplina confirmaretur.

Præ cæteris vero eam disciplinæ partem auctor defendere studuit quæ tunc maxime impetebatur, scilicet ordinem judiciorum in quibus Episcoporum et clericorum causæ agebantur. Quisquis sanum de Pseudo Isidori collectione judicium ferre vult, ad ea debet attendere quæ sæculo IX° gesta sunt. Tunc omnia, dilapsis imperii institutionibus, arbitrio regebantur; in ecclesiastica judicia rudium hominum mores et superstitiosæ quædam opiniones irrepserant. Ea fuit mens auctoris, ipso declarante et adversariis fatentibus, ut Episcopis judicum iniquitate spoliatis consuleret, atque difficiles evaderent ipsorum accusationes.

Patet igitur decretales non fictas fuisse ad amplificandam Curiæ romanæ auctoritatem, sive quia is non erat scopus Isidori Mercatoris, sive quia jura Summi Pontificis, a Christo ipsi collata, tali auxilio non indigebant.

III. Prob. *ex ipsa fictarum decretalium acceptatione.* — Ideo eas receperunt et fraudem non suspicatæ sunt Ecclesiæ, quia, cum traderetur consueta doctrina et ubique vigens disciplina, nemo de inquirenda veritate documentorum sollicitus erat. Verum aliud evenire debuisset, si disciplinam novam et sæculi moribus contrariam exposuissent. Nam ea quæ contra consuetudinem ingeruntur, etiamsi sint bona, novitate ipsa perturbare solent; et multo magis id timendum est de iis quibus disciplinam optimam et diuturno usu receptam aliquis evertere contenderet. Nulli

(1) Bouix, *De principiis juris canonici*, pars III, cap. X. — Zallinger, *Historia fontium juris canonici*, cap. II.

autem tumultus, nulli clamores auditi sunt ob falsas decretales. Ergo nulla per eas facta fuit circa disciplinam immutatio.

IV. Prob. *ex assensu generali Ecclesiæ in doctrinam et disciplinam qualem exhibebat Pseudo Isidorus.* — Hæc disciplina auctoritatem legis obtinuit, non quidem vi collectionis ipsius, quæ privata et falsa erat, sed vi præcedentium et subsequentium Ecclesiæ legum, quibus ista disciplina fuit inducta et confirmata.

188. — Neque dicas disciplinam falsis documentis traditam necessario reprobandam esse. Nam Isidori doctrina et disciplina per multos annos a Conciliis, Episcopis et scholis catholicis, tanquam laudabilis admissa fuit ; atqui Ecclesia nequit errare, dum approbat doctrinam vel disciplinam generalem. Licet Ecclesia, probando doctrinam quæ communiter in scholis catholicis traditur, non certa faciat argumenta quibus doctores eam adstruunt, ipsam tamen doctrinam certam facit ; neque haberi potest ut abusus disciplina generalis ab Ecclesia probata. Ergo disciplina quam exhibet Isidorianus codex, quatenus in praxim universalem inducta est, ab omni catholico debet admitti ut laudabilis. Sed bona non esset, si genuinam et retinendam veteris Ecclesiæ disciplinam immutasset, si jura SS. Pontificum ultra limites extendisset, si jura Episcoporum et Conciliorum evertisset ; paucis verbis, si rei ecclesiasticæ *exitiale vulnus* intulisset, ut ait Fleury.

Igitur illa mala, per falsas decretales invecta, nihil aliud sunt quam figmenta in Ecclesiam sanctam et infallibilem prorsus injuriosa, auctoribus hæreticis et aliis S. Sedis impiis detractoribus.

TITULUS II

Collectiones Juris novi.

189. — Circa medium sæculum XI, novus in animis excitatus ardor cœpit culturam scientiarum præsertim sacrarum promovere, ipsasque in ordinatam formam redigere. Unde, multis codicibus diligenter compositis, novisque in dies editis legibus, *Corpus juris canonici* prodiit, cujus ope factum est ut in foro et in scholis jurisprudentia canonica magis excoleretur (1).

Cum magnum nomen obtinuerint DECRETUM GRATIANI, COLLECTIONES DECRETALIUM et CORPUS JURIS CANONICI, de iis in triplici capite dicetur.

CAPUT I

DECRETUM GRATIANI (2)

190. — I. Gratianus, in Etruria Clusii natus, professione monachus

(1) Ballerini, *De antiquis collectionibus* — Zallinger, *Appendix*, cap. III. — Devoti, *Prolegomena*, cap. VI. — (2) Berardi, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti.* — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. I et II.

Benedictinus, Bononiæ anno circiter 1151 *Concordantiam discordantium canonum* vulgavit, quæ *Decretum* vulgo dicitur. Unde illius interpretes, sive magistri juris canonici, dicti sunt *doctores Decreti.*

191. — II. Hoc opus, compilatum e locis Scripturæ, canonibus Apostolorum, Conciliis generalibus et particularibus, Constitutionibus Romanorum Pontificum, sententiis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, jure romano, capitularibus Galliæ, etc., quæ Gratianus sæpius ex antecedentibus collectionibus excerpsit quam e propriis fontibus, in tres partes dividitur, quarum prima de *personis* agit, velut titulos continet 101 distinctiones, et sub qualibet distinctione plures canones. — Pars altera, *de judiciis*, causas seu casus conscientiæ 36 complectitur; causæ dividuntur in quæstiones, et quæstiones in canones. In causa 33ª exstat tractatus de Pœnitentia, in distinctiones 7 distributus. — Tertia pars, *de rebus sacris*, inscripta est *de Consecratione;* distinctionibus 5 in canones subdivisis comprehenditur.

Quæstionibus propositis subjiciuntur dissertationes, in quibus ratio conciliandi leges specie discordantes exponitur. Inter canones occurrunt *Paleæ*, quæ sunt documenta apocrypha.

Opus Gratiani omnium plausibus receptum est, ita ut in scholis publice legeretur, et in foro tanquam pars juris communis haberetur. Sic vero celebratus est Gratianus, tum quia illius collectio, multo cæteris uberior, complectitur quidquid pertinet ad rem ecclesiasticam, tum quia scholastica fere methodo leges interpretatur, tum quia Decreti partitio in tres partes, de personis, de judiciis, de rebus, ordinem materiarum sequitur (1).

192. — III. *Emendatio decreti Gratiani.* Omnia quæ in Decreto referuntur vim eamdem habent ac si seorsim spectentur. Si ejusmodi lucubrationem velut collectionem consideremus, sincera monumenta ab apocryphis secernenda sunt. Etenim Gratianus plurima desumpsit non ex ipsis fontibus, sed ex mendosis collectionibus; hinc sæpe falsa pro veris usurpavit.

Ad detegendos Gratiani errores viri docti animum applicuerunt, et jussu SS. Pontificum *Correctores romani* Decretum emendarunt.

193. — IV. *Auctoritas Decreti.* Gratiani Decretum, ab auctore privato confectum, nullam ex collectore legalem auctoritatem obtinuit. Inquirendum est ergo an eidem accesserit approbatio S. Sedis.

Aliqui dicunt illud approbatum esse, tum quia, cum primum prodiit, in scholis et in foro susceptum et adhibitum fuit; tum quia B. Eugenius III et Gregorius XIII publicam auctoritatem ei tribuerunt.

Sed tenenda est sententia negans. Etenim, scholarum et fori usus præstantiam Decreti commendat, nullam tamen auctoritatem adjungit, eo magis quod mendosa capita, quibus Decretum scatet, nondum comperta erant. — Neque edita est legalis approbatio Decreti. Dedit quidem B. Eugenius III facultatem ut Gratiani collectio publice posset legi et

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum Prolegomena*, cap. VI.

explicari; sed auctoritate sua Decretum non confirmavit. Similiter Gregorius XIII probavit quidem emendationem Decreti, sed noluit ei pontificiam auctoritatem tribuere (1).

Quapropter Benedictus XIV scribit : « Gratiani Decretum, quamtumvis pluries R. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet; quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret (2) ».

Igitur, sicut SS. Pontifices approbando opera SS. Doctorum, Catechismum romanum, etc., non fecerunt sua singula eorum asserta, quorum quædam libere impugnantur et rejiciuntur ; ita approbatio generalis decreti Gratiani non sancivit auctoritate apostolica singula præcepta quæ continet, sed sinit quædam impugnari et rejici, si rite probetur ea esse apocrypha.

CAPUT II

COLLECTIONES DECRETALIUM

194. — In tres series dividi solent : prima complectitur Decretalium collectiones a Gratiano ad Gregorium IX ; secunda, Decretales Gregorii IX ; tertia, Sextum Decretalium, Clementinas et Extravagantes.

ARTICULUS I

DECRETALIUM COLLECTIONES A GRATIANO AD GREGORIUM IX (3).

195. — Ante Gregorium IX, prodierunt quinque collectiones decretalium.

I. Bernardus Circa, præpositus Papiensis ac postea Episcopus Faventinus, anno 1199 evulgavit *Breviarium Extravagantium*, id est, decretorum quæ extra Gratiani opus vagabantur. In ea collectione, quæ *prima* dicitur, præter decreta quæ Gratiani diligentiam effugerant, constitutiones SS. Pontificum post Gratianum editæ usque ad Cœlestinum III, et canones Concilii Lateranensis III continentur. « Hæc collectio, in quinque libros divisa, fuit veluti archetypus ad cujus exemplum reliquæ collectiones adornatæ sunt (4). »

II. Bernardum secuti sunt Gilbertus et Alanus ; sed illorum collectiones brevi interciderunt. Novam ex iis collectionem confecit *Joannes Galensis*, seu *Vallensis*, anno 1202. Hæc *secunda collectio* dicitur.

III. Innocentius III Petro Beneventano curam mandavit ut suas constitutiones colligeret. Hæc collectio, quæ prima prodiit auctoritate S. Pontificis, *tertia* est earum quæ Bononiæ agnoscebantur.

(1) Soglia, *Prænotiones in jus ecclesiasticum*, cap. III. — (2) Benedictus XIV, *De Synodo diœcesana*, lib. VII, cap. XV. — (3) Schmalzgrueber, *Dissert. proœmialis*, § 7. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. II. — (4) Soglia, *Prænotiones in jus ecclesiasticum*, cap. III.

IV. Tertiam collectionem brevi subsecuta est *quarta*, cujus incertus est auctor.

V. Honorius III promulgavit suarum decretalium collectionem, quæ dicitur *quinta*.

196. — Priores duæ collectiones nullam auctoritatem publicam consecutæ sunt; tertiæ et quintæ SS. Pontifices vim legis tribuerunt.

ARTICULUS II

DECRETALES GREGORII IX

197. — I. Ex præcedentibus Decretalium collectionibus novisque constitutionibus suam collectionem confecit Gregorius IX, anno 1234, opera S. Raymundi de Pennafort, ex ordine Prædicatorum. « Justinianum imitatus est, tum in eo quod ex diversis codicibus unum codicem deduxit, tum in eo quod ex decretalibus ea sustulit quæ inutilia erant (1). »

Decretalium nomine appellatur hæc collectio, quia præsertim decretales epistolas SS. Pontificum complectitur.

Gregoriana collectio dividitur in quinque libros, quorum 1^us^ agit de judicibus, 2^us^ de judiciis, tres alii de judiciorum materia, nempe 3^us^ de rebus ad clerum pertinentibus, 4^us^ de matrimonio, 5^us^ de criminibus et pœnis; quæ omnia hoc versu indicantur:

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.

Quisque liber in titulos, et quisque titulus in capita distribuitur.

198. — II. Decretales Gregorii IX ad Universitates Bononiensem et Parisiensem transmissæ sunt, ut vulgarentur. Ex litteris collectioni præfixis apparet, S. Pontificem jussisse *ne aliæ collectiones in foro ac scholis adhiberentur* (2). — Itaque de auctoritate hujus collectionis duo sunt monenda:

1. Ipsa collectio et singuli textus in ea contenti vim legis habent, siquidem S. Pontifex omnia sua fecit, iisque suam auctoritatem impertitus est Constitutione *Rex pacificus*. Excipiuntur tamen ea quibus leges posteriores derogant, utpote abrogata.

2. Antiquis decretalibus, a Gregorio ex industria prætermissis, vis legum ecclesiasticarum detracta fuit, cum S. Pontifex eas solas decretales in posterum vigere voluerit quæ in suam collectionem translatæ fuerant, ad modum quo Pius IX solas censuras latæ sententiæ voluit in posterum vigere, quas inseruit aut commemoravit in Constitutione *Apostolicæ Sedis* (1869).

199. — Propterea, obsoleverunt quinque vetustiores collectiones. — Attamen, valde utiles sunt ad eas decretales intelligendas quæ in collectione Gregoriana receptæ fuerunt. Etenim Raymundus, ex potestate sibi

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum Prolegomena*, cap. VI. — (2) Zallinger, *Historia fontium juris canonici*, cap. IV.

concessa resecandi superflua, nonnulla capita quoad partem historicam adeo præcidit, ut ea rite percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integram decretalem perlegamus (1).

ARTICULUS III

SEXTUS DECRETALIUM, CLEMENTINÆ, EXTRAVAGANTES

200. — I. *Sextus Decretalium.* Bonifacius VIII, anno 1298, opera trium cardinalium in unum volumen congessit tum novas decretales, tum canones utriusque Concilii generalis Lugdunensis. — Iste codex vocatur *Sextus Decretalium*, velut appendix et complementum quinque librorum collectionis Gregorianæ, ac totidem libris constat, eadem servata serie titulorum et materiarum.

Ab ipso Bonifacio publicatus est et legis valorem exclusivum accepit, ad instar Decretalium Gregorii IX, id est, abrogatis decretalibus in Sextum non admissis.

201. — II. *Clementinæ.* Clemens V, partim ex canonibus Concilii Viennensis cui præfuit, partim ex suis epistolis, conficiendam curavit aliam collectionem, eodem ordine distributam, quam morte præreptus in lucem non protulit.

Joannes vero XXII, proximus ejus successor, eam publica auctoritate donatam, anno 1317, Bononiam ac Parisios transmisit, quin tamen excluderet decretales in ea non relatas. — Decretales hujus collectionis ab auctore suo *Clementinæ* appellantur.

202. — III. *Extravagantes.* Hoc nomine dicuntur aliæ decretales, quia primum extra corpus juris quasi clausum vagabantur. — Duplex est earum collectio : prior, unico libro comprehensa, complectitur *Extravagantes Joannis XXII;* altera, in quinque libros distributa, continet *Extravagantes communes* plurium, nempe 25 Pontificum, ab Urbano IV ad Sixtum IV.

Utraque collectio, sub fine sæculi XV edita, incertum habet auctorem, neque compertum est cujus auctoritate in corpus juris relata sit.

CAPUT III

CORPUS JURIS CANONICI (2).

203. — I. *Partes quibus constat.* Corpus juris triplici volumine comprehenditur : — Primum volumen est Gratiani Decretum, ad cujus calcem adjici solent canones pœnitentiales et canones Apostolorum. — In secundo volumine continentur Decretales Gregorii IX. — Tertium volumen complectitur Sextum, Clementinas et Extravagantes.

(1) Soglia, *Prænotiones in jus ecclesiasticum*, cap. III.
(2) Maschat. *Prolegomena*, § 2. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, cap II.

In plerisque editionibus, accedunt Matthæi Lugdunensis *Liber VII* decretalium, et *Institutiones Lancelotti*, quæ sunt juris canonici compendium.

204. — II. *Auctoritas* uniuscujusque partis sic ex supradictis definitur : 1. Quæ in Decreto reperiuntur tantum valent quantum valerent, si Gratianus ea non collegisset (V. n. 193).

2. Extravagantes, quamvis non constet ipsas collectiones a Summis Pontificibus promulgatas esse, singulæ sunt leges authenticæ, et praxi confirmatæ sunt; quædam tamen pertinent ad jus particulare vel subsequentibus decretis abrogatæ sunt.

3. Tres saltem collectiones, nempe Decretales Gregorii IX, Sextus Decretalium et Clementinæ, cum auctoritate pontificia donatæ fuerint, eam retinent in iis quibus Concilium Tridentinum vel novæ SS. Pontificum constitutiones, vel concordata, vel legitimæ consuetudines non derogaverunt.

Igitur, jus ecclesiasticum Decretalium manet in sua possessione, et illis qui jus particulare contrarium prætendunt, incumbit onus probandi.

205. — III. *Rubricæ*, *Summaria* et *Glossæ* in Corpore juris occurrunt, præter canones (1).

Rubricæ sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a litteris rubris, quibus olim scribebantur. — Distinguendum est inter Rubricas Decreti et Decretalium; nam rubricæ titulis Decreti præfixæ auctoritatem non habent, quia ab auctore privato confectæ sunt. E contra, rubricæ Decretalium utiliter allegantur, eo quod legislator illas confirmavit. Sed duplex est earum genus : aliæ continent orationem perfectam, v. g. « Ne sede vacante aliquid innovetur; » ipsisque competit vis legum, id est, allegantur *dispositive*, cum legislatoris voluntatem exhibeant. Aliæ perfectum sensum non habent, et nihil præcipiunt aut vetant, v. g. « De constitutionibus; » allegari tamen possunt *declarative*, quatenus explicant verba canonis; v. g. rubricis innotescunt res et personæ de quibus in textu sermo est. Hinc effatum : *lege rubrum, si vis intelligere nigrum.* (*Maschat,* loco citato.)

Summaria sunt breves illæ periodi quibus canones summatim rediguntur, eorumque sententiæ sub uno aspectu exponuntur. — Hæc summaria, mere doctrinalia, autoritate legis destituuntur, eo quod a privatis scriptoribus, præsertim ab abbate Panormitano et Joanne Andrea addita fuerunt; ac tanti facienda sunt quantum cum canone ipso concordant. Attamen in maximo pretio habentur, et canonibus interpretandis valde prosunt, sicut summaria præfixa singulis capitibus Scripturæ sacræ, et conclusiones superadditæ singulis articulis Summæ theologicæ S. Thomæ.

Glossa est uberior explanatio legum, in corpore juris ad marginem vel inter lineas textus collocata; unde dicitur *marginalis* vel *interlinearis*.

(1) Santi, *Prolegom.*, 12-18.

Glossæ non faciunt jus, sed æstimantur tanquam interpretationes privatæ. (*Soglia*, loco citato.)

206. — IV. *Modus citandi Corpus juris canonici* (C. J. C.).

1. Decreti pars 1ª tribus modis allegatur, nempe expresso numero canonis, vel expressa prima ejus voce, vel expressis numero canonis et primo illius vocabulo, v. g. *can.* (MIRAMUR) 5, *dist.* 61.

In parte 2ª allegatur causa, quæstio, et canonis sive numerus sive initiale vocabulum, v. g. *can.* (AUDI) 21, c. 11, q. 3.

Tractatus *de Pœnitentia* sic allegatur : *can.* (LACRYMÆ) 2, *de Pœnit.*, *dist.* 1.

Pars 3ª citatur sicut prima, addito *de Consecratione*, v. g. *can.* (PANIS) 39, de Consecr., *dist.* 2.

2. In Decretalibus allegandis, indicantur caput et titulus libri, v. g. *cap.* VENERABILEM, *de Elect.* A quibusdam canonistis additur vocabulum *extra* vel littera X, ut significetur caput illud extra Decretum reperiri ; sed minus frequens est hæc allegandi ratio.

Cum laudantur capita *Sexti*, apponitur *in* 6, v. g. *cap.* QUICUMQUE, *de Hæret. in* 6, vel *in sexto.*

Clementinæ sic allegantur : *Clement.* ETSI, *de Rescriptis.*

Extravagantes Joannis XXII ita citantur : *extrav.* ECCLESIÆ Joannis XXII, *de Majoritate et obedientia.* Extravagantes vero communes allegantur hoc modo : *Extrav. comm.* REM NON NOVAM, *de Dolo et Contumacia.*

TITULUS III

Collectiones Juris novissimi.

Dicemus primo de partibus quibus constat jus novissimum ; dein de illius collectionibus.

CAPUT I

DE PARTIBUS QUIBUS CONSTAT JUS NOVISSIMUM (1)

207. — Jus novissimum vocamus omnes leges ecclesiasticas quæ, post recensitas collectiones, a legitima potestate conditæ fuerunt.

Illius partes præcipuæ sunt *Decreta Concilii Tridentini* et recentiores *Bullæ SS. Pontificum.* Hæc utraque pars suas habet accessiones.

208. — I. *Concilium Tridentinum* (1545-1563) sessionibus XXV constat. Non tantum dogmata definivit, verum etiam disciplinam decretis inscriptis *de Reformatione* restauravit. Ejusmodi decreta tanquam jus commune custodienda sunt ; imo laudantur ut summa et codex irrefragabilis disciplinæ nunc vigentis.

(1) Schmalzgrueber, *Dissert. procem.*, § 10 — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources* chap. III.

Legibus Tridentinis accedunt *Declarationes Congregationis* Cardinalium quibus commissa est Concilii interpretatio. (De earum auctoritate vide n. 135 et seqq.)

209. — II. Juris canonici partem efficiunt *Bullæ* sive *Constitutiones* Pontificum romanorum.

Bullis accedunt *Regulæ Cancellariæ*, numero 72, juxta quas in Cancellaria Apostolica negotia expedienda sunt. A cæteris constitutionibus in eo differunt, quod morte cujusque Pontificis vim suam amittunt, donec a novo Pontifice confirmentur. — De illis præcipue sermo est in tractatu *de Beneficiis*, quia principaliter versantur circa beneficia S. Pontifici reservata. In Gallia et alibi his regulis derogatum est in multis, sive per Concordata, sive per consuetudines debitis conditionibus vestitas.

CAPUT II

DE NOVISSIMIS COLLECTIONIBUS

Distinguuntur: — I. Septimus Decretalium; — II. Bullaria et collectiones Conciliorum.

ARTICULUS I

SEPTIMUS DECRETALIUM (1).

210. — I. Primus omnium Gregorius XIII meditatus est colligere Decretales SS. Pontificum a Sixto IV, et canones Conciliorum a Concilio Viennensi. Eo mortuo, opus perficiendum curavit Sixtus V. Denique, jussu Clementis VIII, opus confectum et typis impressum fuit sub titulo : *Liber Septimus Decretalium*. Sed, obortis difficultatibus, quas commemorat Fagnanus (2), nempe circa prohibitionem edendi privatos commentarios super decretis Tridentinis huic libro insertis, suppressa est ista collectio tantis laboribus elucubrata.

Cum ante promulgationem illius publicatio fuerit intermissa, iste liber non habet auctoritatem ; at singula in eo inserta retinent vim quam prius habebant.

211. — II. Iisdem fere temporibus (1590), Petrus Matthæus, jurisconsultus Lugdunensis, edidit *Septimum Decretalium* privato studio exaratum. Hoc opus aliquibus Corporis Juris editionibus adjectum est.

Ejusmodi codex publica auctoritate caret; multa in eo sunt vitia, et plura omissa desiderantur.

ARTICULUS II

BULLARIA ET COLLECTIONES CONCILIORUM (3).

212. — I. *Bullaria*. Sub Sixto V, Laertius Cherubinus, Romanus,

(1) Devoti, *Prolegomena*, cap. VII. — Soglia, *Prænotiones*, § 60. — (2) Fagnan., in cap. *Cum venissem*, de Judic. — (3) Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. II. — Devoti, *Prolegomena*, cap. VII.

SS. Pontificum constitutiones extra Corpus juris vagantes, incipiens a S. Leone Magno, primus collegit in unum volumen, quod *Bullarium* appellavit. Ejus filius Angelus Maria Cherubinus, opus a patre susceptum absolvens, adjecit multas constitutiones usque ad Innocentium X, et *Magnum Bullarium*, quatuor voluminibus constans, edidit anno 1638. His quintum volumen accessit, quo Angelus a Lantusca et Paulus a Roma complexi sunt alias constitutiones usque ad Clementem X.

Sed omnium bullariorum amplissimum est *Bullarium Magnum* ab Hieronymo Mainardi editum Romæ, et in quatuordecim tomos distributum. In eo continentur constitutiones SS. Pontificum, a S. Leone Magno ad Clementem XII.

In publicam lucem prodierunt, jussu Benedicti XIV, ipsius constitutiones, tomis quatuor comprehensæ. Præterea, edita est *Magni Bullarii continuatio*, Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII, Pii VIII et Gregorii XVI constitutiones complectens (Romæ, 1835).

Hæc Bullaria, si forte excipias Bullarium Benedicti XIV, sunt opera privata.

Ad jus particulare pertinent Bullarium S. Cong. de propaganda fide et Bullaria singulorum ordinum religiosorum, in quibus collectæ sunt constitutiones apostolicæ cuique instituto speciales.

213. — II. *Conciliorum collectiones* aliæ sunt generales, aliæ autem particulares.

Ad colligendos canones omnium Conciliorum sua studia contulerunt plures viri docti; v. g. in sæculo XVI°, *Merlin*, *Crabbe*, *Surius;* in sæculo XVII°, *Labbe*, *Cossart*, *Baluze;* in sæculo XVIII°, *Coletus* et *Mansi* amplissimam Conciliorum collectionem ediderunt.

Hujusmodi collectiones, utpote privata opera, auctoritate publica destituuntur.

LIBER TERTIUS

DE EXPOSITIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM

Tradendæ sunt primo regulæ quibus expositio legum dirigitur; dein methodus exponendi leges.

CAPUT I

REGULÆ QUIBUS EXPOSITIO LEGUM DIRIGITUR (1)

214. — Legum expositio est *explicatio sensus in lege contenti*. Jamvero duplex distinguitur interpretatio legum : alia est *publica*, quæ ab auctoritate procedit; alia autem *privata* seu doctrinalis, quæ fit a privatis doctoribus. Utraque fit juxta statutas regulas.

In jure canonico, *regula* definitur : *sententia quæ jus præexistens summarie refert*. Non enim ex regula fit jus, sed ex jure præexistente facta est regula, v. g. ex pluribus canonibus diversas privationes statuentibus contra infames educta est regula 87, in 6 : *Infamibus non pateant portæ dignitatum*.

Regulæ dividuntur in *authenticas* et *doctrinales*. Authenticæ nituntur auctoritate legislatoris, et vim juris obtinent quoad omnes casus non exceptos; doctrinales a doctoribus privatis instar axiomatum inventæ sunt, et dictæ sunt *brocardicæ* e nomine corrupto Burchardi (les *brocards*, en droit français), celebris canonistæ. — Nulla vero regula sine exceptione universaliter probat; sed omnibus subest aliqua exceptio seu *fallentia*.

ARTICULUS I

REGULÆ AUTHENTICÆ JURIS

215. — Legum interpretatio publica subdividitur in authenticam, usualem et judicialem. — *Authentica* proponitur ab ipso legislatore. *Usualis* fit ex consuetudine, et vim legis habet, quoties consuetudini accedit legislatoris consensus, juxta axioma : *consuetudo est optima legum interpres* (2). Interpretatio *judicialis* seu *tribunalium* regulariter interpretationi authenticæ non æquivalet, nisi vel uniformitas decisionum inducat praxim curiæ, vel tribunal supremum legem communem interpretetur. Ratio est, quia facultas interpretandi judicibus eatenus tantum competit, quatenus ad legem applicandam necessarium est judicium de vero illius sensu (3).

(1) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. 41, *de Regulis juris*. — Pirhing, *Jus canonicum*, lib. V, tit. 41. — Inst. mor. Alph. 166-174. — (2) *Decretalium*, lib. I, tit. 4, *de Consuetudine*. — (3) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. I, *de Potestate judiciaria*. — Soglia, *Prænotiones*, § 7. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 2, § 7, *de Interpretatione legis*.

Præmissa ejusmodi distinctione, superest ut proponantur 89 authenticæ regulæ juris, quales tum in *Decretalibus Gregorianis*, tum in *Sexto decretalium* reperiuntur, ad instar 211 regularum juris romani, *Digestis* subjunctarum.

§ 1. — *Regulæ in Decretalibus Gregorianis* (1).

216. — I. Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
II. Dubia in meliorem partem interpretari debent.
III. Utilius scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.
IV. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.
V. Quod illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.
VI. Tormenta, indiciis non præcedentibus, inferenda non sunt.
VII. Sacrilegus est offendens rem vel personam ecclesiasticam.
VIII. Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit.
IX. Committens unum peccatum, reus est omnium quoad vitam æternam.
X. Ignorantia non excusat Prælatum, in peccatis subditorum.
XI. Pro spiritualibus homagium non præstatur.

§ 2. — *Regulæ in Sexto Decretalium.*

DECAS I

217. — I. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri.
II. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.
III. Sine possessione præscriptio non procedit.
IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
V. Peccati venia non datur nisi correcto.
VI. Nemo potest ad impossibile obligari.
VII. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.
VIII. Semel malus, semper præsumitur malus.
IX. Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum.
X. Ratihabitionem retrotrahi, et mandato æquiparari, non est dubium.

DECAS II

XI. Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.

(1) De regularum interpretatione præclare scripsit Card. Sanfelice; item, Reiffenstuel, *De regulis juris*.

XII. In judiciis non est acceptio personarum habenda.
XIII. Ignorantia facti, non juris, excusat.
XIV. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.
XV. Odia restringi, et favores convenit ampliari.
XVI. Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.
XVII. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.
XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.
XIX. Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, se immiscet.
XX. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

DECAS III

XXI. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.
XXII. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
XXIII. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
XXIV. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.
XXV. Mora sua cuilibet est nociva.
XXVI. Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.
XXVII. Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus.
XXVIII. Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.
XXIX. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.
XXX. In obscuris minimum est sequendum.

DECAS IV

XXXI. Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.
XXXII. Non licet Actori quod Reo licitum non existit.
XXXIII. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.
XXXIV. Generi per speciem derogatur.
XXXV. Plus semper in se continet quod est minus.
XXXVI. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.
XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.
XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit impugnare.
XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.
XL. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

DECAS V

XLI. Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.
XLII. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

XLIII. Qui tacet consentire videtur.
XLIV. Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.
XLV. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.
XLVI. Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.
XLVII. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
XLVIII. Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.
XLIX. In pœnis, benignior interpretatio facienda est.
L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

DECAS VI

LI. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.
LII. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.
LIII. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.
LIV. Qui prior est tempore, potior est jure.
LV. Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.
LVI. In re communi, potior est conditio prohibentis.
LVII. Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.
LVIII. Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum.
LIX. Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem.
LX. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.

DECAS VII

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.
LXII. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.
LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.
LXIV. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.
LXV. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.
LXVI. Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.
LXVII. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.
LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.
LXIX. In malis promissis, fidem non expedit observari.
LXX. In alternativis, debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

DECAS VIII

LXXI. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.

LXXII. Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.
LXXIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.
LXXIV. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.
LXXV. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.
LXXVI. Delictum personæ non dedet in detrimentum Ecclesiæ redundare.
LXXVII. Rationi congruit, ut succedat in onere qui substituitur in honore.
LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
LXXIX. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.
LXXX. In toto partem non est dubium contineri.

DECAS IX

LXXXI. In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
LXXXII. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.
LXXXIII. Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.
LXXXIV. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.
LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.
LXXXVI. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.
LXXXVII. Infamibus portæ non pateant dignitatum.
LXXXVIII. Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

ARTICULUS II

REGULÆ DOCTRINALES INTERPRETATIONIS (1)

218. — I. *Earum utilitas.* Leges humanæ admittunt doctrinalem interpretationem, quæ, licet per se vim non habeat introducendi leges, tamen interdum valet moralem certitudinem parere et obligationem inducere.

Cum enim leges ecclesiasticæ sint regulæ generales et stabiles, legislator nequit legem ferre ita claram et providam, quæ nulla egeat interpretatione. Sæpe nascuntur ambiguitates vel dubia, tum quia leges paucis ac generalibus verbis feruntur, tum quia in earum applicatione ad peculiares casus oriuntur difficultates, propter quas explicatio legis requiritur.

Cum vero legislator non semper consuli possit, propterea necessarium

(1) S. Alph., lib. I, 200. — Brabandere, *Prænotiones*, art. VI.

fuit ut privatis liceret legem doctrinaliter interpretari (1). Hoc munus obit jurisprudentia canonica.

219. — II. *Multiplex genus regularum doctrinalium* distinguitur.

1. Ipsa interpretatio doctrinalis dividitur in *simplicem* seu declarativam, *extensivam* et *restrictivam*.

Interpretatio *simplex* mentem legislatoris assequitur mera expositione verborum legis; ideo dicitur *litteralis*, *declarativa*, *et comprehensiva*.

Interpretatio *extensiva* legem extendit, ob identitatem rationis, ad personam vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum.

Interpretatio *restrictiva*, quæ vocatur *Epieikeia* (æquitas), benigne et ex æquo declarat ob circumstantias casum particularem in lege alias universali ex mente legislatoris non contineri (2).

2. Ut recta sit interpretatio, variæ regulæ doctrinales adhibentur : aliæ sunt *generales;* aliæ respiciunt interpretationem vel *extensivam*, vel *restrictivam*, vel *simplicem*; aliæ in *conflictu legum* observantur. — De singulis nunc agendum.

§ 1. — *Regulæ generales* (3).

220. — *Regula* 1ª. — Legis interpretatio semper *juxta mentem legislatoris* fieri debet. Etenim, intentio legislatoris est anima legis et obligationis mensura. Proinde, quacumque ratione voluntas legislatoris constet, juxta illam lex erit interpretanda.

Regula 2ª. — Cum materia legis debeat esse rationi conformis et societati utilis, *excludenda est interpretatio ex qua sequeretur absurdum*, *iniquitas*, *contrarietas legum*, *ipsa legis inutilitas;* nam, ut acute scripsit quidam, inter varias species interpretationis nondum recensetur interpretatio *annihilativa* legis. Sic admitti nequeunt causæ excusantes a lege jejunii omnes christianos.

Regula 3ª. — Exceptionis a regula tres sunt præcipui effectus. — *Primus* effectus : *Exceptio restringit regulam*, nam universalitas regulæ deficit seu patitur *fallentiam*, respectu casus excepti. Sic regula : *lex positiva non obligat cum tanto incommodo*, non valet ubi agitur de bono publico procurando, vel de scandalo vitando.

Secundus effectus : *Exceptio declarat regulam;* etenim ex qualitate exceptionis apparet de quo rerum genere regula disponat.

Tertius effectus ; *Exceptio firmat regulam* in casibus non exceptis, id est, casus qui excepti non reperiuntur, eo ipso censentur comprehensi sub regula.

§ 2. — *Regulæ interpretationis extensivæ* (4).

221. — *Regula* 1ª. — *Ob solam similitudinem rationis, lex non extendenda est* ad casus non expressos. — Etenim, ratio legis non est ipsa lex,

(1) Suarez, *de Legibus*, lib. I, cap. 1. — (2) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. I, tit. 2.
(3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 2. — Zallinger, *Institutionum*, lib. I, tit. 2.
(4) Suarez, *de Legibus*, lib. VI. — Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. I, tit. 2.

nec legislator intendit obligare nisi ad id quod exprimit, v. g. statuta pro regularibus non spectant ad Congregationes non stricte regulares.

Regula 2ª — *Ob identitatem rationis, extensio legis facienda est.* — Etenim, si lex non extenderetur ubi eadem prorsus militat ratio, legislator argui posset injustitiæ vel imprudentiæ. Unde illud axioma : *Ubi eadem est ratio, ibi eadem juris dispositio.*

Id autem evenit : 1º *in corelativis*, v. g. inter sponsum et sponsam; 2º in *æquiparatis*, v. g. lex permittens monialibus egressum ob incendium, censetur id concedere ob hostium invasionem; 3º in *connexis* et *contentis*, v. g. *qui potest testari, etiam codicillos facere potest.*

Regula 3ª — *Favores sunt ampliandi* (*odia sunt restringenda*). Hujus regulæ pars prior ita intelligitur : in legibus, quæ favent libertati aut aliquam gratiam concedunt, possunt ampliari, quantum patitur significatio verborum. Sic annus vigesimus secundus, ad suscipiendum subdiaconatum requisitus, intelligitur incœptus tantum.

Juxta idem principium, privilegia *præter legem* late interpretanda sunt, eo quod bono publico non adversantur, et ideo sunt meri favores. — Huc referuntur quædam authenticæ regulæ juris, quibus Theologia moralis utitur velut principiis reflexis, v. g. *In dubio, melior est conditio possidentis; — In dubio, favendum est reo.*

§ 3. — *Regulæ interpretationis restrictivæ* (1).

222. — *Regula* 1ª. — Lex positiva licite restringitur, si adsit causa rationabilis præsumendi de benigna mente legislatoris, quod in his circumstantiis noluerit obligare. — Ratio est, quia lex est *ordinatio justa*, nec legislator vult obligare in casibus quos quidem verba legis non excipiunt, mens vero ipsius juxta regulas æquitatis non comprehendit, v. g. sumptio Eucharistiæ minime interdicitur non jejunis, cum imminet profanationis periculum.

Regula 2ª. — Licitum est uti επιεικεία : 1º Cum litteralis observantia legis adversatur legi superiori, v. g. sine peccato missionarius dimittit vestem clericalem, ut conversari possit apud infideles aut hæreticos; — 2º Cum nocet bono communi, v. g. cives possunt arma capere et pugnare contra hostes civitatem invadentes, licet lex generalis gestationem armorum prohibeat; — 3º Quando nimis onerosa est lex humana; nam cum gravi detrimento non obligat, juxta axioma vulgatissimum : *lex positiva non obligat cum tanto incommodo.*

Regula 3ª. — (*Favores sunt ampliandi*), *odia sunt restringenda.* Hujus regulæ pars altera ita intelligitur : in legibus, quæ sive personæ alicui sive communitati gravamen inferunt, restringi possunt, quantum patitur proprietas verborum. Sic annus vigesimus primus quo urget lex jejunii, intelligitur completus. Pariter privilegia odiosa, seu *contra* legem, stricte interpretanda sunt; nam adversari videntur bono publico, quod est finis legis.

(1) Maschat, *Institutionum*, lib. I, tit. 2. — Schmalzgrueber, lib I, tit. 2. — Suarez, *de Legibus*, lib. VI.

Huc etiam referuntur quædam principia reflexa, quibus utitur Theologia moralis, v. g. *lex dubia non obligat; — nemo malus præsumitur nisi probetur; — in pœnis, benignior interpretatio facienda est* (1).

§ 4. — *Regulæ interpretationis declarativæ* (2).

223. — *Regula* 1ª. — Interpretatio sit *grammaticalis*, id est, attendatur verborum proprietas. — Ratio est, quia ex verbis juxta communem significationem acceptis plerumque colligitur voluntas legislatoris; sic enim putandum est illa a legislatore adhibita fuisse, ut facile ab omnibus intelligerentur. Vix quidquam in jure certum esset, si a propria verborum significatione ad libitum recederetur.

Propterea lex generaliter loquens omnia significata complectitur; nam *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

Regula 2ª. — Interpretatio legum sit *historica*, id est habeatur ratio temporum. — Hæc regula duplici modo intelligitur :

1. Ratio temporum habenda est, quandoquidem sunt aliquæ voces quæ antiquis temporibus aliud significabant, aliud nunc significant. Exemplo sunt vocabula *papa*, *diœcesis*, *parochia*, *viaticum* et alia, quorum antiquæ significationes in alias mutatæ sunt.

2. Si verba sint ambigua, historia inservit ad legem interpretandam. Nimirum occasio sive causa ob quam lex condita est, et adjuncta personarum, locorum ac temporum investiganda sunt, ex quibus lux aliqua effulgebit, ad percipiendum mentem legislatoris sensumque legis.

§ 5. — *Regulæ servandæ in conflictu legum* (3).

224. — *Regula* 1ª — In concursu legum quæ sibi contrariæ videntur, primo *tentanda est conciliatio.* — Etenim, non facile admittenda est antinomia seu contrarietas legum, ne legislator sibi contradicat. Unde, cum correctio jurium sit odiosa, omni possibili modo leges invicem conciliandæ sunt, nisi expresse canon unus corrigat alterum.

Regula 2ª. — In concursu legis generalis cum alia lege generali, si conciliatio utriusque non speretur, *lex nova derogat priori.* Ita statuunt Decretales : « Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem revocare noscitur (4). »

Regula 3ª. — Si concurrant duæ leges contrariæ, altera specialis, altera generalis, *utraque observetur*, nempe generalis tanquam regula, specialis autem tanquam exceptio, juxta regulam 34ªm, in 6 : *Generi per speciem derogatur.* — Ratio est, tum quia legislator legi generali præexistenti derogat per concessionem juris particularis ; tum quia « Romanus Pontifex, cum locorum specialium consuetudines possit ignorare, ipsis, nisi de iis expressam faciat mentionem, non intelligitur derogare (5). »

(1) Layman, *Commentaria*, cap. XXXV, *de Rescriptis.* — S. Alph., lib. I, n° 99. — (2) Soglia, *Prænotiones*, § 7. — Suarez, *de Legibus*, lib. VI. — Schmalzgrueber, lib. I, tit. 2.
(3) Maschat. *Prolegomena*, § 5, *de Antinomia juris canonici.* — Lib. I, tit. 2. *de Interpretatione legum.* — (4) Bonifacius VIII, cap. I, *de Constitutionibus*, in 6. — (5) Bonifacius VIII, *ibidem.*

CAPUT II

METHODUS EXPONENDI LEGES

Distinguitur methodus in scholis adhibita, et methodus adhibita in libris.

ARTICULUS I

METHODUS IN SCHOLIS ADHIBITA (1)

225. — I. Pro ratione studiorum in Universitatibus constituta, cursus juris canonici perficitur duplici tractatione, scilicet Institutionibus et Decretalium expositione.

In Institutionibus, canonistæ tradunt *elementa juris* ordine logico, cuique auctori bene viso; in Decretalium expositione, vel tradunt doctrinam juris juxta earum titulos, vel singulos canones seu textus ad litteram interpretantur.

226. — II. Sicut philosophi et theologi juxta formam syllogisticam argumentantur, ita habentur exercitationes, quibus Decretales *scholastica methodo* disputando explanantur. — Jamvero, ejusmodi exercitium constat tribus partibus, quarum singulæ duplici actu absolvuntur : — 1. Legitur canon interpretandus; lecto autem capite, conficitur facti species, nempe inquiritur factum quod decisioni occasionem dedit.

2. Exponitur dubium de jure decernendo quoad factum narratum, et afferuntur rationes dubitandi seu difficultates.

3. Difficultatibus opponitur decisio, et ratio decidendi vindicatur.

ARTICULUS II

METHODUS IN LIBRIS ADHIBITA (2)

227. — I. Ad diversa genera referuntur libri de jure canonico scripti, videlicet :

1. Prænotiones in jus canonicum, v. g. Laurin, *Introductio in corpus juris canonici*, — Bouix, *De principiis juris canonici*.

2. Opera historica, quæ complectuntur : — *A.* historiam fontium, v. g. historia conciliorum, editiones criticæ constitutionum pontificiarum seu Bullaria; — *B.* historiam disciplinæ, v. g. opera Thomassini; — *C.* historiam scientiæ canonicæ.

3. Institutiones canonicæ, quæ dividuntur in institutiones juris ecclesiastici publici, v. g. Soglia, Cavagnis, — et institutiones in quibus jus publicum et privatum consociantur, v. g. compendia quæ ediderunt Icard, Bonal, Bargilliat, Goyenèche, Devoti, Brabandere, Makée.

(1) Gonzalez, *Commentaria in Decretales*, lib. I. — Berardi, *Commentaria in Decretales*, Præfatio. — Zallinger, *Appendix*, cap. IV. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses sources*, chap. II.

(2) Devoti, *Prolegomena*. — Audisio, *Introduction aux études ecclésiastiques*. — Zallinger, *Appendix*, cap. V. — Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, introduction. — Walter, *Manuel du droit ecclésiastique*, introduction.

4. Codices in quibus distinctis articulis, brevissime et ordine logico enuntiantur præscripta universi juris canonici, v. g. *Jus canonicum generale* D. Pilliet, *Memento juris ecclesiastici* D. Deshayes.

5. Ampliora opera, ubi reperire est : — *A.* commentaria in singulos textus Decretalium, v. g. apud Fagnanum, Barbosa; — *B.* expositionem juris pontificii juxta Decretalium titulos, v. g. apud Santi, de Angelis, Grandclaude, Schmalzgrueber, Reiffenstuel.

6. Monologia, quæ comprehendunt : — *A.* varios tractatus, v. g. apud Bouix, *Institutiones juris canonici*, apud Duballet, *Cours complet de droit canonique*. — *B.* dissertationes peculiares, v. g. de Concordatis, de Conciliis, de Cœlibatu ecclesiastico.

7. Repertoria, v. g. *Bibliotheca canonica* L. Ferraris, *Manuale* D. Craisson, lexicon D. André.

8. Scripta periodica, v. g. *Jurisprudence canonique*, *Canoniste contemporain*, *Acta S. Sedis*, *Analecta juris pontificii*.

228. — II. *Systemata juris canonici*. — Plurimi canonistæ, ordinem Decretalium secuti, jus ecclesiasticum, ad judiciorum rationem redactum, dividunt in quinque libros, quorum summa in isto versu continetur : *Judex*, *Judicium*, *Clerus*, *Connubia*, *Crimen*.

Aliud tamen invaluit systema, ab Institutis Justiniani et decreto Gratiani desumptum, quod universam juris materiam distribuit in tres partes, nempe *de personis*, *de rebus* et *de judiciis*.

Methodum ex natura rei deductam in præsenti opere persequimur; optandum est enim ut ipse juris conspectus ideam Ecclesiæ exprimat. — Huc pertinet proposita partitio Institutionum in duplicem partem, alteram *generalem*, alteram *specialem*. Sicut enim in omni scientia « ex principiis proceditur in objectum (1); » ita *pars generalis* exposuit *Principia scientiæ canonicæ*, *pars* vero *specialis* describit *Statum Ecclesiæ juxta canones*.

(1) Liberatore, *Institutiones philosophicæ. Logica*, pars II, cap. LI.

PARS SPECIALIS

DESCRIBENS

STATUM ECCLESIÆ JUXTA CANONES

229. — Jus canonicum, objective spectatum, est *complexus legum quibus ordinatur vita Ecclesiæ tanquam societatis visibilis* (1).

Jamvero ex voluntate Christi, cui innititur jus publicum ecclesiasticum, tum internum, tum externum, status Ecclesiæ determinatur tripliciter, scilicet : 1. respectu *personarum* in quibus potestas ecclesiastica residet; — 2. respectu *mediorum* quibus prædita est; — 3. respectu *gradus* quem obtinet Ecclesia præ societatibus civilibus (2).

Unde, antequam aggrediamur *externas relationes* Ecclesiæ cum societatibus civilibus, præstat internum regimen societatis christianæ definire, tum discrimine *personarum* quibus ipsa constat, tum determinatione *mediorum* quibus Ecclesia utitur. Tres ergo erunt libri, sequenti ordine exponendi :

Liber I. De personis Ecclesiæ.
Liber II. De mediis quibus Ecclesia utitur.
Liber III. De relationibus Ecclesiæ cum societatibus civilibus.

(1) Supra, *Prænotiones*, § 2, n. 13. — (2) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, p. 2.

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS ECCLESIÆ (1)

230. — I. *Personæ quibus Ecclesia constat.* Jesus Christus, generis humani Salvator, baptizatos in se credentes in societatem visibilem evocavit, seu in *Ecclesiam* jussit coalescere. — Jamvero Ecclesia describitur : *Societas a Christo instituta hominum conjunctorum unius fidei professione, eorumdem sacramentorum communione, et ad Summum Pontificem aliosque legitimos pastores subjectione.*

Ex ista definitione colligitur corpus Ecclesiæ per fidem baptismalem formari, et Christum voluisse ut illius membra triplici vinculo visibili connecterentur, scilicet 1° professione ejusdem fidei, 2° subjectione ad pastores legitimos, præsertim ad Romanum Pontificem, et 3° usu eorumdem sacramentorum. — Igitur ab illo corpore separantur *hæretici*, *schismatici* et *excommunicati*, ratione privationis vel professionis fidei, vel subjectionis ad legitimos Pastores, vel participationis sacramentorum.

231. — II. *Divisio personarum Ecclesiæ in clericos, regulares et laicos* (2).

Ex institutione Christi, corpus Ecclesiæ distribuitur in hierarchiam et fideles, id est, personæ dividuntur in clericos et laicos. *Clerici* divino cultui et Ecclesiæ ministerio ab Episcopo per ordinationem addicti sunt; reliqui fideles *laici* appellantur, e voce græca λαός, id est, *populus*, eo quod ex illis coalescit populus christianus.

Inter clericos et laicos, jure partim divino, partim ecclesiastico, interjectum est tertium genus personarum, nempe *regulares*. Etenim status religiosus in genere a Deo ducit originem, quatenus Christus dedit consilia evangelica ; singuli autem ordines regulares sunt institutionis ecclesiasticæ. Hinc præsens liber optimo jure in tres titulos dividitur, qui sunt :

Titulus I. De Clericis.
Titulus II. De Regularibus.
Titulus III. De Laicis.

(1) Devoti, *Prolegomena*, cap. I. — Bellarminus, *de Membris Ecclesiæ*. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. IV. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, liv. I.

TITULUS I

De Clericis.

232. — *Hierarchia* dicitur tum potestas spiritualis, tum series personarum quæ eam exercent. Sub isto duplici respectu considerata, definitur : *Potestas a Christo suis Apostolis eorumque legitimis successoribus tributa, ut Ecclesiam regant, et divina religionis mysteria celebrent atque dispensent* (1).

I. *Multiplex potestas ecclesiastica.* — Christus est doctor, sacerdos et rex. Cum potestas Ecclesiæ eadem sit ac potestas Christi, habita ratione istius triplicis muneris, trifariam dividitur in *magisterium*, *ministerium* et *imperium*. Exercitium autem hujus triplicis potestatis non est nisi continuatum opus Salvatoris, per Ecclesiam suam incessanter homines docentis, sanctificantis et gubernantis; nam ipse dixit : « Qui vos audit, me audit (2)..... Sicut misit me pater, et ego mitto vos (3).....Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus (4). »

Ista tria munera constituunt objectum sacræ potestatis; et illis respondet *triplex vinculum* quo fideles Ecclesiæ conglutinantur, nempe unius fidei professio, eorumdem sacramentorum usus, et ad legitimos Pastores subjectio (5).

II. *Duplex hierarchia.* — Cum iidem Pastores, nempe Summus Pontifex et Episcopi, magisterium simul et imperium exerceant, ideo datur tantum duplex hierarchia, scilicet hierarchia *ordinis* ad ministerium sacrum obeundum, et hierarchia *jurisdictionis* ad magisterium et imperium exercendum (6). De utraque in duplici distincto tractatu agemus.

TRACTATUS I

DE HIERARCHIA ORDINIS

Disserendum venit : I. De potestate Ordinis et diversitate Ordinum ; — II. De accessu ad Ordines ; — III. De juribus et obligationibus clericorum.

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. I. — Hallier, *de Hierarchia*, p. 144. — (2) Luc, X, 16. — (3) Jo., XX, 21. — (4) Matt., XXVIII, 18-20. — (5) Phillips, *Du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, introduction. — (6) Tarquini, *Institutiones juris publici*, p. 2. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. V.

DISSERTATIO I

DE POTESTATE ORDINIS ET DIVERSITATE ORDINUM

CAPUT I

POTESTAS ORDINIS IN GENERE (1)

Potestas Ordinis ex relatione ad potestatem jurisdictionis facilius dignoscitur. Quare summariam tum potestatis ordinis, tum jurisdictionis notionem trademus.

233. — I. *Definitio potestatis Ordinis.* — Potestas Ordinis est *illa qua sacrificium offertur, sacramenta ministrantur et sacræ functiones peraguntur.*

Juxta hanc definitionem, quæ complectitur integrum Ordinis objectum, duplex potestas Ordinis distinguitur. Cum sacramenta et sacrificium sint divinitus instituta, pariter ex jure divino procedit potestas Ordinis quæ ad illa refertur. Verum ab Ecclesia pendet illa potestas Ordinis quæ cæteras functiones sacras respicit; nam sacramentalia sunt institutionis ecclesiasticæ.

234. — II. *Definitio Jurisdictionis.* — Jurisdictio generatim est *potestas regendi subditos.* Jurisdictio ecclesiastica definitur : *A Christo instituta spiritualis potestas regendi Ecclesiam et fideles in finem supernaturalem.*

Verba *potestas regendi Ecclesiam* designant jurisdictionem externam, quæ societatem perfectam gubernat legibus et judiciis. Verba vero *potestas regendi fideles* conveniunt etiam jurisdictioni internæ, quæ in singulos fideles exercetur.

Postquam discrimen quod inter Ordinem et Jurisdictionem intercedit breviter indicaverimus, dicemus quinam sint utriusque actus.

ARTICULUS I

DISCRIMEN INTER ORDINEM ET JURISDICTIONEM (2)

235. — I. Primum discrimen oritur ex *objecto* utriusque potestatis. — Etenim potestas determinatur ex illius proportione ad societatis finem. Atqui Ecclesiæ finis proximus, nempe animarum sanctificatio, duabus viribus obtinetur, scilicet, *gratia divina et hominum cooperatione;* et potestas Ordinis fuit a Christo instituta ad conferendam gratiam, dum potestas Jurisdictionis cooperationem hominum dirigit sive per magisterium, sive per disciplinam. Itaque universa clericorum potestas vel ad sacrum ministerium vel ad Ecclesiæ regimen pertinet.

Hinc ex diversitate utriusque objecti sic determinatur discrimen Ordinis et Jurisdictionis : ordo seu ministerium per ritus sanctificat; potestas vero Jurisdictionis in regendo consistit (3).

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. I, cap. I.— Devoti, *Institutionum*, lib. I, tit. II. — (2) Bouix, *de Principiis juris canonici*, pars IV, cap. III. — (3) Magnin, Episcopus Anneciensis, *Juris canonici Institutiones*, lib. II, tit. 10.

236. — II. Aliud discrimen oritur *ex modo quo acquiritur* utraque potestas. — Etenim potestas Ordinis per sacram *ordinationem* confertur ; potestas autem jurisdictionis transmittitur per *missionem*, quæ definitur : *Legitima assignatio subditorum*, vel : *legitima deputatio ad exercendum munus spirituale* (1).

1. Hanc distinctionem sic tradit S. Thomas : « Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur... ; et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine quamdiu vivit... Potestas autem jurisdictionis est, quæ ex simplici injunctione homini confertur ; et talis potestas non immobiliter adhæret (2). »

2. Concilium Tridentinum ad legitimos Ecclesiæ ministros constituendos ordinationem et missionem necessariam esse definivit : « Si quis dixerit eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite *ordinati*, nec *missi* sunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum ministros ; anathema sit (3). »

237. — III. Potestas Ordinis *nec amitti, nec restringi potest.* Concilium Tridentinum docet : « Quoniam in sacramento Ordinis... character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere (4). » Quæ verba innuunt potestatem Ordini annexam esse perpetuam et invariabilem. Igitur Episcopi et sacerdotes rite ordinati semper et ubique valide agunt ea quæ vi solius ordinis peraguntur.

Non sic jurisdictio, quæ, cum ex missione Ecclesiæ conferatur, limitari aut omnino tolli potest. Unde restringitur jurisdictio Episcoporum ratione tum loci, tum materiæ, tum personarum ; omnino tollitur jurisdictio sive ab Episcopo deposito, sive ab eo qui Episcopatui renuntiavit ; et ipsi actus jurisdictionis irritari possunt.

238. — IV. *Potestas una sine altera stare potest.* — Nimirum Episcopis titularibus Ordo confertur sine jurisdictione ; e contra, Episcopus residentialis semel institutus, licet nondum consecratus, jurisdictionem in suam diœcesim sortitur.

ARTICULUS II

ACTUS ORDINIS ET JURISDICTIONIS (5).

239. — I. Ad potestatem Ordinis referenda est omnis et sola potestas sacrificium, sacramenta, vel sacramentalia respiciens, et a Christo, vel ab Ecclesia, ita inseparabiliter alicui ordinum gradui alligata, ut valide semper exerceatur.

Dicitur 1° : Ad Ordinem refertur sola *potestas respiciens sacrificium*,

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. I, cap. I. — (2) S. Thomas, 2ª 2æ, quæst. 39, art. 3. — (3) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, can. VII. — (4) Ibidem, cap. IV. (5) Bouix, *de Principiis juris canonici*, pars IV, cap. III.

sacramenta, vel sacramentalia ; hæc enim sunt objecta hujus potestatis. Verum non omnis functio sacramentalis statim ad Ordinis potestatem revocanda est ; etenim,

Dicitur 2° : Ad Ordinem pertinet sola hujusmodi *potestas a Christo vel ab Ecclesia alicui ordinum gradui annexa ;* nam laici possunt privatum baptismum in casu necessitatis ministrare, necnon (siquidem ministri sunt contrahentes) sacramentum matrimonii conficere ; verum hæc potestas, cum non fuerit Ordinibus alligata, non est potestas Ordinis. E contra, sunt functiones sacræ ad quas obeundas Ordo non sufficit, sed præterea exigitur jurisdictio ; sic administratio Pœnitentiæ requirit Ordinem ratione sacramenti, et jurisdictionem ratione judicii.

Dicitur 3° : Hæc potestas ita inseparabiliter ordinibus cohæret, ut *semper valide exerceatur ;* sed jurisdictio aut approbatio superioris requiritur ad legitimum exercitium Ordinis.

240. — II. Inde colligitur *quinam sint actus jurisdictionis.* Videlicet jurisdictio, quatenus potestati Ordinis opponitur, non est nisi legitima deputatio ad aliquos actus perficiendos, qui non stricte ad potestatem Ordinis pertinent. — Proinde, ad jurisdictionem non tantum potestas legislativa, judiciaria et coercitiva refertur, sed etiam omnes actus ad quos ponendos auctoritas ecclesiastica intervenire debet, v. g. concessio indulgentiarum.

In societate christiana, omnis jurisdictio penes *Ecclesiæ rectores* velut in suo fonte conclusa residet ; et ad singulos derivatur per specialem eorum injunctionem.

CAPUT II

DIVERSITAS ORDINUM

241. — Concilium Tridentinum docet : « Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione *plures* et *diversi* essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent (1). » Quapropter agemus 1° de sacerdotio ; — 2° de ministris sacerdotio inservientibus, quorum alii ministri majores, alii minores sunt ; — 3° de prima tonsura, qua quis statum clericalem ingreditur Abstrahemus autem ab inquirenda ratione sacramenti in singulis ordinibus, de qua disputant theologi.

ARTICULUS I

DUPLEX SACERDOTIUM (2)

Duplex distinguitur sacerdotium, nempe *episcopatus* et *presbyteratus.*

242. — I. *Discrimen inter episcopatum et presbyteratum*, ratione Ordi-

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. II. — (2) Thomassin, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, tom. I, lib. I, cap. I.

nis, oritur præsertim e potestate ministrandi sacramenta. Etenim episcopatus est Ordo supremus, quo datur presbytero potestas ordinandi, confirmandi, ecclesiamque sibi commissam regendi. Christus episcopali characteri alligavit potestatem exclusivam ordinandi Episcopos, sacerdotes et diaconos, necnon potestatem ordinariam conferendi confirmationem. — Horum sacramentorum collatio ita Episcoporum est propria ex jure divino, ut sacerdotium et diaconatus a presbyteris nunquam, confirmatio vero nonnisi cum licentia Summi Pontificis conferri possint.

Concilium Tridentinum definivit : « Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, anathema sit (1). »

343. — II. *Discrimen inter presbyteratum et ordines inferiores* potissimum desumitur e potestate offerendi sacrificium. Presbyteratus enim est ordo quo tribuitur potestas consecrandi corpus Christi et remittendi peccata. Quod sic Synodus Tridentina declarat : « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium (2). »

Idem Concilium definivit : « Si quis dixerit non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi..., anathema sit (3). »

ARTICULUS II

MINISTRI MAJORES ET MINORES

244. — Est de fide saltem ecclesiastica ministros majores et minores in Ecclesia existere : « Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit (4). »

I. *Ordines majores.* — Præter episcopatum et presbyteratum, Ordinibus majoribus seu sacris accensentur *diaconatus* et *subdiaconatus.*

1. *Discrimen inter diaconatum et ordines inferiores.* Diaconatus definitur : Ordo sacer, quo potestas tribuitur proxime inserviendi presbytero missam solemniter celebranti. Iste ordo pertinet ad hierarchiam divinitus institutam : « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit (5). » Ex iis verbis ministri tenent tertium gratium in hierarchia Ordinis a Christo institutæ ; atqui diaconus (etymologice *minister*) præeminet inter ministros ; proinde diaconatui competit origo

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, can. VII. — (2) Ibid.,cap. I. — (3) Conc. Trid., sess. XXIII, can. I. — (4) Ibid., can. II. — (5) Ibid., can. VI.

divina. Aliunde ratio sacramenti ei tribui debet, cum conferatur impositione manus episcopi et verbis : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur...*

2. *Discrimen inter subdiaconatum et ordines minores.* Subdiaconatus est Ordo sacer, quo tribuitur potestas ministrandi diacono et sacerdoti in Missæ sacrificio. Apud Latinos, iste Ordo inter Ordines sacros recensetur a sæculo XII°, tum quia subdiaconi suo munere funguntur supra gradus altaris, tum quia in perpetuum Dei cultui se mancipant, castitatem vovendo et obligationem assumendo recitandi quotidie officium divinum (1).

245. — II. *Ordines minores* considerantur ratione numeri et originis.

1. *Numerus* eorum diversus est in Ecclesia græca et in Ecclesia latina: in Ecclesia græca, præter episcopatum, presbyteratum et diaconatum, numerantur tantum *hypodiaconatus* et *lectoratus ;* dum in Ecclesia latina, præter tres priores Ordines, ad hierarchiam divinam certo pertinentes, recensentur subdiaconatus et quatuor minores Ordines, nempe *acolythatus*, *exorcistatus*, *lectoratus* et *ostiariatus*. Hi quidem omnes in Ecclesia romana semper fuerunt ; non item vero in aliis ecclesiis, sive orientalibus, sive occidentalibus (2).

2. Ad *originem* quod attinet, subdiaconatui et minoribus Ordinibus singulatim sumptis probabilius deest institutio divina. — Id probatur 1. ex testimoniis antiquorum, qui expresse affirmant, crescente fidelium multitudine, ab Ecclesia præfatos Ordines pro opportunitate institutos esse ; — 2. ex istiusmodi Ordinum, modo unius, modo alterius, aut etiam plurium cessatione, additione, imminutione, et carentia apud Græcos : quæ in rem divinitus institutam cadere nequeunt ; — 3. ex neglecta quandoque horum Ordinum collatione ante promotionem ad ordines respective altiores ; — 4. ex fine quem Ecclesia sibi potissimum proposuit in his ordinibus instituendis, ne scilicet neophyti, sacrorum rudes et tirones illico presbyterio inaugurarentur, priusquam fidei dogmata et sacramentorum cæremonias didicissent (3).

Equidem, Concilium Tridentinum nomina et officia minorum Ordinum ad ipsum *Ecclesiæ initium* refert (4) ; sed cum non definiverit quo tempore id factum fuerit, multi existimant omnes minores Ordines una cum subdiaconatu, procedente tempore,. ab Ecclesia institutos esse. Verum, cum initio officia diaconorum essent quæ labentibus annis minorum clericorum propria esse cœperunt, minores Ordines origine sua generatim, videlicet quatenus in diaconatu comprehendebantur, ad ipsam hujus Ordinis institutionem merito referuntur (5).

ARTICULUS III

PRIMA TONSURA

246. — Tonsura definitur : Cæremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus in clerum assumitur.

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. 2. — (2) Perrone, *de Ordine*, cap. II. — (3) Morin, *De sacris ordinationibus*, Exercitatio, 11. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. II. — Devoti, *Institutionum*, lib. I, tit. 2. — (5) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. VIII, cap. IX.

I. *Prima tonsura non est Ordo proprie dictus*, sed dispositio quædam et præambulum ad Ordines. — Id colligitur ex Concilio Tridentino, quod non solum tonsuram non numerat inter Ordines, verum illam ab eis diserte distinguit (1).

Ratio est, quia per omnem Ordinem proprie dictum confertur potestas ad specialem functionem sacram. Atqui per tonsuram nulla confertur hujusmodi potestas ; sed eam suscipientes solummodo clericali Ordini adscribuntur et divino cultui addicuntur. Hinc in Pontificali romano titulus *de Clerico faciendo*, non autem *ordinando*, collationi primæ tonsuræ præfigitur (2).

247. — II. *Multiplex recensetur effectus tonsuræ.* — 1. Tonsurati fiunt membra status et ordinis clericalis; — 2. Induti superpelliceo assistere possunt in choro ad cantanda divina officia ; — 3. Ad supplendas functiones Ordinum minorum admittendi sunt præ laicis ; — 4. Capaces sunt tum ad jurisdictionem ecclesiasticam exercendam, tum ad acquirenda beneficia ecclesiastica, modo non careant qualitatibus ad functiones beneficii requisitis ; — 5. Promoveri possunt successive ad Ordines, ad quos Episcopus ipsos judicaverit aptos ; — 6. Acquirunt privilegia clericorum, maxime fori et canonis ; — 7. Ad vitæ morumque sanctitatem præ laicis obligantur (3).

DISSERTATIO II

DE ACCESSU AD ORDINES

Accessus ad Ordines duo complectitur, videlicet *præparationem* et *ordinationem*, de quibus in duplici capite.

CAPUT I

PRÆPARATIO AD STATUM CLERICALEM

248. — Status clericalis exigit singularem animi culturam, sive spectetur institutio theologica, sive educatio ad religionis virtutisque studium. Hinc Ecclesia suas cogitationes in id præsertim conferre nunquam intermisit, ut omnes in sortem Domini vocati ad pietatem sedulo informarentur, ac litteris et disciplinis, potissimum sacris, rite imbuerentur. — At circa hunc duplicem finem prosequendum non eadem semper viguit disciplina, quæ ideo distinguitur in veterem, et modernam seminariorum.

249. — I. *Vetus disciplina* complectitur scholas priorum sæculorum et universitates medii ævi.

1. *Priores scholæ clericales.* — A primis temporibus, ecclesiarum pastores, v. g. S. Augustinus, episcopalia seminaria institui curarunt, in quibus, sub Episcopi oculis, juniores clerici instruerentur et ad majores Ordines ascenderent. Certum est

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. II. — (2) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. II. — (3) Zallinger, *Institutiones juris canonici*, lib. I. tit. II.

jam sæculo VI° constitutas fuisse communes domus, in quibus initiandi ordinibus ad omnem virtutem informarentur (1). His adjumentum attulerunt monasteriorum *scholæ exteriores*, quæ clericis sæcularibus patebant ; in iis enim pietas æque ac scientiæ excolebantur.

2. *Universitates velut scholæ clericales.* — Labentibus annis, episcopalia seminaria et ipsæ monachorum scholæ negligi cœperunt, quia clerici ad Universitates, studiorum causa, confluebant. Multo tempore ea praxis probata fuit et viguit ; nam Universitatibus, Ecclesiæ subjectis, adjuncta erunt collegia excipiendis clericis destinata, in quibus, præter egregiam doctrinam, simul honestam vitæ disciplinam sibi compararent. Postmodum vero, cum in publicis Academiis non omnes clerici institui possent, et aliunde pietas languesceret, Episcopi seminariis restituendis operam præbuerunt, et sapientissimis legibus rem absolvit concilium Tridentinum.

250. II. *Seminaria.* — « Sancta synodus (Tridentina) statuit, ut singulæ cathedrales Ecclesiæ certum puerorum numerum in collegio alere ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur..., ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum *seminarium* sit. » Nihil autem obstat quominus « in Ecclesiis amplas diœceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria, quæ tamen ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant (2). »

Quamvis unius seminarii institutionem in singulis diœcesibus præscribat Conc. Tridentinum, suadet tamen pueros in tot classes dividi quot opportunæ videntur, juxta eorum numerum, ætatem ac progressum in disciplina ecclesiastica. In Gallia et aliis regionibus huic divisioni sapientissime et felici successu provisum est, plura seminaria separatim instituendo, etiam in parvis diœcesibus : unum *majus* seu clericorum, pro alumnis ætate et doctrina provectioribus ; alterum *minus*, pro junioribus, in quo traduntur grammatica et humaniores litteræ. In amplioribus diœcesibus, plura habentur seminaria minora, et ipsum majus duplex est, alterum pro theologia, alterum pro philosophia addiscenda.

Decretum concilii multa statuit, quæ referuntur ad alumnorum admissionem, ad rationem studiorum et disciplinæ, atque ad regimen spirituale et temporale seminarii.

Ad Episcopum spectat *gubernatio* seminarii, v. g. constitutio regularum, delectus librorum, deputatio rectoris et magistrorum, ratio victus et expensarum, — prius tamen requisito consilio deputatorum, quos ad regimen tum spirituale tum temporale ei assistere constituit Concilium (3).

Etenim de regimine *spirituali* decernitur : « Omnia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. » Isti autem canonici, semel electi, sine legitima causa nequeunt amoveri.

(1) Concilium Toletanum II (527) ait : « Statuimus observandum ut mox detonsi vel ministeriis lectorum traditi, in domo Ecclesiæ sub episcopali præsentia a præposito sibi debeant erudiri. » — (2) Sess. XXIII, cap. XVIII, *de Reform.* — Epist. Leonis XIII de collegiis clericorum in Indiis orientalibus instituendis (24 junii 1893). — (3) Cf. Encycl. Leonis XIII ad Ordinarios Americæ meridionalis, *de seminariorum regimine*, 15 martii 1897.

De administratione *temporali* statuitur : Episcopus provideat « cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur ; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. » — Iidem canonici pro regimine spirituali et temporali eligi possunt. — Quatuor deputati pro administratione temporali sunt inamovibiles, nec assumuntur inter seminarii rectores et magistros, ne sint simul partes et judices.

« Rationes reddituum seminarii Episcopus singulis annis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis (1). »

In his omnibus, Episcopus non tenetur sequi placita deputatorum, qui sola voce consultativa gaudent.

Decreto Conc. Tridentini circa seminariorum institutionem et regimen in pluribus derogatum est, sive per legitimas consuetudines, sive per privilegia a Rom. Pontificibus indulta Congregationibus religiosis informationi clericorum incumbentibus, sive per alias sanctiones, v. g. decretum Card. Caprara (1802), quo Episcopis novæ circumscriptionis Galliarum conceditur, ut seminariis erigendis « eas leges præscribant, tum quoad scientiarum studia, tum quoad omnem pietatis et disciplinæ rationem, quæ magis accommodatæ suarum ecclesiarum utilitatibus, temporumque circumstantiis, ipsis in Domino videbuntur. » Cf. Bened. XIV, de syn. diœc. l. V, c. 11, n. 9.)

CAPUT II

DE ORDINATIONE

Ordinatio est sacer ritus, quo potestas Ordinis confertur. Tria sunt consideranda : 1° Minister ordinationis ; — 2° Requisita in ordinando ; — 3° Regulæ ipsius ordinationis.

ARTICULUS II

DE ORDINATIONIS MINISTRO (2)

Quæritur quid requiratur ex parte ministri ut *valide* et *licite* seu legitime conferat Ordines.

§ 1. — *De ministro validæ ordinationis.*

Potestas ministri est ordinaria, vel extraordinaria.

251. — I. *Potestas ordinaria* competit solis et omnibus Episcopis rite consecratis (3), etiamsi sint suspensi, vel hæretici aut schismatici. Ratio est, quia potestas ordinandi fundatur in indelebili charactere episcopali, nec effectus sacramentorum pendet a bonitate vel malitia ministrorum.

(1) Cf. Lucidi, Vis. SS. Lim., tom. I, cap. VI, per totum. — Const. Leonis XIII, 24 junii 1893, de erectione seminariorum in Indiis. — (2) Schmalzgrueber, Pirhing, Gonzalez, ad tit. XI, lib. I *Decretalium*. — (3) Conc. Trid., sess. XXIII, can VII.

Ad normam hujus principii, ordinationes Græcorum et Jansenistarum pro validis habentur ; e contra, ordinationes anglicanæ irritæ declaratæ sunt tum ob formam essentialiter vitiatam, tum ob defectum intentionis requisitæ (1).

252. — II. *Extraordinarie*, cum licentia Summi Pontificis, presbyteri subdiaconatum et inferiores Ordines conferre possunt ; sed privilegium conferendi subdiaconatum vix eis conceditur, ex quo ille ordo ad majores pertinet.

Hinc Cardinales presbyteri in ecclesiis suorum titulorum suis subditis, et abbates sacerdotes solemniter benedicti solis regularibus sibi subditis primam tonsuram et Ordines minores conferunt (2).

§ 2. — *De ministro licitæ ordinationis.*

Ut minister licite ordinet, requiritur ut *proprius* sit *Episcopus* seu *Ordinarius* ordinandi, vel saltem ut a proprio hujus Ordinario licentiam habeat *litteris dimissoriis* expressam.

I. — De Episcopo proprio ordinandi.

253. — Solius est Summi Pontificis potestas ubique ordinandi. Episcopi vero, propter divisionem diœcesium, haud indiscriminatim, sed nonnisi subditos et in sua diœcesi ordinare possunt (3). Hinc Episcopi qui vel populum sibi subjectum non habent, nempe, Episcopi titulares, vel qui episcopatui suo renuntiarunt, nonnisi de alterius Episcopi delegatione Ordines conferunt.

254. — Ex legibus ecclesiasticis (4), Episcopus potest quadruplici modo Episcopus ordinandorum *proprius* esse, videlicet, ratione originis, domicilii, beneficii et familiaritatis.

I. Ratione *originis*, ille Episcopus proprius censetur, in cujus diœcesi pater ordinandi, cum iste natus est, domicilium proprie dictum habuit, vel ipse ordinandus jam adultus baptizatus fuit.

II. Ratione *domicilii*, Episcopus proprius is est in cujus diœcesi ordinandus, quamvis alibi natus fuerit, fixam sedem habet ex animo permanendi, de qua constat per habitationem decennalem, aut breviorem cum translatione bonorum, in utroque casu juramento firmatam.

III. Ratione *beneficii*, Episcopus proprius ille dicitur, in cujus diœcesi aliquis possidet beneficium sufficiens ad decentem vitæ sustentationem. Quemadmodum olim ipsa ordinatio clericum certæ Ecclesiæ adscribebat, ita hodie beneficium facit clericum ministrum Ecclesiæ et Episcopo subjectum.

IV. Ratione *familiaritatis*, Episcopus potest illum ordinare quem per triennium in suo servitio secum habuit, ac suis sumptibus aluit, dum-

(1) Decret. Leonis XIII, 8 sept. 1896. — (2) S. Alph., lib. VI, 762. — (3) Concilium Trid. (sess. VI, *de Reform.*, cap. V) : « Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. » — (4) Cap. III, *de Temporibus Ordinationum*, in 6°. — Innocentii XII constitutio *Speculatores*, anno 1694.

modo intra terminum unius mensis ei conferat beneficium sufficiens ad illius sustentationem.

Episcopus Regularium ordinandorum proprius est Episcopus diœcesis intra quam sita est domus religiosa, nisi ex speciali et directo privilegio ipsis concessum sit ut ordinari possint a quolibet episcopo catholico (1).

255. — *Ordinans* alienum diœcesanum, a collatione Ordinum suspenditur per annum (2) ; *Ordinatus* vero a susceptorum Ordinum executione suspensus est, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire (3).

II. — De litteris dimissoriis et testimonialibus (4).

256. — Sicut Episcopo proprio competit facultas ordinandi subditos, ita eidem, vi jurisdictionis, competit jus dandi *litteras dimissorias* seu licentiam scripto exaratam adeundi alienum Episcopum pro recipiendis Ordinibus.

257. — I. Litteræ dimissoriæ, aliæ sunt *speciales*, aliæ *generales*, prout ad unum, vel ad quemlibet episcopum diriguntur. Si speciales sint, dimissus ordinari non potest nisi ab Episcopo ad quem sunt directæ. Si generaliter concedantur, ordinari potest a quocumque Episcopo ejusdem ritus communionem Apostolicæ Sedis habente.

A dimissoriis, per quas ordinandi ad alienum Episcopum dimittuntur pro susceptione Ordinum, distinguendæ sunt tres aliæ litterarum species, scilicet : dimissoriales perpetuæ, testimoniales et formatæ.

1. *Litteræ dimissoriales perpetuæ* seu *remissoriales* et excardinationis, vulgo dictæ *Exeat*, dantur subditis inserendis alterius diœcesis clero.

Excardinatio autem fieri nequit nisi justis de causis, nec effectum undequaque sortitur nisi incardinatione in alia diœcesi executioni demandata ; et incardinatio ista facienda est in scriptis, absolute et in perpetuum, ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc juramento sicut ad domicilium acquirendum. Prærequiritur etiam documento legitimo constare de perpetua dimissione, et ab episcopo dimittente obtineri opportuna testimonia de natalibus, moribus et studiis, quod severius servandum est erga clericos diversæ linguæ et nationis; nec ullus est adscribendus novus clericus nisi pro necessitate aut commoditate diœcesis, sicut nullus debet ordinari qui judicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis. Quoad laicos, aut etiam clericos qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, omnino standum est dispositionibus const. *Speculatores* (1694) circa proprium ordinandorum episcopum (5).

2. Litteræ commendatitiæ seu *testimoniales* sunt illæ quibus Episcopus vel de probitate clerici peregre abeuntis, vel de fide et moribus clerici ab

(1) Decret Clem. VIII (1596). — Bened. XIV, const. *Impositi nobis* (1747). — Cf. S. Alph. lib. VI, 768.— Inst. Alph., n° 1910. — (2) Cf. Const. *Apost. Sedis*, Susp. R. Pontifici reservatæ, III. — (3) Suspensiones et Interdicta ex Trid. renovat Const. *Apost. Sedis*, in eos qui variis modis violant canones de sacra Ordinatione. — Cf. infra dicenda, n. 934 et seqq., ubi Constitutionis expositio. — (4) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. I, tit. 11. — Soglia, *Institutiones juris privati*, lib, I, cap. VI. — Inst mor. Alph., n° 1908. — (5) Decret. S. C. Concil., 20 jul. 1898. — Cf. Trid. S. XXIII, c. 16, *de Ref.*

alieno Episcopo ordinandi testatur. Testimoniales dimissoriis semper adjungi debent; et aliquando sub pœna suspensionis requiruntur ad ordinandos proprios subditos (1).

3. Litteræ *formatæ* seu *ordinationis* sunt illæ quibus fit publica fides de Ordinibus cuidam collatis.

258. — II. Litteras dimissorias sic concedere possunt Ordinarii :

1. *Romanus Pontifex*, cum sit Episcopus ordinarius omnium fidelium, licentiam concedere potest, ut quis a quocumque Episcopo ordinetur.

2. *Episcopus proprius* seu competens ratione alicujus ex quatuor causis supra declaratis, subditis suis concedere potest, ut a quocumque episcopo catholico sui ritus ordinentur.

3. *Vicarius generalis* dimissorias concedere nequit, nisi vel speciali mandato Episcopi in hunc finem instructus sit, vel Episcopus in remotis agat, vel consuetudo id permittat.

4. Sede vacante, *Vicarius capitularis* potest dimissorias dare quibuslibet subditis diœcesanis post annum vacationis; intra annum, solis arctatis beneficio, id est, qui obtinent beneficium, v. g. parochiale, exigens ordinem sacerdotalem intra annum suscipiendum.

5. *Prælati et superiores regulares* suis subditis concedunt dimissorias, quæ, secluso speciali privilegio, ad Episcopum diœcesanum diriguntur, nisi Episcopus a sua diœcesi absit, vel ordinationes proximo tempore non sit habiturus. Hæc alterutra causa probanda est attestatione authentica vicarii generalis aut cancellarii (2), ut liceat alium quemcumque episcopum adire.

Ex decreto S. Congr. Episc. et Regul. (12 jun. 1858), superiores regulares suis subditis qui vota simplicia ad triennium emiserunt possunt concedere litteras dimissorias ad tonsuram et ordines minores; sed pro ordinibus sacris exspectare debent professionem votorum solemnium.

Præterea, ex decreto ejusdem S. Cong. (4 nov. 1892), « Professi tum votorum solemnium, tum simplicium, ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittuntur, nisi, præter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant quod saltem per annum sacræ theologiæ operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyterium, saltem per triennium, præmisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. »

259. — III. *Exprimenda in litteris dimissoriis* (3). — Exprimitur nomen Episcopi ad quem specialiter diriguntur, causa ob quam proprius Episcopus non vult vel nequit ordinare, et quinam Ordines sunt conferendi.

Dimissoriæ continere debent testimoniales de *natalibus*, *ætate*, *moribus* et *doctrina* ordinandi. Illi etiam qui ex titulo vel beneficii vel familiaritatis extra diœcesim suæ originis ordinantur, ab Episcopo originis testimoniales habeant necesse est.

(1) Vide infra, n. 986. — (2) Decr. Clementis VIII, 15 mart. 1596, et Const. Bened. XIV *Impositi nobis*. — (3) Delinquentes in dimissoriis concedendis, subjiciuntur censuris renovatis ex Trid. Sess. VII, c. 10, et sess. XXIII, c. 10.

Denique ii quibus dimissoriæ conceduntur, regulariter prius ab Episcopo proprio examinandi sunt; alioquin examen ipsorum Episcopo ordinanti delegatur (1).

ARTICULUS II

DE REQUISITIS IN ORDINANDO

In promovendis ad Ordines requiruntur tum *qualitates*, tum *titulus* ordinationis.

§ 1. — *De qualitatibus ordinandorum* (2).

260. — In ordinandis dotes requiruntur, aliæ jure divino ad validam ordinationem, aliæ jure ecclesiastico ad licitam ordinationem. — Qui jure divino ab ordinibus repelluntur, *incapaces* dicuntur; qui vero jure ecclesiastico ordinari prohibentur, *irregulares* appellantur.

261. — I. *Incapacitas.* — Cum gradus hierarchiæ Ordinis statum singulariter electum constituant, non omnibus indiscriminatim patet aditus in sanctuarium, sed multi ipsa lege divina ab eo arcentur.

Solus vir baptizatus non invitus est subjectum *validæ* ordinationis; non baptizati vero, mulieres et adulti contradicentes sunt Ordinum incapaces.

1. *Non baptizati* sunt jure divino incapaces, quia baptismus est janua sacramentorum.

2. Inter baptizatos, *mulieres* excluduntur, quia Ordo confert potestatis eminentiam, quæ feminis non convenit, siquidem ipsæ viris subjiciuntur.

3. Ex viris, *adulti inviti* ordinari non possunt; sacramenta enim voluntate resistente suum effectum non sortiuntur.

262. — II. *Irregularitatis notio.* — Inter viros jure divino capaces Ecclesia *idoneos* secernit, et multi prohibentur Ordines suscipere, qui cæteroquin valide ordinari possent. Etenim canones certas dotes pro Ordinibus *licite* suscipiendis præscribunt, quales sunt : probitas morum, ætas sufficiens, legitimi natales, scientia proportionata cuilibet Ordini, integritas corporis, etc.

Defectus alicujus dotis regulis ecclesiasticis requisitæ vocatur *irregularitas*, quæ definitur : *Impedimentum canonicum directe impediens Ordinum susceptionem, vel Ordinum susceptorum usum.*

Ex definitione patet irregularitatem obstare primo quominus Ordo suscipiatur; secundo, quominus Ordo susceptus licite exerceatur. Isti duo effectus directe ab irregularitate producuntur; indirecte vero impeditur consecutio beneficii, quod datur propter officium, ad quod irregularis est inhabilis (3).

Variæ illius species. — 1. Irregularitas dividitur in *totalem* et *partialem*. Illa omni Ordine suscipiendo et exercendo privat; hæc impedit vel aliquod exercitium, vel ascensum ad ordinem superiorem.

(1) Cf. Conc. Trid. Sess. XXIII, *de Ref.* c. 3 et 12. — Const. *Apost. Sedis*, Susp. VII. — (2) Schmalzgrueber, Fagnanus, Pirhing, ad tit. VI, lib. I *Decretalium*. — S. Alph., lib. VI, 781-801. — (3) Cf. Inst. mor. Alph., n. 1927 et seq.

2. Irregularitas est *perpetua* vel *temporalis*. Perpetua ex se semper durat, nisi tollatur dispensatione ; temporalis durat ad certum tempus, quo expleto sponte cessat.

3. Irregularitas est ex *defectu*, vel ex *delicto*, prout a jure imponitur ob solos defectus sacro ministerio indecentiam afferentes, vel ob certa delicta propter quæ prohibetur exercitium aut susceptio Ordinis. Verum inde non sequitur quod irregularitas quæ dicitur *ex delicto*, proxime et directe per modum pœnæ imposita sit ; nam Ecclesia, cum ob crimen indicit irregularitatem, primario indecentiam in sacro ministerio præcavet.

Itaque irregularitas ex delicto, cum principaliter ad decorem status clericalis statuta sit, quodammodo in irregularitem ex defectu resolvitur; etenim ea irretitus destituitur qualitate quam Apostolus ab ordinandis exigit, nempe ut sine crimine sint.

Igitur recensendæ sunt : 1. Irregularitates ex defectu ; — 2. Irregularitates ex delicto.

I. — Irregularitates ex defectu (1).

Aliæ sunt defectus *corporis*, aliæ defectus *animi*.

263. — I. Defectus corporis :

1. *Defectus natalium*. — In veteri disciplina, nemo ob hunc defectum ab Ordinibus arcebatur ; at circa sæculum XI^m^ invaluit prohibitio ordinandi quoslibet illegitimos, etiam occultos, nisi orti sint ex matrimonio rite celebrato, sed irrito propter impedimentum ignoratum ab uno saltem conjuge.

Hæc irregularitas tribus modis abstergitur, nempe per parentum subsequens matrimonium, modo ad illud contrahendum fuerint habiles, saltem quando nata est proles spuria, — vel per professionem religiosam, exceptis tamen prælaturis, — vel per pontificium rescriptum. Episcopi ab ea dispensare possunt pro minoribus Ordinibus suscipiendis et pro beneficio simplici.

2. *Defectus libertatis*. — Illi qui certis vinculis sæcularibus implicantur, militiæ Christi nomen dare nequeunt, dicente Apostolo (II Tim, II, 14) : « Nemo militans Deo implicat se curis sæcularibus unquam, ut ei placeat cui se probavit. » Juxta istud principium, irregulares habentur : *servi* proprie dicti, nisi a domino libertatem consecuti fuerint ; — publicæ pecuniæ *depositarii*, curiales, milites durante officio, pupillorum tutores, nisi rationes probe reddiderint ; — *conjugati*, nisi uxores consentiant et castitatem voveant, vel ob adulterium juridice sint thoro separatæ.

3. *Defectus ætatis*. — Certa ætas pro singulis Ordinibus requiritur. Ex Concilio Tridentino subdiaconus, diaconus, presbyter non ordinatur ante incœptum annum 22^m^, 23^m^, 25^m^ (2). Juxta veterem disciplinam, tonsura et minores Ordines post expletum septennium conferri possunt ; episcopatus vero post expletum annum 30^m^.

(1) S. Alph., lib. VII, 397-470. — Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. 7. — Soglia, *Institutiones juris privati*, lib. I, cap. VII. — Inst. mor. Alph., n. 1933 et seqq. — (2) Ex responso S. Offic. 29 jan. 1896, episcopi qui potiuntur facultate dispensandi a defectu ætatis unius anni, ob penuriam operariorum, dispensare valent clericos regulares sicut sæculares, ut promoveantur ad sacerdotium.

4. *Defectus ipsius corporis* ex duplici capite irregularitatem inducit : 1° si *debilitas* clericum sacro muneri obeundo imparem faciat ; et 2° si corporis *deformitas* horrorem aut risum moveat. — Propter corporis debilitatem irregulares sunt mutilati, v. g. pollice aut naso carentes, cæci, muti, paralytici. — Ob deformitatem irregulares sunt insigniter claudicantes, leprosi, monstruosi, insigniter gibbosi, pygmei, hermaphroditi seu dubii sexus, uno oculo orbati, præsertim sinistro, quem oculum canonis vocant, si nequeant legere canonem absque notabili contorsione. — Si dubium sit an corporis defectus obstet Ordini suscipiendo, judicium ad Episcopum spectat ; dispensatio autem Romano Pontifici competit, nisi defectus sit levis, super quo ex consuetudine dispensant episcopi, v. g. abscissio summitatis minimi digiti.

264. II. Defectus animi :

1. *Defectus*, etiam intermissus, *rationis* seu sanæ mentis, excludit amentes, furiosos, lunaticos, energumenos et epilepticos.

2. *Defectus scientiæ*. — Irregulares sunt illitterati, qui non habent doctrinam pro diversis Ordinibus judicio Episcopi necessariam.

3. *Defectus fidei confirmatæ*. — Nuper baptizati seu recens conversi ab Ordinibus repelluntur, donec judicio Episcopi sufficienter instructi sint et in fide firmati. — Eadem de causa susceptio *Confirmationis* requiritur ad recipiendam primam tonsuram.

4. *Defectus sacramenti* seu significationis unionis Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa, *bigamiam* indicat, quæ triplex est, nempe vera, interpretativa et similitudinaria. — Bigami *veri* dicuntur plurium uxorum mariti, qui nimirum duplex conjugium inierunt, et utrumque consummaverunt, etiam in infidelitate. Hujus irregularitatis ratio est, sive suspicio incontinentiæ, sive defectus signi, quatenus secundæ nuptiæ non exprimunt unionem Christi cum unica Ecclesia. — Bigamia *interpretativa*, sic dicta ex interpretatione extensiva seu fictione juris in una uxore duas ponentis, contrahitur ab eo qui viduam a viro cognitam aut mulierem ab alio corruptam ducit uxorem et cognoscit, vel propriam uxorem post illius adulterium cognoscit ; non autem a fornicatore, nec ab adultero.

Similitudinaria bigamia est eorum qui in sacris Ordinibus constituti, aut solemni voto castitatis adstricti, post conjugium spirituale carnales nuptias attentant et consummant. Hæc autem bigamia sacrilega inducit irregularitatem ex delicto.

5. *Defectus lenitatis* efficit irregulares baptizatos qui directe concurrunt ad necandum aut mutilandum hominem ; Ecclesia enim ministros suos, exemplo Christi, mites esse voluit. Hæc irregularitas contrahitur vel in bello vel in judicio.

In bello certe injusto omnes milites fiunt irregulares, si ex hostibus aliquis occidatur vel mutiletur. In bello justo defensivo, nemo fit irregularis. In bello justo aggressivo, irregularitatem contrahunt illi qui propria manu mutilant aut interficiunt ; eam vero non contrahunt, qui nullum per se mutilant vel occidunt. Itaque milites absoluta militia non censentur irregulares ex eo solo quod hactenus fuerint conditionis mili-

taris. — Non fit irregularis qui vitæ suæ aggressorem mutilat vel occidit, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

In judicio irregulares fiunt judices qui sententiam mortis vel mutilationis pronuntiant, effectu secuto; item, accusatores et ministri sententiam exequentes, notarii, testes voluntarii. De juratis, v. g. in Gallia, controvertitur, eo quod sententiam non pronuntiant et assimilari possunt testibus coactis.

6. *Defectus famæ* illos ab Ordinibus repellit qui ex quocumque titulo infames sunt, juxta regulam juris : « Infamibus non pateant portæ dignitatum (1). » Distinguitur autem duplex infamia, scilicet, *juris* et *facti*.

Infamia *juris* tribus modis inducitur : 1° ob crimen perpetratum et juridice probatum, cui ex legibus inhæret infamia, v. g. homicidium, duellum, ex quo duellantes, eorumque patrini perpetuo sunt infames, ex decreto Conc. Trid. (sess. 25, cap. 19) (2); — 2° ob judicis sententiam; — 3° ob nonnulla crimina parentum, unde v. g. infamiam contrahunt filii hæreticorum.

Infamia facti contrahitur ex notorietate criminis enormis, propter quod apud honestos viros rei fama læditur, etiamsi judex sententiam non tulerit. — Hæc irregularitas non inducitur ex criminibus occultis, et contracta abstergitur per publicam morum emendationem, dum infamia juris contraria sententia aut dispensatione tantum tollitur.

Indecentia quam secum fert exercitium artis ignominiosæ, non est irregularitas proprie dicta.

II. — Irregularitates ex delicto (3).

265. — I. Regulæ generales. — *Regula* 1ª. — Olim omnes qui publicam egerant pœnitentiam, quæ imponebatur propter gravissimum et publicum delictum post baptisma patratum, ab Ordinibus repellebantur. Deinceps, laxata severitate veteris disciplinæ, nonnisi crimina quæ in jure nominatim exprimuntur, sive occulta sint, sive publica, irregularitatem ex delicto inducunt.

Regula 2ª. — Ut incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus *externus*, *consummatus* et *mortalis*. Ratio est quia, licet finis irregularitatis non sit punire, tamen hæc irregularitas non contrahitur, nisi ratione delicti voluntarii et gravis. — Hinc, si quis ex aliqua circumstantia excusetur a mortali, excusatur etiam ab irregularitate. Imo excusatur qui ignorat legem Ecclesiæ, qua statuitur irregularitas (S. Lig., n. 350).

Regula 3ª. — Quæstio utrum irregularitas ob crimen dubium incurratur, sic dirimitur : In dubio *juris*, standum est pro libertate, nam irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis. At in dubio *facti* distinguendum est. Si dubitetur de influxu in homicidium certe patratum, percutiens censetur irregularis, ob particularem indecentiam quæ in

(1) Regula, 87, in Sexto. — (2) S. Congr. Conc. (9 aug. 1890) consulta an scholares incurrissent irregularitatem in duello ex quo nec mors nec mutilatio secuta fuerat, respondit : « Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia juris. » — (3) Phillips, *Manuale juris ecclesiastici*, § 64. — Devoti, *Institutionum*, lib. I, tit. 7. — Inst. mor. Alph. n. 1941 et seqq.

homicidio reperitur (1). Si vero dubitetur de alio delicto, vel de ipsa homicidii existentia, probabilius nulla subest irregularitas, quia generatim in dubio benignior interpretatio eligenda est.

266. — II. In specie, in canonibus irregularitate notantur hæresis et apostasia, iteratio baptismi, mala susceptio et abusus Ordinum, homicidium et mutilatio.

1. *Hæresis* et *apostasia.* — Jure Decretalium, irregulares sunt non solum hæretici, sed etiam illorum fautores, et eorum filii post delictum nati usque ad secundum gradum lineæ paternæ, maternæ vero usque ad primum gradum tantum. Si parentes ad fidem conversi fuerint, filii sunt immunes ab irregularitate. Ipsi autem hæretici, abjurata hæresi, permanent irregulares. — Consuetudo contraria ordinandi filios hæreticorum aut hæreticos conversos non derogat huic irregularitati (Decret. S. Officii, 4 dec. 1890).

Videtur irregularitatem contrahi duntaxat ob apostasiam a fide ; quidam tamen docent illam oriri ex apostasia ab ordine, propter infamiam facti (2).

2. *Iteratio baptismi.* — Irregulares sunt tum scienter rebaptizans, tum scienter et solemniter rebaptizatus, tum ministrantes, tum ille qui ab hæreticis sine necessitate se sinit baptizari.

3. *Mala susceptio* et *abusus Ordinum.* — Mala susceptio irregulares efficit eos qui, non examinati nec admissi, furtive ordinantur, — ordinatos per saltum, — eodem die duplicem Ordinem sacrum recipientes, — demum illos qui cum excommunicatione, vel ab Episcopo suspenso Ordines susceperunt (3).

Ex abusu *Ordinum* irregularitas oritur tribus modis, nempe : 1° si quis solemniter Ordinem sacrum non susceptum exerceat ; — 2° si censura ligatus scienter in Ordine sacro audeat ministrare ; — 3° si in loco interdicto celebret. Qui vero celebrat in loco polluto non fit irregularis.

4. *Homicidium* et *mutilatio.* — Sive alterutrum crimen sit publicum, sive sit occultum, irregulares sunt homicidæ voluntarii, mandantes et consilium dantes, procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, proprium aut alterius membrum amputantes, v. g. Origenes se castrans. Homicidium quod mere fortuito, vel ex inculpata defensione accidit, cum non sit peccatum, non inducit irregularitatem. Sed homicidium etiam indirecte seu in causa voluntarium eam inducit dupliciter : 1° qui dat operam rei licitæ, et omissione debitæ diligentiæ hominem occidit, fit irregularis ; 2° qui dat operam rei illicitæ *ob periculum homicidii*, quamvis diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, irregularis tamen est, si quempiam occiderit vel mutilaverit. — Hinc irregulares sunt 1. medici et chirurgi qui studium non adhibent in ægris curandis, et sunt causa quod aliquis eorum moriatur ; 2. omnes non periti temere exercentes medicinam aut chirurgiam, et mortem alicui inferentes.

(1) Intellige, si quis dubitet an ipse sua actione fuerit causa homicidii quod certe secutum est, aut ex communiter contingentibus secutum esse præsumi debet. S. Alph., lib. VII, 347. — (2) Brabandere, *Juris canonici compend.*, n. 1262. — (3) Inst. mor. Alph., n. 1926.

Episcopus dispensare potest in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, exceptis ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et aliis ad forum contentiosum deductis (1).

§ 2. — *De titulo ordinationis* (2).

267. — I. *Tituli notio et necessitas.* — Tituli nomine hic venit cautio sufficientis et perpetuæ sustentationis, ordinando competens. Huic vocabulo videntur originem dedisse Sancti *titulares* seu patroni, quibus dicantur ecclesiæ ; nam olim titulus ordinationis erat ecclesia seu beneficium cui clericus adscribebatur, ubi ministerium stabiliter exerceret. Quia vero hæc intitulatio duplicem obligationem pariebat, nempe clericis officium serviendi perpetuo ecclesiæ, ecclesiæ vero munus suppeditandi alimenta, propterea cum titulo ordinari idem erat ac ordinari cum cautione sustentationis convenientis.

Jam antiqua disciplina (3) Ecclesiæ prohibuit ne ullus clericus ordinaretur, quin titulum haberet. Ratio hujus legis fuit, tum ne clerici vagarentur per diœceses, tum ne cogerentur illi « qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere (4) ». Nunc vero titulus ordinationis requiritur ad suscipiendos Ordines sacros tantum, ut videre est in Pontificali.

Concilium Tridentinum innovavit antiquas pœnas ordinantis et ordinati sine titulo. Imo Episcopus qui clerico non habenti titulum Ordines confert, cogitur honestum victum eidem suppeditare, donec titulum assequatur (5).

268. — II. *Species.* — Triplex distinguitur titulus, nempe *beneficii*, *patrimonii* vel *pensionis*, et *paupertatis religiosæ*.

1. *Titulus beneficii* fuit olim usitatissimus. In eo consistit ut ordinandus pacifice possideat beneficium perpetuum, quod sibi juxta regionis morem ad victum sufficiat. Illud vero beneficium resignare nequit, nisi constet quod aliunde vivere commode possit.

2. Titulo *patrimonii* vel *pensionis* occasionem dedisse videtur Alexander III, per ultima verba canonis Lateranensis. Si recte concilii mentem inspiciamus, non profecto patrimonii titulum instituit, sed tantum proponit casum quo Episcopus a pœna liberatur. Verumtamen canonistæ, freti decreto Lateranensi, indiscriminatim ordinari posse putarunt clericos, vel beneficii, vel patrimonii titulo. Hinc pro arbitrio Episcoporum clerici promovebantur, nulla etiam necessitate suadente. Sed concilium Tridentinum statuit : « Ne quis clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. VI, *Liceat.* — (2) S. Alph., lib. VI, 813-824. — (3) Conc. Chalced. decrevit : « Nullum absolute ordinari debere, nisi specialiter in ecclesia designetur. » — (4) Conc. Trid., sess. XXI, *de Reform.*, cap. II. — (5) Concilium Lateran. III, sub Alexandro III celebratum, decrevit : « Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, ei necessaria subministret, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ habere possit. » (Decret l. III, tit. V, c. 4.) — Cf. Const. *Apost. Sedis*, susp. II et IV. — Inst. mor. Alph., n. 1962.

legitime constet eum beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere..... Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum. »

Ex iis verbis duo colliguntur : 1. Clerici titulo patrimonii ordinantur, non solum ut decentem sustentationem habeant, verum etiam ut Ecclesiæ serviant. Una semper ratio est, nempe Ecclesiæ utilitas, propter quam ordines conferuntur sive ad titulum beneficii, sive ad titulum patrimonii. — 2. Beneficii titulus est ordinarius, titulus vero patrimonii vel pensionis extraordinarius, ac veluti per modum dispensationis admissus, ne spiritualibus auxiliis carerent aliquæ diœceses in quibus beneficia deficiebant.

3. Ad titulum *religiosæ paupertatis* ordinantur regulares solemniter professi. Ratio est, quia religio tenetur suum professum alere, et ideo professio subit vicem tituli.

Titulo paupertatis ordinari non possunt novitii, neque regulares non solemniter professi (1). Excipiuntur scholastici societatis Jesu, qui, ante solemnem professionem, sine alio titulo ad Ordines promoventur, ex concessione Gregorii XIII. Alii etiam religiosi Ordines vel sacerdotum Congregationes hac in re varia privilegia obtinuere, quibus plerumque ipsis conceditur, ut alumni, votis simplicibus et juramento perseverantiæ emissis, ad titulum *Congregationis* vel *mensæ communis* promoveri possint.

At decreto 4 nov. 1892 S. C. Episc. et Regul. statuit « ut Institutorum votorum simplicium superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris ordinibus, vel quomodocumque ad sacros ordines alumnos promovere titulo Mensæ communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint ; vel qui saltem per triennium remanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta quæ ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede... » Si interdum occurrat causa legitima suscipiendi sacros ordines ante tempus constitutum ad vota solemnia aut simplicia perpetua, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio ut anticipetur tempus professionis solemnis aut simplicis perpetuæ.

269. — III. *Exceptiones*. — 1. In omnibus regionibus quæ subduntur S. Congregationi de Propaganda Fide, jam ab antiquo tempore hæc inolevit praxis, etiam expresso S. Sedis privilegio firmata, ut ministri sacri ordinentur ad titulum *Missionis*, qui importat ut ipsi alantur sumptibus Vicariatus Apostolici, vel diœcesis pro qua ordinantur, et ubi se ministerium exercituros juramento spondent. Vi præstiti juramenti ipsis interdicitur Religionem ingredi absque venia S. Sedis ; qua conditione non servata, professio religiosa ipso jure declaratur invalida (2).

(1) Cf. Const. *Apost. Sedis*, susp. IV. — (2) De Angelis, *Prælectiones juris canonici*, lib. I, tit. II, vers. fin. — Instructio S. Congr. de Propag. (27 april. 1871), — Zitelli, *Apparatus juris ecclesiastici*, lib. II, cap. II, art. 6, § 3.

2. Nonnullis diœcesibus et collegiis a Sede Apostolica concessum est, ut clerici solo titulo *servitii Ecclesiæ* ordinentur; tale indultum obtinuerunt Ecclesia Florentina, Patriarcha Venetus, et in Urbe collegium græcum, anglicum, germanicum, etc.

3. Ex consuetudine, vel exigente necessitate, *toleratur* in Germania *titulus mensæ*, scilicet promissio pensionis clerico tunc solvendæ, quando ad obeunda sacra munera inhabilis factus fuerit.

4. In Gallia et Belgio, clerici non ordinantur ad titulum beneficii, eo quod in iis regionibus non alia reperiuntur beneficia nisi canonicatus et parochiæ, quæ solis conferuntur sacerdotibus. Plurimi etiam clerici non possunt ordinari cum titulo patrimonii vel pensionis, siquidem pauci patrimonium sufficiens possident. Quapropter Episcopi, benigne annuente Sede Apostolica, *ab obligatione* tituli, urgente necessitate eos dispensant, sive absolute, sive ad tempus (1). Sollicite tamen curant ut ex ærario in unaquaque diœcesi ad hoc instituto competenter provideatur necessitatibus eorum qui senectute aut infirmitate sacris vacare impediuntur (*caisse de retraite*).

ARTICULUS III

REGULÆ IPSIUS ORDINATIONIS

Istæ regulæ respiciunt tum ordinandorum proximam præparationem per exercitia spiritualia et scrutinia, tum ordinationis tempus et locum.

270. — I. *Exercitia spiritualia.* — S. Carolus in concilio provinciali illa præscripsit, ut suscepturi ordines puriori mente et ardentiori voluntate ad rem tanti momenti accederent. Alexander VII ordinandis Romæ præcepit, ut hujusmodi exercitationibus *decem dies* impenderent. Hæc disciplina, ab Innocentio XI ad totam Italiam extensa, in aliis etiam locis invecta et usu firmata est; sed extra Italiam exercitiorum duratio ab Episcopis determinatur.

271. — II. *Ordinandorum scrutinia.* — Vetus est in Ecclesia lex ut nemo ordinetur, nisi primum ab Episcopo examinatus et probatus fuerit. Hanc legem confirmavit Synodus Tridentina, quæ requirit triplex scrutinium ordinationi præmittendum :

Primum scrutinium a parocho instituitur. Ad minores Ordines promovendi, bonum testimonium habere debent a parocho et a magistro scholæ in qua educantur.

Pro assumendis ad singulos majores Ordines, Episcopus parocho aut alteri committit, ut nominibus ac desiderio eorum publice in ecclesia propositis, de ipsorum qualitatibus et moribus diligenter inquirat, et litteras testimoniales, inquisitionem factam continentes, ad se ipsum quamprimum transmittat (2).

(1) Cf. Concilia Provincialia, v. g. Remense (1849), in quo declaratur, approbante et jubente S. Congr. Conc. : « Cum apud Gallias.... clerici non possint ad majores ordines promoveri cum titulo beneficii, nec plerique patrimonium neque pensionem habeant, eos a lege Tridentina, annuente Apostolica Sede, dispensant episcopi. » — (2) Concilium Trid., sess. XXIII, *de Reform.* cap. v.

Secundum scrutinium proximis diebus ante ordinationem instituit Episcopus, adscitis sacerdotibus peritis divinæ legis ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis, quorum ope investigat ordinandorum genus, personam, ætatem, titulum, mores, doctrinam et fidem (1). Doctrina probanda est per actuale et diligens examen, coram Episcopo ordinante ab ipsis regularibus exemptis subeundum, si illud requirat.

Tertium scrutinium erga eos tantum qui in diaconos et presbyteros ordinantur, fit in actu ordinationis, quando archidiaconus ab Episcopo interrogatur an sciat ipsos esse dignos (2). — Mutatis circumstantiis, hæc interrogatio evasit mera cæremonia, quam Ecclesia retinet in memoriam veteris disciplinæ.

272. — III. Ad tempus ordinationis duo referuntur, nempe *dies* ordinationis et *interstitia* (3).

1. *Dies quibus Ordines conferri possunt.* — Distinguendum est quid lege statutum fuerit, et quid Episcopi valeant ex privilegio.

Jure ordinario, *tonsura* qualibet die et hora conferri potest. — *Minores Ordines* diebus dominicis, ac festis de præcepto, licet suppressis, etiam extra missarum solemnia, matutino tamen tempore conferuntur. — *Sacri Ordines* semper conferri debent inter missarum solemnia, ac certis anni temporibus, quæ sunt sabbata in jejuniis quatuor temporum, sabbatum ante dominicam passionis, et sabbatum sanctum. — *Consecratio* Episcoporum fit quovis anni tempore, die tamen dominico, vel natalitio Apostolorum, vel ex speciali indulto alio die festo.

Consuetudine videtur non posse induci ut Ordines, saltem majores, extra tempora conferantur. Id vero conceditur ex privilegio, vel indulto, cujus usus generatim diebus dominicis et festis de præcepto adstrictus est.

2. *Interstitia* seu temporum intervalla inter unum et alterum Ordinem observanda sunt, tum ut clerici in singulis Ordinibus se exerceant, tum ut in Ordine suscepto diutius immorantes probari possint, et certius dignoscatur num digni sint qui ad superiorem Ordinem promoveantur.

Interstitia inter minores Ordines arbitrio Episcopi relicta sunt, ita ut isti Ordines eodem die conferri possint. Inter Ordines minores et subdiaconatum, item inter singulos Ordines sacros regulariter intercedere debet spatium unius anni, qui non mathematice, sed juxta calendarium ecclesiasticum computandus est.

Episcopus erga suos tantum subditos super interstitiis dispensat, et prout utilitas aut necessitas Ecclesiæ ipsi suadet; sed ejus potestas contrahendi interstitia non ita porrigitur, ut eadem die duo majores Ordines, vel minores cum subdiaconatu conferantur.

Etiam quoad regulares, remissio interstitiorum, salvo contrario privilegio, pertinet ad episcopum ordinantem; qui tamen quoad causas deferre debet judicio et attestationi superioris regularis ordinandi (4).

(1) Conc. Trid., sess. XXIII, *de Reform.*, cap. VII et XII. — (2) Pontificale romanum, *de Ordin. diaconi et presbyteri.* — Decret., lib. I, tit. 12, *De scrutinio in ordine faciendo.* — (3) Cf. S. Alph., lib. VII, 794-797. — (4) S. C. Conc., 30 jun. 1597 et 30 sept. 1609.

3. Denique Ordines *gradatim* conferendi sunt, ab inferioribus ad superiores progrediendo, nullo prætermisso. Si quis *per saltum* ordinetur, Ordo prætermissus suppleri debet ; sed illius ordinatio, licet illicita, valida est, excepto episcopatu ante presbyteratum collato.

273. — IV. *Locus ordinationis* debet esse 1° *Proprius*, seu in diœcesi ordinantis positus ; — 2° *Sacer*, id est, ecclesia vel oratorium, saltem pro majoribus Ordinibus, qui intra missam conferuntur de præcepto, dum minores Ordines et tonsura non prohibentur conferri in loco non sacro, ut patet ex rubrica Pontificalis ; — 3° *Publicus*, saltem si ordinatio sit generalis, secus frustra fieret examen publicum : « Ordinationes sacrorum Ordinum, ait Conc. Trid...., in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ecclesiæ canonicis, publice celebrentur ; si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur (1). »

DISSERTATIO III

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

Jura et obligationes clericorum duplici modo spectantur : 1° Ratione status clericalis, — 2° Ratione diversitatis graduum.

CAPUT I

JURA ET OBLIGATIONES STATUS CLERICALIS

Distinctis in articulis considerantur primum *jura* seu *privilegia*, dein *obligationes* clericorum.

ARTICULUS I

DE CLERICORUM PRIVILEGIIS

274. — Ad dignitatem clericorum honorandam, varia jura et privilegia eisdem tribuuntur. Hæc autem privilegia sunt vel *specialia*, quibus nonnulli gradus hierarchiæ exornantur ; vel omnibus clericis *communia*, de quibus solis hic agendum est.

Duo e privilegiis communibus clericorum sunt principaliter attendenda, videlicet *privilegium canonis*, et *immunitas*, ad quam cætera referuntur.

§ 1. — *Privilegium canonis* (2).

275. — Istud privilegium, quo personæ ecclesiasticæ redduntur invio-

(1) Conc. Trid., sess. XXIII, *de Reform.*, cap. VIII. — (2) S. Alph., VII, 264-280. — Soglia, *Institutiones juris privati*, § 71. — Phillips, *Manuale juris ecclesiastici*, § 68.

labiles, ita dictum fuit a canone XV concilii Lateranensis II (1139), sub Innocentio II celebrati, quo sic statuitur : « Si quis, suadente diabolo, in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandatum suscipiat (1). » Interpretatio istius canonis ad tria revocatur, nempe privilegii subjectum, violationem et violationis pœnam.

276. — I. Illi in quorum *favorem* ea lex statuta fuit, sunt clerici omnes, etiam prima tonsura tantum initiati, omnes regulares utriusque sexus, etiam fratres laici et novitii, et omnes personæ pertinentes ad Congregationes religiosas in quibus vota tantum simplicia emittuntur; hi omnes enim ex Ecclesiæ instituto deferunt habitum clericalem aut religiosum, et canon Lateranensis in favorem cleri et religionis late interpretandus est. Excipe clericos realiter degradatos, et eos qui, habitu clericali aut monachali relicto, sæcularibus negotiis dant operam, v. g. apostatas ab ordine sacro aut a religione.

277.— II. Per violentam manuum injectionem intelligitur quævis actio externa graviter injuriosa. Proinde hanc censuram incurrunt, non solum qui percutiunt aut vulnerant, sed etiam qui in vincula detrudunt aut in custodia retinent. In eamdem pœnam probabilius incidunt mandantes, consulentes, efficaciter cooperantes (2).

Excusantur qui violentas manus injiciunt ex ignorantia, vel ad sui defensionem, vel levitatis aut joci causa, vel ad legitimam correctionem.

278. — III. Pœna inflicta in clericorum percussores est excommunicatio Summo Pontifici reservata. Attamen rei Romam excurrere non tenentur in variis casibus, v. g. si percussio non fuerit enormis, vel si percussores sint mulieres, clerici collegialiter viventes, etc. (3).

§ 2. *Immunitas clericorum* (4).

279. — Immunitas clericorum est jus quo personæ ecclesiasticæ eximuntur a quibusdam oneribus, quibus reliqua societas premitur.

Præter immunitatem *personalem*, quæ sola hic consideratur, distinguitur immunitas *localis* et *realis*, de qua agitur n. 698-704, et n. 731-733.

Duo sunt expendenda : — 1. In quo consistat immunitas personalis; — 2. Quo jure introducta sit.

I. — In quo consistat immunitas personalis clericorum.

Immunitas personalis clericorum constat variis privilegiis, uni et eidem fundamento innixis et ad eumdem finem spectantibus, quorum præcipua

(1) Cf. Const *Apost. Sedis*, Excom. speciali modo R. Pontifici reserv., V., et excom. eidem R. Pontif. simpliciter reserv., II. — (2) V., Infra n. 952. — (3) Vide S. Alph., lib. VII, 84 et seq. — (4) *Decretalium* lib. II, tit. 2 *de Foro competenti*; lib. III, tit. 49. *de Immunitate*. — Cf. S. Alph., lib. I, app. de privilegiis, 18-28.

sunt : privilegium *servitiorum*, privilegium *fori* et privilegium *competentiæ*.

280. — I. Privilegium *servitiorum* in eo consistit quod clerici eximuntur ab oneribus personalibus statui clericali minus convenientibus. Nimirum exempti sunt a militia, a muneribus publicis curialibus et municipalibus, et ab oneribus sordidis.

Hoc privilegium divina ordinatione in clericos promanat, tum eo quod dignitas status clericalis illud postulat, tum eo quod Ecclesiæ competit potestas ordinandi idoneos religionis ministros, eosque proinde tanquam divinis ministeriis dedicatos a negotiis sæcularibus segregandi.

281. — II. Privilegium *fori* in eo consistit quod nemo per se possit personam ecclesiasticam, quoad causas criminales vel etiam civiles, ad judicium sæculare trahere. — Hæc immunitas, qua clerici potiti sunt ubi primum Ecclesia, sedatis persecutionum procellis, christianos principes nacta est, subsequentibus sæculis confirmata fuit; hodie vero variis modis coercetur (1).

Causa hujus privilegii. — Interest ut religio omnem suam vim exerat; atqui non potest suum imperium exercere, nisi dignitati ordinis ecclesiastici consulatur. Sed honori ordinis ecclesiastici non consulitur, si clerici indiscriminatim trahantur ad judices laicos. Justitiæ autem jura et honor clero debitus conciliantur, si rei clerici suis tradantur prælatis judicandi, sicut milites rei in Gallia et alibi eximuntur a judicibus civilibus, et suis ducibus judicandi traduntur, specialibus pœnis plectuntur et in specialem carcerem detruduntur.

Subjectum privilegii. — Eædem personæ fori privilegio gaudent quibus privilegium canonis competit. Ex concilio Tridentino (2), clericus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, fori privilegio non gaudet, « nisi beneficium habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum... quasi in via ad majores Ordines suscipiendos, versetur. » Privilegium ergo amittunt illi qui neque habitu, neque vitæ genere et studiis clericos se exhibent.

282. — III. Privilegium *competentiæ* seu competentis sustentationis in eo consistit ut clerici ære alieno gravati, qui tamen dolo non agunt, possint ad id solum solvendum condemnari, quod superest post decentem eorum sustentationem. Juxta concilium Tridentinum, privilegium hujusmodi oritur ex titulo ordinationis. — In Gallia viget, quatenus ministri sacri juridice privari nequeunt a suis creditoribus stipendio ipsis solvendo in compensationem veterum beneficiorum, sed illud semper integre percipiunt.

II. — Quo jure immunitas fuerit introducta.

283. — Quæstio solvitur a concilio Tridentino, asserente *Ecclesiæ et*

(1) Cf. Const. *Apost. Sedis*, Excom. R. Pontif. speciali modo reserv., VII. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, cap VI. *de Reform.*

personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam (1).

I. Immunitas clericorum, originaliter et quoad principium, ex *Dei ordinatione* profecta est.

Prob. 1° *auctoritate.* Concilium Lateranense V (sess. IV) inquit : « Cum a jure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit. »

Prob. 2° *ratione.* Æquitati naturali consentaneum est clericos, tanquam magistros fidelium et Deo consecratos, non eodem modo tractari sicut tractantur laici. Proinde jus ad immunitatem inest Ecclesiæ, et oritur ex ipsa Ecclesiæ institutione.

II. Immunitates *canonicis sanctionibus* immediate determinantur.

Prob. 1° *ex verbis conciliorum*, quibus non dicitur tantum immunitatem a divino jure originem ducere, sed etiam jure ecclesiastico constitutam esse. Equidem jus divinum dictat clericos esse eximendos; sed juris applicatio seu immunitatis determinatio fit ab Ecclesia, sicut determinatio temporis quod jus naturale indeterminate præcipit impendere in Dei cultum.

Prob. 2° *ex praxi Ecclesiæ*, quæ immunitatem ordinavit, ampliavit et pro temporum necessitatibus moderata est. Atqui ea quæ solius juris divini sunt, mutationem non patiuntur.

Inde intelligitur cur immunitatis origo referatur ab aliis ad jus divinum, ab aliis ad jus canonicum. Cum immunitas aliquo sensu ab Ecclesiæ voluntate pendeat, ideo variari potest; quia vero simul fundamentaliter est juris divini, tolli omnino nequit etiam a Summo Pontifice.

Quapropter Pius IX damnavit propositiones sequentes (2) :

« 30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. »

« 31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus, sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede. »

« 32. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ militiæ eximuntur. »

ARTICULUS II

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

284. — Doctrinam epistolarum pastoralium S. Pauli fusius exponunt et sanciunt tum in Corpore juris plurima capita *de vita et honestate clericorum* (3), tum plura decreta concilii Tridentini *de reformatione.* Hoc fundamento innituntur omnia quæ in synodis sive provincialibus sive diœcesanis circa eamdem materiam saluberrime constituta sunt.

(1) Sess. XXV, cap. XX, *de Reform.* — (2) Encyclica *Quanta cura* et Syllabus errorum. — (3) Dist. 23-50, *in Decreto Gratiani.* — Lib. III. tit. 1, *in Decretalibus.*

Duplex distinguitur genus earum præscriptionum : nonnullis legibus *generaliter* injungitur studium perfectionis clericalis, præsertim vero officium excitandi fideles ad virtutem exemplo vitæ integerrimæ, eo quod « nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur (1). »

Quæ *in specie* a canonibus statuuntur, spectant : — 1. Præcipua virtutis subsidia; — 2. Virtutes clericorum ; — 3. Negotia et oblectamenta clericis prohibita ; — 4. Vestitum clericalem.

§ 1. — *Præcipua virtutis subsidia.*

Duo sunt præcipua virtutis subsidia, quibus veluti duobus cardinibus omnis sacerdotum operatio moveri et sustentari debet, *pietas* scilicet et *studium litterarum*.

285. — I. Pietas in Deum *tribus modis* colitur, videlicet oratione, officio divino et cæteris mediis promovendæ pietatis.

1. Cum *oratio* atque meditatio vitam animæ nutriant, viri ecclesiastici sæpissime a conciliis admonentur ut sint orationi instantes, spiritu ferventes (2).

2. Ad *officium divinum* referuntur, tum Horæ canonicæ ab Ordinibus majoribus persolvendæ, tum Sacrificii eucharistici celebratio.

3. *Media promovendæ pietatis* a clero adhibenda sunt, sive singulis diebus, v. g. librorum asceticorum lectio ; sive singulis heddomadis, v. g. frequentior confessio ; sive succedentibus annis, v. g. spiritualia exercitia, quibus clerici fervorem spiritus resuscitare et augere connituntur (3).

286. — II. Studium litterarum. — Ecclesia numquam destitit ministros suos ad studia statui clericali convenientia fortiter incitare. In permultis canonibus, tum necessitas animum litteris continuo excolendi exprimitur, tum regulæ pro studio rite instituendo traduntur.

Studiis ecclesiasticis primæ procul dubio debentur partes. Sæcularibus tamen litteris clerici laudabiliter operam dant, quando et quatenus illud vergit in Ecclesiæ utilitatem ; verum excessus in addiscendis rebus profanis acriter per canones perstringitur.

§ 2. — *Sanctiones canonicæ de virtutibus clericorum.*

287. — Omni genere virtutum sacerdotes exornari debent ; at præ reliquis illæ ab iisdem exiguntur, quæ vitiis in mundo maxime dominantibus opponuntur. Hujus generis sunt castitas, temperantia et beneficentia.

I. *Castitas*. — Cum peccata contra castitatem in clericis majorum Ordi-

(1) Conc. Trid., Sess. XXII, cap. 1, *de Reform.* — (2) Cf. Bened. XIV, Encyclica *Ubi primum*, 3 dec. 1740 ; et Pium IX, Encyclica *Qui pluribus*, 9 nov. 1856. — (3) S. Alph., *Ordo vitæ sacerdotalis.*

num induant speciem sacrilegii, a clero removentur omnia quæ vel mala sunt, vel mali occasionem aut suspicionem præbent, v. g. familiaritas cum mulieribus.

In hunc finem latæ sunt leges *cohabitationem* clericorum cum mulieribus respicientes. Ex regula generali, non licet clerico cohabitare cum mulieribus, præterquam cum iis de quibus suspicio nulla esse potest (1).

Unde 1. Excipiuntur personæ in primo vel secundo consanguinitatis gradu conjunctæ, ut mater, avia, amita, matertera, soror, neptis sive filia fratris aut sororis ; ratio est, quia in his naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari (2). Affines generatim non excipiuntur nisi in proximo gradu, v. g. noverca.

2. Licet clericis in servitium suum feminas extraneas assumere, modo provectioris ætatis sint, honestæ famæ et extra suspicionem, et habitare in eadem domo cum famulabus consanguineorum, servatis tamen conditionibus quas Episcopi statuere solent.

II. *Temperantia.*— Concilium Tridentinum etiam ab Episcopis exigit ut modesta supellectili et frugali victu contenti sint (3). Præterea, omnibus clericis fugienda est crapula et ebrietas (4). — Ad vitandum horum vitiorum periculum, iis interdicitur ne edendi aut bibendi causa *tabernas* ingrediantur, nisi itineris necessitate compulsi (5) ; nec permittuntur ad *convivia* accedere, præsertim nuptialia (6).

III. *Beneficentia.* — Ea est bonorum ecclesiasticorum indoles, ut quæ ad honeste vivendum clericis non sunt necessaria, ex mente Ecclesiæ in miserorum levamen impendi debeant. Cum vero huic proposito avaritia et prodigalitas obstent, ab utroque vitio clericos esse alienos Ecclesia jubet. — Hospitalitas etiam a concilio Tridentino ipsis injungitur, juxta illud Apostoli : « Oportet episcopum esse... hospitalem, benignum » (I Tim., III, 2 ; Tit. I, 8).

§ 3. — *Negotia et oblectamenta clericis prohibita.*

288. — Canones ea prohibentes nituntur principio quod a S. Leone statutum est : « Omnium sacerdotum tam excellens est electio,ut quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita (7). »

Inde duo inferuntur : 1. Externa vivendi ratio honestior requiritur a clericis, quam a laicis. Modestiæ et honestatis clericalis normam Patres Tridentini expresserunt in hoc celebri decreto : « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem (8). »

(1) Concilium Nicænum. — (2) Innocentius III, cap. IX, *De cohabitatione clericorum.* — (3) Sess. XXV, *de Reform.*, cap. I. — (4) Lib. III *Decretal., de Vita et Honestate clericorum*, cap. XIV. — (5) Canones Apostolorum, Concilium Lateranense IV, Conc. Tridentinum, synodi provinciales et diœcesanæ. — (6) Can. *Convivia*, dist. 44. — (7) Can. I, dist. 32. — (8) Conc. Trid., sess. XXII, *de Reform.* cap. I. — Cf. S. Alph., lib. IV, 188-191.

2. Plura negotia vel oblectamenta, quæ statui clericali minus conveniunt, merito sacerdotibus prohibentur, tum ab antiquioribus canonibus, tum a concilio Tridentino.

289. — NEGOTIA PROHIBITA. — In genere prohibentur negotia sæcularia quæ clerum vel dedecent vel nimis distrahunt, juxta verbum S. Pauli : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (1). »

In specie :

I. Prohibetur *negotiatio* proprie dicta, qua res minori pretio emuntur, ut cum lucro vendantur, sive clericus per se, sive per alios negotiationem exerceat, etiamsi lucrum sit impendendum in pia opera. Id intelligitur de negotiatione *lucrativa ;* non vero illicita est negotiatio *œconomica*, qua clericus fructus ex proprio fundo collectos, vel proprii ingenii fœtus vendit (2).

II. *Officia militaria et curialia* prohibentur, videlicet ne clerici notarium, procuratorem vel advocatum agant coram judice laico, nisi propriam, vel Ecclesiæ aut pauperum causam prosequantur.

III. *Praxis chirurgiæ et medicinæ*, etiam sine incisione vel adustione, clericis præsertim majorum Ordinum prohibetur, tum ob periculum irregularitatis, tum ob indecentiam. Si vero artes istas exerceant cum incisione aut adustione, fiunt irregulares, si mors aut mutilatio inde sequatur. — Attamen, clericus peritus, medicinam sine incisione vel adustione exercens, excusatur tum in casu necessitatis, tum ex causa pietatis erga personas miserabiles. Sic intelligi possunt verba Christi mittentis apostolos : « Infirmos curate. » (Matt., x, 8) (3).

290. OBLECTAMENTA PROHIBITA. — I. *Spectacula.* Leges antiquiores prohibent ne clericus histrionem agat ; sed hodie clericus hujusmodi vix reperiretur. Vetantur etiam clerici *choreis* et aliis inhonestis *spectaculis* interesse, « ne aures et oculi sacris officiis addicti, ludicris et impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur » (4).

II. *Ludus alearum et taxillorum* interdicitur (5) ; quo nomine comprehenduntur omnes illi lusus qui potius sorte quam arte reguntur. Sed canones infringere non censetur ille qui raro, moderate, ob recreationem et sine scandalo chartis ludit, nisi lex diœcesana aliud statuat.

III. *Venatio* legibus exosa est (6). Concilium Lateranense IV statuit : « Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus ; unde nec canes nec aves habere præsumant. » Concilium Tridentinum præcipit ut clerici « ab *illicitis* venationibus abstineant » (7).

Duplex quippe distinguitur venatio : altera *clamorosa*, quæ fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum ad occidendas majores feras ; altera *quieta*, nempe quæ exercetur laqueis, retibus, aut etiam cum armis, sed paucis adhibitis canibus et sine strepitu, ad capiendas volucres minoresques belluas non feroces. Multorum sententia est clamo-

(1) II Tim., II, 4. — Tit. I libri III *Decretalium :* « Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant. » — (2) *Decretal.*, lib. III, tit. 50. — Clementis XIII Encycl. *Cum primum.* — Benedicti XIV constitutio *Servitutis.* — S. Alph., lib. III, 831-839. — (3) Concilium Lateranense II. — Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. X. — (4) Concilium Mediolanense I. — (5) *Decretales*, lib. III, tit. I. — Cf. S. Alph., lib. III, 871 et seq. — (6) *Decretales*, lib. V, tit. XXIV, *de Clerico venatore.* — (7) Sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XII.

rosam tantum venationem clericis prohiberi, quamvis magis consentanea canonibus sit opinio illorum qui utrumque genus venationis interdictum putant (1).

Juxta omnes, standum est statutis diœcesanis, quæ, pro temporum et locorum circumstantiis, venationem quietam moderate clericis permittere, vel etiam interdicere possunt (2).

IV. *Armorum gestatio.* Sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ clericis prohibetur arma militaria gestare (3), sine justa et necessaria causa. Possunt tamen arma ad defensionem necessaria vel domi retinere, vel ob iter deferre.

§ 4. — *De vestitu clericali.*

291. — I. *Lex tonsuræ et vestis clericalis deferendæ.* Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos tonsuram in vertice capitis conspicuam, et vestes proprio congruentes ordini semper induere, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Si vero honestum habitum clericalem *juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum* non detulerint, per suspensionem, ac etiam per privationem beneficiorum, coerceri possunt et debent (4).

Quamvis utraque lex sit antiquissima, ab initio non viguit; non enim opportunum fuit ut primis Ecclesiæ sæculis clerici rasum gestarent summum caput, vel habitu a laicis distincto uterentur, ne persecutionibus se objicerent. Circa sæculum VI^m^, discrimen inductum est, postquam barbari vestimentum brevius intulerunt. Verum, multo antea vestes clericorum modestia distinctas fuisse constat.

292. — II. *Qualis esse debeat habitus clericorum.* Compositio capitis tria complectitur : 1. *Tonsura* geritur ad eam formam quam singuli ordines postulant; — 2. Clerici prohibentur *comam* aut *barbam* modo sæcularium nutrire; — 3. Nulli sacerdoti licet cum *ficta cæsarie* vel *pileolo* missam celebrare, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ.

Ex Sixti V constitutione *Cum sacrosanctum* clericorum vestes debent esse *talares*. Attamen, hujus legis rigor ex tolerantia ipsorum SS. Pontificum et præsulum emollitus est; unde in quibusdam diœcesibus delatio vestis talaris non præscribitur extra ecclesiasticas functiones.

Concilium Tridentinum Episcopis tribuit facultatem determinandi formam clericalis indumenti.

A missionariis apud infideles et hæreticos conversantibus ea servanda sunt, quæ usus et locorum circumstantiæ requirunt, atque superioribus probantur.

(1) S. Alph., lib. III, 606. — (2) Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XI, cap. X. — (3) Greg. *Decretales*, lib. III, tit. I, *de Vita et Honestate clericorum.* — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, *de Reform.*, cap. VI. — Cf. S. Alph., lib. VI, 825-830.

CAPUT II

JURA ET OBLIGATIONES DIVERSORUM GRADUUM CLERI

Discrimen existit inter Ordines sacros et non sacros ratione *cælibatus*, inter gradus superiores ex *majoritate et obedientia*. Hinc duplex articulus.

ARTICULUS I

DE CŒLIBATU CLERICORUM (1).

293. — I. *Rationes quibus innititur lex* cœlibatus sacris ministris impositi.

1. Cum de fide sit esse *melius ac beatius manere in virginitate vel cœlibatu, quam jungi matrimonio* (2), ideoque continentia perfectiorem sanctimoniam præ se ferat, mirum esset quod Ordines majores ad cœlibatum non obligarentur.

2. Sacerdotium respectu Dei requirit cœlibatum, tum quia per spiritualem ordinationem propagatur, tum quia sacerdotes vivam imaginem Christi exhibere debent, tum quia ipsis incumbit onus sacrificandi et orandi, a conjugatis minus digne et longe difficilius obeundum.

3. Officia status sacerdotalis erga fideles postulant virum alienis curis minime distractum, quem populus honore et summa fiducia prosequatur.

4. Cœlibatus Ecclesiæ proficit, tum quia sacerdotes reddit liberiores in tuenda veritate, tum quia amorem et sustentationem propriæ familiæ prævertit, et eo ipso beneficentiæ studium excitat vel auget.

294. — II. *Historia hujus legis.* Origo cœlibatus ecclesiastici ab Apostolorum tempore et instituto repetenda est. Primum exemplo Christi et traditione apostolica inductus, legibus scriptis confirmari cœpit. Equidem lex continentiæ ex hominum ignavia in quibusdam locis minus religiose observata fuit; sed per continuas SS. Pontificum et conciliorum sanctiones stabilita fuit, donec subdiaconi ea obligati sunt in Ecclesia occidentali.

In Ecclesia orientali, paulatim irrepsit alia disciplina, quam per canones Trullanos expressam Sancta Sedes toleravit, ad schisma vitandum. Juxta ipsam, conjugati ordinantur, eisque usus matrimonii est permissus, exceptis Episcopis; sed in sacris constituti uxorem ducere non possunt. Monachi continentiam profitentur, et ex eis communiter episcopi assumuntur.

295. — III. *Vigens disciplina.* Cum in Occidente clerogamia invalesceret, SS. Pontifices, v. g. S. Leo IX, Nicolaus II et Alexander II corruptelæ obstiterunt, donec a S. Gregorio VII excommunicarentur tum clerici majorum Ordinum conjugati, tum laici eorum missam audientes. Ut istæ pœnales sanctiones majorem firmitatem haberent, in conciliis Lateran.

(1) S. Alph., lib. VI, 806-812. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, can. x.

I et II irrita declarata sunt clericorum conjugia, quæ hactenus sub pœna privationis beneficiorum prohibita quidem erant, sed probabiliter valide contrahebantur (1).

Hanc legem concilium Tridentinum innovavit. Itaque matrimonium contractum post majores Ordines susceptos invalidum est; et, præter excommunicationem Ordinariis reservatam, irregularitem (bigamiæ similitudinariæ) inducit.

Post initum unicum matrimonium, vir promoveri potest ad Ordines, si uxor mortua sit, vel consentiat et castitatem profiteatur.

ARTICULUS II

DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA

Majoritas seu præcedentia superioribus competit : *obedientia* et reverentia ab inferioribus exhibetur.

§ 1. — *De majoritate seu præcedentia.*

296. — I. *Regulæ generales* ex quibus desumitur majoritas sunt istæ :

1. Ante omnia attendenda est dignitas et jurisdictio.

2. Inter eos qui dignitate sunt pares, ordo major præfertur minori; sic cardinalis presbyter præit cardinali diacono.

3. Cæteris paribus, majoritatem tribuit antiquitas seu prioritas temporis, ita ut is præcedat qui prius fuit ordinatus vel institutus; v. g. antiquiores parochi præferuntur junioribus. Attamen, ex titulo *dignioris ordinantis*, ordinatus a Papa cæteros præcedit.

4. Præcedentiam aliquando tribuit privilegium; sic patriarcha Constantinopolitanus præfertur Alexandrino, Antiocheno, et Hierosolymitano, quorum sedes antiquiores sunt.

297. — II. Ordo præcedentiæ in *Ecclesia universali* hic est :

Summus Pontifex omnes in Ecclesia præcedit. Proximo loco post ipsum consistunt Cardinales Episcopi, presbyteri et diaconi, quia cum S. Pontifice gubernant universam Ecclesiam, et unum cum eo corpus constituunt. Cardinales subsequuntur Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi; istos Episcopi, aliique Prælati, et demum cæteri clerici.

298. — III. Ordo præcedentiæ in *diœcesibus* hic est :

1. In sua diœcesi primum locum obtinet Episcopus, quem sequuntur Vicarius generalis, capitulum cathedrale, decani rurales, parochi, et reliquus clerus sæcularis.

2. Ministri etiam inferiores, si ornamentis sacris sint induti, præcedunt dignitates vestitu communi utentes.

3. Clerus sæcularis præcedit regularem.

4. Episcopo competit jus componendi lites de præcedentia (2).

(1) Berardi, *Commentaria* in lib. IV *Decretalium*, diss. 4, cap. v. — (2) Conc. Trid., sess. XXV, cap. XIII.

§ 2. — *De obedientia et reverentia* (1).

299. — Ex majoritate, præsertim jurisdictionis, sequitur reverentia et obedientia quam majoribus minores præstare debent, sive ex mero præcepto, sive etiam ex juramento.

I. *Obedientiam canonicam*, quæ ad finem Ecclesiæ consequendum necessaria est, cuncti fideles Summo Pontifici, diœcesani suo Episcopo, regulares suis superioribus præstare tenentur.

Obtemperandum est, juxta potestatem præcipientis. Nimirum, præ cæteris obediendum est Romano Pontifici, quia cum aliis superioribus concurrentem et summam potestatem habet. — Metropolitæ suffraganeus obedire tenetur tantum in casibus jure determinatis. — Regulares deputati ad regendam parochiam Episcopo subditam, circa curam animarum Episcopo parent, suis vero Prælatis circa regularem observantiam.

300. — II. *Juramentum fidelitatis aut professio fidei* plurimos subditos ad debitam obedientiam vinculo strictiori obligat. Istud obedientiæ juramentum, aut saltem professionem fidei, per seipsos, non per procuratorem, præstant : 1. Promovendus ad episcopatum (2) ; — 2. Provisi de canonicatu ecclesiæ cathedralis vel de beneficio curato (3) ; — 3. Prælati regulares a S. Sede provisi (4) ; — 4. Docentes theologiam, philosophiam, jus canonicum, aliasque disciplinas ; et qui promoventur ad gradus academicos (5). — Formulam professionis fidei ab his omnibus adhibendam statuerunt Pius IV et Pius IX (6).

Præterea, omnes qui ad sacerdotium promoventur, obedientiam canonicam Episcopo diœcesano spondent in fine ordinationis. — Vi hujus promissionis, presbyter ea lege inter alias adstringitur, ut a servitio Ecclesiæ cui addictus fuerit discedere nequeat sine licentia Episcopi (7).

TRACTATUS II

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS

PROŒMIUM. — VARIÆ SPECIES JURISDICTIONIS (8).

301. — Quoad nomen, jurisdictio est potestas *juris dicendi* seu judicandi vel legem indicendi. Quoad rem, jurisdictio in genere est *potestas regendi subditos*.

Jurisdictio ecclesiastica est *potestas regendi fideles et Ecclesiam*. — Ad istam definitionem referuntur variæ jurisdictionis partitiones, ratione,

(1) *Decretalium* lib. I, tit. XXXIII, *de Majoritate et Obedientia*. — (2) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. I. — (3) Ibid., sess. XXIV, cap. XII. — (4) Pii IV const. *Injunctum*. — Cf. De Angelis, lib. I, tit. I. — (5) Pii IV const. *In sacrosancta*, 13 nov. 1564. — Decr. S. Cong. Conc., 20 jan. 1877. — (6) Conc. Americæ latinæ (1899) ipsos ludimagistros rudimenta docentes in scholis ecclesiasticæ jurisdictioni subjectis fidei professionem emittere jussit, sed formula brevi et vernaculo idiomate expressa. — (7) Benedicti XIV const. *Ex quo dilectus*. — Cf. S. Alph., lib. VI, 828. — (8) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, tom. I.

— 1. fori in quo exercetur, — 2. modi quo accipitur, — 3. causarum in quibus intervenit, — 4. extensionis, — 5. objecti, — 6. subjecti.

I. Ratione fori (quo nomine designatur locus judiciorum vel etiam justitiæ exercitium), jurisdictio alia dicitur *fori interni* seu *conscientiæ*, alia *fori externi*. Hanc distinctionem innuit ipsa jurisdictionis ecclesiasticæ definitio ; eam vero non patitur potestas civilis, eo ipso quod cura animarum et regimen conscientiarum exclusive pertinet ad Ecclesiam.

Jurisdictio *fori interni* vocatur ea quæ primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem ; exercetur per sacramentorum administrationem, præsertim Pœnitentiæ, per doctrinæ christianæ expositionem et similia.

Magis proprie jurisdictio appellatur illa quæ in *foro externo* exercetur. Hæc enim valde similis est potestati quæ magistratibus societatis civilis competit, siquidem spectat publicum Ecclesiæ bonum et regimen, et potissimum complectitur potestatem *ferendi leges*, *judicandi* et *puniendi*.

Inde colligitur tantum distingui utramque jurisdictionem, quantum differunt ab invicem utilitas privata et publica. Aliquis potest jurisdictionem habere in foro interno, quin habeat in foro externo, v. g. parochus ; Episcopi vero jurisdictione externa et interna simul potiuntur. Maxima opus est prudentia in discernendo quænam ad fori interni, quænam vero ad fori externi jurisdictionem pertineant. Sic potestas prædicandi et potestas absolvendi sunt fori interni, dum facultas concedendi potestatem prædicandi et absolvendi pertinet ad forum externum, quia hæc in bonum societatis directe refertur

Utraque subdividitur : — 1. Interna jurisdictio alia est fori interni *pœnitentialis*, quæ in usum deduci nequit nisi intra pœnitentiæ tribunal; altera est fori interni *extrapœnitentialis*, quæ extra Pœnitentiæ sacramentum exercetur, v. g. quando superior extra tribunal Pœnitentiæ super voto dispensat, a censura absolvit, etc.

2. Externa jurisdictio subdividitur in *voluntariam* seu extrajudicialem, et in *contentiosam* seu judicialem. — Jurisdictio voluntaria est illa quæ extra judicium erga volentes exercetur. — Contentiosa est ea quam erga invitos judex exercet, adhibita forma judicii.

Inter utramque hoc discrimen intercedit. Jurisdictio contentiosa nequit extra Prælati territorium exerceri ; id non patiuntur distinctio diœcesium et limites singulis judicibus assignati. E contra, voluntariam jurisdictionem privatim exercere potest Episcopus a sua diœcesi absens, quin alii judici inferat injuriam, quia neminem cogit sibi obedire ubi cogere nequit.

302 — II. Ratione tituli seu modi quo accipitur, jurisdictio dividitur in *ordinariam* et *delegatam*. — Ordinaria est illa quæ alicui competit jure proprio, ratione dignitatis aut officii permanentis, cui stabiliter ex jure communi annectitur. Hujusmodi est jurisdictio fori interni quæ parochis, jurisdictio fori externi quæ episcopis tribuitur. Sic etiam jurisdictio metropolitana est ordinaria, quia ex lege adhæret stabili digni-

tati (1). — Ex usu recepto, nomine *Ordinarii* ii soli designantur qui habent jurisdictionem ordinariam in foro externo.

Jurisdictio delegata est ea quam clericus non habet jure proprio, vi muneris, sed solum extra ordinem communem, ex speciali missione alterius, cujus vices transitorie gerit. Talis est jurisdictio capellanorum et vicariorum parochialium.

Duo magni momenti ad praxim sunt attendenda :

1. Inter jurisdictionem ordinariam et delegatam existit multiplex differentia (2) :

Primo, superior ordinarius jurisdictionem suam regulariter delegare potest. Delegatus vero, sine speciali delegantis concessione subdelegare nequit, nisi sit delegatus a Summo Pontifice, vel ad universitatem causarum, saltem certi generis, v. g. matrimonialium (3).

Secundo, jurisdictio ordinaria est favorabilis, ac proinde late interpretanda ; pro illa præsumitur, donec aliud probetur. Delegata autem, quia ordinariæ derogat, censetur odiosa, et strictam patitur interpretationem. Propterea delegati, antequam potestatem suam exerceant, solent se *legitimare*, id est, litteras suæ delegationis exhibere.

Tertio, a delegato ad delegantem tantum, non vero ad tribunal intermedium, appellatio interponitur. Proinde, si Episcopi quidquam statuunt tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ab ipsorum sententia non ad Metropolitam, sed ad Papam solum appellari potest.

Quarto, jurisdictio ordinaria, si excipiatur jurisdictio Vicarii generalis, morte concedentis non exspirat. Delegata vero extinguitur, si delegans, re integra, id est, processu nondum inchoato, vel confessione nondum audita, decedat (4).

2. Jurisdictio ordinaria, ratione originis, alia est *juris divini*, alia autem mere *ecclesiastica*. — Juris divini dicitur illa jurisdictio quæ a Deo ipso immediate conceditur, v. g. potestas Romani Pontificis, vel saltem divinitus instituta fuit, v. g. potestas Episcoporum ; Christus enim summum Pontificatum et Episcopatum instituit. — Mere ecclesiastica est jurisdictio graduum ab Ecclesia institutorum, v. g. auctoritas Vicarii generalis.

Diverso modo metimur utramque : — Jurisdictioni divinitus instituta applicatur istud principium affirmativum : *ea omnia potest quæ sibi a jure superiori non prohibentur*. Jurisdictioni vero mere ecclesiasticæ applicatur principium negativum : *non potest agere nisi ea quæ sibi positive conceduntur* (5).

303. — III. Ratione causarum in quibus intervenit, distinguitur jurisdictio in *immediatam* et *mediatam*. — Jurisdictio immediata generaliter exercetur ab illis pastoribus quibus committitur ordinarium regimen societatis ; v. g. Romanus Pontifex in Ecclesia universali, Episcopus in sua diœcesi jurisdictionem immediatam obtinent.

(1) *Decretalium*, lib. I, tit. XXXI, *de Officio judicis ordinarii*. — (2) Cf. S. Alph., lib. I, 193 ; et lib. VI, 566. — (3) Ex declar. S. Offic. (14 dec. 1898) constat episcopum posse subdelegare tum suis vicariis generalibus tum aliis clericis, sive generaliter sive ad casus determinatos, facultates sibi ad tempus a S. Sede delegatas, nisi tamen obstet rescripti tenor. — (4) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. XXIX. — (5) Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, lib. I, tit. XXXI.

Mediata est illa jurisdictio quæ, licet possit alicui competere ratione stabilis dignitatis, tamen non intervenit nisi in casibus a jure determinatis. Talis est jurisdictio Metropolitæ in suffraganeorum subditos (1).

304. — IV. Ratione extensionis, distinguitur jurisdictio *universalis*, quæ nullo arctatur limite ; et *particularis*, quæ restringitur ratione loci, personarum aut causarum. — Ex quo constitutæ fuerunt diœceses, jurisdictio universalis non exercetur nisi a Summo Pontifice vel a Conciliis generalibus. Jurisdictio particularis quoad loca exercetur ab episcopis, parochis, etc. ; particularis quoad personas, a prælatis regularibus ; particularis quoad causas, a Congregationibus romanis (2).

305. — V. Ratione objecti, *directio personarum* differt ab *administratione rerum* (3).

306. — VI. Ratione subjecti in quo residet, jurisdictio *individualis* singulis clericis competit ; jurisdictio *collegialis* in communi exercetur, v. g. a Congregationibus romanis (4).

307. — *Divisio tractatus.* — Duo sunt jurisdictionis gradus a Christo instituti, nempe Primatus Summi Pontificis et Episcopatus.

Gradibus juris divini accedunt plurimi gradus institutionis ecclesiasticæ. Duplex eorum genus distinguitur : alii derivantur a Summo Pontifice illumque repræsentant, alii Episcopo subjiciuntur et illum adjuvant.

Porro hierarchia considerari potest vel in potestatis exercitio ordinario, vel in ejusdem exercitio extraordinario, prout fit in conciliis et synodo diœcesana. Quapropter in triplici dissertatione dicemus : — I. De Summo Pontifice et illius adjutoribus ; — II. De Episcopo et illius adjutoribus ; — III. De Conciliis.

DISSERTATIO I

DE SUMMO PONTIFICE ET ILLIUS ADJUTORIBUS

308. — Duplicis generis sunt Summi Pontificis adjutores : alii consilio et opere ei assistunt in causis expendendis et definiendis, et Curiam Romanam constituunt ; alii Pontificiæ jurisdictionis partem aliquam recipiunt, et S. Pontificis personam repræsentant sive in ecclesiis particularibus, sive apud societatum civilium principes. — Hinc triplex caput : I. De Summo Pontifice ; — II. De Curia Romana ; — III. De personis quibus pars aliqua Pontificiæ jurisdictionis communicatur.

CAPUT I

DE SUMMO PONTIFICE

Claritatis causa, distinctim exponentur : 1. Præcipua jura Primatus Pontificii. — 2. Ea quæ personam R. Pontificis spectant.

(1) Reiffenstuel, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. XXXI. — (2) Berardi, *Commentaria in jus eccles.*, tom. I, dissert. I, cap. II. — (3) Phillips, *Du Droit ecclésiastique*, tom. I, liv. I. — (4) Berardi, *Commentaria in jus eccles.*, tom. I, dissert. I, cap. IV.

ARTICULUS I

DE JURIBUS PRIMATUS PONTIFICII

Primatus jura considerantur sub duplici aspectu, scilicet 1. in *genere*, et 2. in *specie*.

§ 1. — *De juribus Primatus in genere.*

Quo facilior evadat investigatio singulorum jurium Primatus, duplex requiritur prænotio generalis, videlicet : 1. Ratio determinandi officia et jura Primatus; — 2. Recta eorum divisio.

I. — Ratio determinandi officia et jura Primatus.

Hæc ratio colligitur ex mensura jurium pontificiorum, ex moderamine in iisdem exercendis, et ex eorum inviolabilitate.

1. — *Mensura jurium pontificiorum* (1).

309. — Mensura jurium pontificiorum sita est in voluntate Christi, qui institutionem summi pontificatus pluribus verbis expressit et determinavit.

I. His verbis : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Christus primatum instituit ad servandam in Ecclesia unitatem fidei et obedientiæ. Unde tanta saltem in Primatu potestas inest, quanta requiritur ad hunc finem obtinendum.

II. His aliis verbis : *Tibi dabo claves regni cœlorum ; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, Christus S. Pontifici confert eam jurisdictionem quæ a conciliis vocatur plenitudo potestatis. Unde jura Primatus profluunt ex plena et suprema auctoritate qua S. Pontifex, ad explendum munus suum, in universa Ecclesia potitur.

III. Tandem verbis : *pasce agnos, pasce oves*, Christus officia Primatus definit, S. Pontifici imponit sollicitudinem universalem, eique committit salutem Ecclesiæ. Illud officium S. Pontificis est tertium principium quo jura Primatus determinantur. Proinde dicendum est : ea omnia Primatui competunt jura, sine quibus salus Ecclesiæ promoveri nequit.

Igitur excludenda est omnis limitatio quæ ideæ Primatus sic propositæ ex verbis Christi inter se collatis adversatur. — Huc facit *Concilium Vaticanum*, Const. de Ecclesia, cap. III :

« Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium « inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem « jurisdictionis in universam Ecclesiam : non solum in rebus quæ ad « fidem et mores, sed etiam quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per « totum orbem diffusæ pertinent ; aut eum habere tantum potiores partes,

(1) Ballerini, *de Vi ac Ratione Primatus*, cap. I, V, IX. — Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. II, cap. I, § 18.

« non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis ; aut hanc ejus « potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac sin- « gulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles ; anathema « sit. »

2. — *Moderamen in exercitio pontificiæ potestatis* (1).

310. — Quantumvis illimitata sint jura primatus, non deest tamen moderamen in exercitio pontificiæ potestatis.

I. Pluribus *regulis* continetur ista potestas :

1. Norma desumitur *ex origine et fine* primatus. Summus Pontifex est enim Christi Vicarius, et Ecclesiam regit nomine Dei ; unde est dispensator, non dominus cœlestium bonorum.

2. Modus positus est in illo *spiritu mansuetudinis et moderationis*, qui ex aperta voluntate Domini cum regimine ecclesiastico, et speciatim cum Primatu connexus est. Nam Christus et Apostoli requirunt in pastoribus humilitatem, patientiam cum fortitudine, caritatem qua vitam pro ovibus suis impendant, non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

3. Potestas R. Pontificis *divina et immutabili* constitutione Ecclesiæ constringitur. Unde nihil immutare potest nec in fide, nec in sacramentis, nec in hierarchia divinitus constituta.

4. Summus Pontifex, interpres et custos legis divinæ, illam applicat, sapienter promovendo observationem legum ecclesiasticarum : *Ad illum*, ait S. Bernardus, *pertinet plenitudo potestatis ; ei convenit plenitudo justitiæ.*

II. *Moderator* R. Pontificis est Spiritus Sanctus, id est, virtus continens primatum intra suæ potestatis terminos non est populus, neque potestas civilis, neque potestas ecclesiastica inferior, sed Christus per suam assistentiam et providentiam.

1. Jugis assistentia Spiritus Sancti, quam Christus Ecclesiæ promisit, interius agit in SS. Pontifices, sive ratione supremæ potestatis super quam ædificatur Ecclesia, sive ratione orationum quibus Ecclesia pro S. Pontifice divinum auxilium sine intermissione invocat.

2. Præter assistentiam a Christo promissam, Dei providentia exterius in SS. Pontifices influit. Usus quippe pontificiæ potestatis regulatur ex conciliis Cardinalium et Episcoporum, ex indigentiis sæculi, ex indole nationum. R. Pontifex promovet bonum quantum fieri potest, juxta circumstantias ; malis obsistit impavidus ; patientia difficultates superat ; sicut Deus patiens est quia æternus, ipse exspectat tempus opportunum, quia Ecclesia est perpetua.

Inde intelligitur cur sapientia practica SS. Pontificum ex historia luculenter innotescat, per illius influxum in bonum religionis, juxta Ecclesiæ vicissitudines, quibus occurrit.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, tom. I, dissert. II.

3. — *Inviolabilitas jurium Primatus* (1).

311. — Inviolabilitas jurium Primatus constat ex sequentibus principiis :

I. Ad Summum Pontificem spectat supremum judicium de *modo exercendi* suam auctoritatem ; hoc enim pertinet ad potestatem supremam qua reguntur omnia membra Ecclesiæ, in ipso solo residentem.

II. Nemini licet contra pontificias constitutiones et sententias *se contumaciter extollere.* Id sequitur ex dictis et ex traditionis sensu (2).

III. Non *appellatur* a sententia S. Pontificis, etiam ad Concilium generale. — Etenim 1° Ista appellatio prohibetur legibus SS. Pontificum et ipsorum conciliorum (3) ; — 2° Perniciosa esset regimini et unitati Ecclesiæ, auctoritatem S. Pontificis labefactando et inobedientiam inultam efficiendo, atque facilem hæresibus et schismatibus aditum aperiendo ; — 3° Irrita est, sive quia S. Pontifex non habet superiorem in Ecclesia, sive quia plerumque non existit judex ad quem appellatur, nempe Concilium, nec appellantes aliud intendunt nisi ecclesiastica judicia declinare et vindictam suæ contumaciæ effugere.

IV. Ecclesia non potest Summum Pontificem *judicare.* — Ratio est, quia S. Pontifex primatum non accepit ab Ecclesia, sed in Ecclesiam jure divino potestatem supremam obtinet. Hinc effatum Traditione et praxi Ecclesiæ celebratum : *prima sedes a nemine judicatur* (4). Hinc exceptio conciliorum recusantium S. Pontificem judicare, *ne videatur Episcopatus vacillare* (5).

II. — Divisio jurium Primatus.

312. — I. *Rejicitur falsa divisio.*

Theologia dogmatica probat novam, arbitrariam, falso innixam principio, et naturæ primatus adversam esse distinctionem inter primatus jura *essentialia*, id est, a Christo tradita, et *adventitia*, quæ ex concessione humana provenirent. Nullum quippe e juribus primatus est auctoritate civili vel ecclesiastica collatum, multo minus errore populorum, falsis decretalibus, ambitione vel fraude invectum ; sed omnia sunt congenita, propria et ab ipso Christo divinitus accepta.

Error adversariorum oritur ex confusione potestatis et usus ejusdem. Equidem plenitudo potestatis semper existit in S. Pontifice, sed potestatis usum SS. Pontifices pro sua sapientia et temporum rationibus moderantur aut extendunt. Quare Thomassinus ait : « In Pontifice tota semper plenitudo potestatis residet, etsi non totam semper exerceat. »

313. — II. *Exponitur recta divisio.*

Potestas ecclesiastica complectitur jus *docendi*, *sanctificandi*, *et regendi.*

(1) Ballerini, *de Potestate ecclesiastica*, cap. I. — Barruel, *Du Pape et de ses droits religieux*, t. 1. — (2) Const. *Apost. Sedis*, Excom. 1ª series, III. — (3) Conc. Vatic. sess. 4 cap. 3. — Ex const. *Apostolicæ Sedis*, appellantes excommunicationem IV R. Pontifici speciali modo reservatam incurrunt. Cf. *Ibid.* Interd. I. — (4) C. *Nemo*, dist. 22. — Cf. S. Alph., lib. I, 110, Diss. *de Rom. Pontif. auctoritate.* — (5) S. Avitus, *Ep. ad Episcopos Italiæ.*

Cum R. Pontifex summo magisterio, ministerio et imperio potiatur in Ecclesia, jura ipsi competentia necessario ad unam ex hisce potestatibus referuntur.

1° Ad *magisterium* spectant doctrinæ catholicæ definitio, propagatio fidei, errorum propulsatio et directio studiorum.

Jus vero tum convocandi, moderandi et confirmandi Concilia, tum approbandi ordines religiosos, cum magisterio et jurisdictione simul connectitur.

2° Episcopi sunt quidem ordine pares ; attamen, cum S. Pontifex toti Ecclesiæ præficiatur tanquam centrum unitatis, ad illius jura *respectu ministerii* referri possunt : facultas pontificalia ubique exercendi ; jus supremum ordinandi officium divinum, festa, jejunia, sacramentorum et sacramentalium administrationem ; beatificatio et canonizatio sanctorum ; jus concedendi indulgentias plenarias, etc.

3° Ad *jurisdictionem* S. Pontificis pertinent plurima jura, quibus singulis exponendis hic instandum est (1).

§ 2. — *De juribus Primatus in specie.*

Varia jura ex quibus constat jurisdictio Primatus, ad duplicem classem reducuntur ; alia enim exercentur *in Ecclesiam universalem*, alia vero *singulas diœceses et earum Episcopos* respiciunt.

I. — De juribus S. Pontificis in universam Ecclesiam.

Quatuor sunt ejusmodi jura : — 1° Jus supremæ inspectionis, — 2° Potestas legislativa, — 3° Potestas judiciaria, — 4° Administratio rerum.

1. — Jus supremæ inspectionis.

314. — Cum S. Pontifex suæ sollicitudinis et vigilantiæ curam ubique personaliter exercere nequeat, ipsi necessaria sunt inspectionis media, quibus de statu Ecclesiæ certior reddatur. — Primum hujusmodi medium, Ecclesiam universalem ejusque independentiam respiciens, est Episcoporum, cleri et populi christiani mutua cum S. Pontifice *libera communicatio*. — Alterum est jus *mittendi Legatos* quocumque voluerit S. Pontifex. — Tertium est jus recipiendi relationes ab Episcopis, præsertim per *visitationem liminum Apostolorum*, de qua breviter hic dicendum est, cæteris infra exponendis, n. 388, n. 1012 et seqq., vel ad theologiam remissis.

Visitatio liminum Apostolorum (2).

315. — Expenditur 1° origo, — 2° jus hodiernum, — 3° modus hujus visitationis.

I. *Origo* visitationis canonicæ S. Pontificis ab Episcopis referri potest ad ipsos Apostolos (Cf. Epistola ad Galat., I, 18 ; II, 1-10). Jam ante sæculum

(1) Zaccaria, *Antifebronius, seu de Suprema Potestate Rom. Pontificis*, dissert. IV. — Schmalzgrueber, Fagnan., Gonzalez, in *Decretalium* lib. I, tit. XXXI. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, Dissert. IV. — (2) Lucidi, *De visit. sacrorum liminum*, Romæ, 1866.

xm invaluerat apud Episcopos consuetudo Romam proficiscendi, tum ut Apostolorum limina venerarentur, tum ut R. Pontifici suum exhiberent obsequium ; et S. Gregorius VII urgebat hunc usum jam ubique obtinentem. Attamen præceptum positivum, quod memoratur in vita S. Gregorii Magni, spectabat primum solos Italiæ Episcopos. Sæpe vero intermissa hac visitatione in catholicæ unitatis detrimentum, eam instauravit et fideliter deinceps peragendam constituit Sixtus V (1), ut servaretur fidei unitas, accenderetur Episcoporum zelus, et Pastori supremo status Ecclesiarum facilius innotesceret.

II. *Jus hodiernum.* — Ex constitutione Sixtina, quam innovavit Benedictus XIV (2), consecrandi Episcopi promittunt juramento fidelitatis se Apostolorum limina statis temporibus personaliter visitaturos, aut, si fuerint legitime impediti, per procuratorem. Temporum intervalla diversis regionibus convenientia in ea assignantur, nimirum Episcopi viciniores, ut Itali, visitationem peragere tenentur quolibet *triennio ;* Germani, Galli, Belgæ, Hispani, *quarto* quoque anno ; remoticres in Europa et in Africa quolibet *quinquennio;* remotissimi, ut Asiatici et Americani, quolibet *decennio.* Justa accedente causa, dictum tempus prorogari solet, instante Episcopo.

III. *Modus visitationis.* — Visitatio tres potissimum actus complectitur : 1° Visitationem Basilicarum SS. Petri et Pauli, quorum corpora veneratur Episcopus ; 2° exhibitionem debitæ reverentiæ et obedientiæ Vicario Christi ; 3° relationem de statu materiali et formali seu de rebus et personis diœcesis ad S. Congregationem concilii Tridentini(3), juxta Instructionem a Benedicto XIV editam (4).

2. — *Potestas legislativa R. Pontificis.*

316. — Bonum Ecclesiæ postulat ut disciplina ordinetur et constituatur, collapsa instauretur, et prout opus est temporibus et locis accommodetur. Igitur ad potestatem legislativam Romani Pontificis pertinent jus ferendi leges seu canones, jus tuendi canones, et jus ab iis dispensandi.

I. *Jus ferendi leges.* — Primatus est potestas suprema et ordinaria ; atqui auctoritas hujusmodi complectitur potestatem condendi leges. (Cfr pars 1a, lib. I, tit. I, n. 48-57.)

II. *Jus tuendi canones.* — Ex cura totius Ecclesiæ successoribus S. Petri commissa, oritur officium et jus diligenter curandi ut leges ecclesiasticæ ab omnibus observentur. Proinde Romani Pontifices sunt canonum custodes et vindices. Huic juri cohæret potestas *puniendi* et censuras ferendi.

III. *Jus dispensandi.* — Potestas ferendi leges includit facultatem dispensandi, juxta illud juris axioma : *Cujus est legem condere, ejus est*

(1) Sixti V Constitutio *Romanus Pontifex,* anno 1585. — (2) Bened. XIV Const. *Quod sancta,* anno 1740. — (3) Bened. XIV instituit, velut appendicem Congregationis Concilii, quamdam peculiarem congregationem, ad quam fit relatio de statu ecclesiarum. — (4) *Instructio* S. Congregationis Concilii pro Episcopis, super modo conficiendi relationes de statu suarum Ecclesiarum (ad calcem libri *de Synodo diœcesana*). Egregia hujus Instructionis commentaria edidit Lucidi.

illius obligationem remittere. Itaque S. Pontifex potest dispensare super omnibus legibus ecclesiasticis, dum divinas potest tantum infallibiliter interpretari (1).

Constanti Ecclesiæ traditione et conciliorum testimoniis triplex hæc S. Pontificis potestas comprobatur.

3. — *Potestas judiciaria R. Pontificis.*

Hæc potestas exercetur in causis majoribus et appellationibus.

317. — I. *Jus evocandi et decidendi causas majores.* — Ex sollicitudine omnium Ecclesiarum et plenitudine potestatis divinitus R. Pontifici concreditæ, sequitur causas majores ad Sedem Apostolicam referendas esse et ab ipsa judicandas. Hanc potestatem agnoverunt Patres et Concilia (2).

Illæ causæ dicuntur *majores*, quæ vel per se gravioris sunt momenti, v. g. fidei controversiæ, sacra liturgia et disciplina generalis ; vel arduæ quoad executionem existunt, v. g. excommunicatio et matrimonia regum : vel pertinent ad personas in dignitate constitutas, v. g. causæ criminales Episcoporum ; vel relationes Ecclesiæ et Status respiciunt.

Huic juri S. Pontificis respondet Episcoporum obligatio referendi ad Sanctam Sedem de causis difficilioribus (3).

II. *Jus suscipiendi appellationes* ad Romanum Pontificem pertinet, non quidem vi canonum Sardicensium, ut aliqui contenderunt, sed ratione Primatus (4). Cum enim S. Pontifex sit in Ecclesia supremus judex, unicuique datur per appellationem implorare ipsius protectionem ; nam, ut liceat gravato inferioris sententia adire tribunal superioris, postulat ipsa naturalis æquitas.

4. — *Potestas administrativa R. Pontificis.*

Hæc potestas exercetur in exemptionibus, reservationibus, suprema bonorum administratione, collatione præcipuorum beneficiorum et subsidiorum impositione.

318. — I. *Jus concedendi exemptiones.* — Quamvis gradus episcopalis divinitus sit constitutus, potestas Episcoporum a Christo determinata non fuit in omnibus, sed prudenti Ecclesiæ arbitrio in pluribus relicta. In finem unitatis, subest Capiti Ecclesiæ, quod moderatur illius exercitium, eam circumscribendo ratione locorum, personarum et rerum.

Itaque divinis Episcoporum juribus nulla fit injuria, dum quædam personæ a jurisdictione alicujus Episcopi eximuntur. Etenim subditorum

(1) S. Alph., lib. VI, 1119. — (2) Innocentius I, in *Epist. 2 ad Vitricium*, scribit : « Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut synodus (Sardicensis) statuit ac vetus consuetudo exigit, post episcopale judicium referantur. » — *Epistola Episcoporum Galliæ ad Innocentium X* (anno 1653) : « Majores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat. » — (3) S. Cyrillus Alexandrinus ad S. Cœlestinum ait in causa Nestorii : « Vetus Ecclesiarum consuetudo suadet ut hujusmodi res Sanctitati Tuæ communicentur. » — (4) S. Bernardus ad Pontificem Eugenium III scribit : « Appellatur de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis Primatus tui. » Benedictus XIV ait : « Jus appellationum adeo necessario connexum est cum Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit inficiari. »

designatio pendet a S. Pontifice, qui, sicut potest portionem gregis uni diœcesi subtrahere, sic, justis de causis, poterit unam ecclesiam vel monasterium ab Ordinarii jurisdictione eximere, suæque potestati privative subdere.

Exemptiones veteri disciplina Ecclesiæ commendantur. De illis in Conciliis actum est, in quibus neque istud jus S. Pontificis in dubitationem adductum est, neque exemptiones sublatæ; sed aliquæ tantummodo regulæ sapientissime conditæ sunt, quæ ad legitimas causas et usum exemptionum pertinent, « ne privilegia et exemptiones, quæ variis titulis conceduntur, perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitarent, et exemptis occasionem laxioris vitæ præberent (1) ».

319. — II. *Jus statuendi reservationes circa jurisdictionis actus* sic vindicat Concilium Tridentinum : « Merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare (2). »

Reservationes, antiquitus introductæ, non lædunt auctoritatem episcopalem, quam jure divino moderatur Christi Vicarius. Sicut enim quædam loca et personæ jurisdictioni Episcoporum subtrahi possunt per exemptiones, ita potestas eorum ratione rerum intra quosdam limites continetur a S. Pontifice per reservationes. Sic, vi istius juris, irregularitates, impedimenta matrimonii, casus reservati S. Pontifici, dispensatio voti solemnis, etc., generatim ab Episcopo non pendent.

320. — III. *Suprema bonorum ecclesiasticorum administratio.* — Romanus Pontifex, cum sit Christi Vicarius et caput Ecclesiæ, in bona Ecclesiæ, utpote Dei servitio addicta, supremum jus administrationis exercet. Equidem illorum bonorum dominus haud recte a nonnullis dictus est; sed munus summæ administrationis connexum habet jus de his disponendi, prout postulat salus publica.

Igitur S. Pontifex, tanquam supremus administrator et Ecclesiæ personam gerens, merito sibi reservat facultatem eadem bona in notabili quantitate alienandi et in alios usus convertendi; atque pariter valet, prout ipsi utile visum fuerit, detentores bonorum ecclesiasticorum vel ad restitutionem cogere, vel restitutionem eis condonare (3).

321. — IV. *Jus supremum conferendi beneficia.*

Principium. — Ad S. Pontificem pertinet potestas omnia totius Ecclesiæ beneficia conferendi, quia ipse est Ordinarius omnium Ordinariorum, habens concurrentem jurisdictionem cum omnibus Ecclesiæ Prælatis. Illud jus ei competit, tum ratione Primatus, ex quo valet reservationes statuere; tum ratione supremæ administrationis bonorum ecclesiasticorum, quorum reditus beneficiariis obveniunt; tum ex canonum præscripto (4).

(1) Concil. Trident., sess. XXIV, cap. XI, *de Reform.* — (2) Conc. Trid., sess. XIV, cap. 7. — Bulla *Auctorem fidei* Pius VI damnavit tres propositiones synodi Pistoriensis, scilicet sextam, septimam et octavam, quibus jus reservationum negatur. — (3) Concordatum Galliæ, 1801, art. XII. — (4) Capite II *de Præbendis*, in Sexto (lib. III, tit. IV) sic decernitur : « Licet ecclesiarum personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere. »

Usus istius juris. — Primum a Sancta Sede mittebantur litteræ *monitoriæ*, *præceptoriæ*, *executoriæ*, quibus Episcopo mandabatur ut designato beneficium conferret. Paulatim vero invaluit ut istud jus quatuor modis exerceretur, nempe per cumulativam collationem, exspectativam, reservationem et devolutionem.

1° Per *cumulativam collationem* cum Episcopis, S. Pontifex vel Episcopus conferebat beneficium, prout hic vel ille prior vacationem cognoverat. Verum Sedes Apostolica hoc jure jamdiu uti non solet.

2° Cum ex cumulativa collatione lites exorirentur, a SS. Pontificibus inductæ sunt *gratiæ exspectativæ*, quibus beneficium conferebant, prævenindo vacationem. Sed Concilium Tridentinum fere ex integro abolevit *Exspectativas* seu *mandata de providendo*, pro beneficiis vacaturis (1).

3° Visum est SS. Pontificibus quædam beneficia sibi *reservare*, quibus voluerint conferenda, sive ad præficiendos securius et liberius digniores præcipuis officiis, sive ad gratum animum exhibendum clericis de Ecclesia bene meritis, sive intuitu alius boni finis. — Reservationes distinguuntur generatim ratione *loci* in quo beneficia vacant, nempe per obitum in Curia romana; et ratione *temporis*, dum S. Pontifici reservantur beneficia certis mensibus vacantia.

De jure reservationum nulla existit controversia; sed de illius usu aliquando contentiones inciderunt, quæ sublatæ sunt per concordata.

4° Fit *devolutio* ad S. Pontificem, quando inferiores ad quos pertinebat beneficii collatio, illud conferre neglexerunt intra tempus jure præscriptum, vel illud contulerunt eo modo quem jus irritat, et propter quem devolutionem decernit.

322. — V. *Jus percipiendi subsidia.* — Evangelio docemur subsidia illis qui in Ecclesia operantur impertienda esse (2), ideoque in primis Romano Pontifici, qui omnium Ecclesiarum curam et sollicitudinem gerit. Igitur Papa, quatenus est Caput Ecclesiæ et propter bonum religionis sumptus sustinere cogitur, potest non tantum dona titulo subventionis sponte oblata accipere, verum etiam onera præsertim bonis ecclesiasticis imponere.

Hujusmodi subsidia sunt duplicis generis; alia enim exsoleverunt, alia vero nunc solvuntur.

1° *Subsidia antiquata* erant vel *tributa laicorum*, vel onera *clericis* imposita. Ad tributa laicorum referuntur tum *Denarius S. Petri*, a singulis familiis in nonnullis regionibus solvendus, v. g. in Anglia, tum *census* quos multi principes tanquam vassalli seu feudatarii Sedis Apostolicæ, vel urbes et abbatiæ ob protectionem Ecclesiæ romanæ, pendere consueverunt, v. g. rex Siciliæ.

Variis ex causis SS. Pontifices a clericis tributa olim perceperunt : *jure spolii*, curabant ut bona ecclesiastica clericorum decedentium in pios usus, juxta canones, converterentur ; — *jure deportus*, percipiebant beneficiorum fructus tempore vacationis obvenientes ; — *jure annatarum*,

(1) Conc. Trid. sess. XXIV, *de Reform.*, cap. 19. — (2) I Cor., IX, 11-15, ; I Tim., v, 17-19 ; Tit, III, 14 ; Matt., X, 10 ; Luc., X, 7.

illis tribuebatur dimidia pars redituum unius anni ex beneficiis minoribus, quæ extra consistorium a Papa conferuntur.

2° *Subsidia hodierna.* — *Servitia communia* sub forma taxæ Bullarum persolvuntur Curiæ romanæ pro ecclesiis cathedralibus et abbatiis consistorialibus. Illud annatarum genus originem ducit ab oblationibus quas jam antiquitus Episcopi ministris suæ consecrationis pendere consueverunt.

Servitia minuta minoribus Papæ officialibus sunt solvenda propter eamdem causam. Occasione missionis in possessionem tituli cardinalitii, beatificationis vel canonizationis, aut pallii accepti, iis etiam fiunt largitiones.

Demum commemorandæ sunt *taxæ quarumdam dispensationum* (1).

II. — De juribus S. Pontificis in singulos episcopatus.

Hæc jura respiciunt vel singulas diœceses, vel singulos Episcopos.

1. — *Jura S. Pontificis in singulas diœceses.*

323. Hæc jura reducuntur ad erectionem et immutationem diœcesium seu episcopatuum.

I. *Jus erigendi diœceses.* — Quod ad hanc erectionem attinet, dicendum est 1° in quo consistat; — 2° eam esse causam ecclesiasticam, non vero civilem; — 3° eam ad S. Pontificem jure primatus pertinere; — 4° variam fuisse disciplinam.

1° *Quid sit episcopatuum erectio.* — Novi episcopatus eriguntur per cathedræ episcopalis institutionem, et per territorii seu diœcesis circumscriptionem; videlicet, in loco apto ad custodiam gregis, a quo episcopatus (etymologice *inspectio*) nomen accepit, et unde Episcopus totam diœcesim regit, episcopalis cathedra constituitur, eique certum territorium adjungitur, suis finibus circumscriptum (2). Per hanc territorii diœcesani designationem atque circumscriptionem, determinatur Episcopi jurisdictio, quæ non exercetur universaliter, sed alligatur ad certam Ecclesiæ catholicæ partem, et intra fines diœcesis continetur. — Hanc regulam ab ipsis Apostolis accepit Ecclesia; Apostoli enim in fundandis Ecclesiis potestatem episcoporum certis locorum limitibus coercebant. Sic S. Paulus Timotheum Ephesi, Titum vero insulæ Cretæ constituit Episcopum; atque ita jugiter factum est (3).

2° Jus erigendi episcopatus esse *ecclesiasticum*, non vero civile, constat ex natura rei, quæ tota spiritualis est, ideoque potestati solius Ecclesiæ obnoxia; agitur enim de spirituali regimine animarum, seu de portione gregis Christi singulis Episcopis assignanda. Idem confirmatur tum praxi Apostolorum, tum SS. Pontificum et Conciliorum decretis, tum perpetua et generali Ecclesiæ disciplina.

(1) Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiæ disciplina*, lib. III, part. III. — (2) Ex antiquis canonibus, non nisi in majoribus civitatibus erigendi sunt Episcopatus, ne vilescat dignitas episcopalis. — (3) S. Cyprianus præclare scripsit (lib. *de Unitate Ecclesiæ*) : « Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet. »

Igitur, in episcopatuum erectione principes christiani non interveniunt, nisi propter Ecclesiæ utilitatem et ex illius concessione.

3° Erectio episcopatuum ad S. Pontificem pertinet *jure Primatus*. Ratio est, quia Christus instituit episcopatum in genere, non autem singulos episcopatus. Constitutio sedium episcopalium pertinet ergo ad Christi vicarium, Romanum Pontificem, qui solus jure proprio et divino potest episcopos instituere, et eis certam portionem gregis Christi regendam assignare, vi primatus apostolici.

Equidem non solum S. Petrus, sed etiam cæteri Apostoli potuerunt ubique episcopatus erigere. Verum hæc facultas in his *extraordinaria* fuit, quæ unitatis causa non debuit in singulos Episcopos eorum successores transire. In Petro autem, cujus auctoritas suprema ob ipsius unitatis bonum debebat esse perpetua, jus *ordinarium* erat, et in successoribus ejus ordinarium agnoscitur; unde sedes eorum, Romæ constituta, sola dicitur *Apostolica*.

4° Quod attinet ad istius juris exercitium, *varia fuit Ecclesiæ disciplina*, atque triplex præcipue viguit; alia enim fuit ab initio Ecclesiæ ad sæculum VI, alia sæculis VI, VII et VIII, alia denique a sæculo VIII ad nostra tempora.

Ante sæculum VI, non semper accedebat S. Pontificis expressus consensus in erectione novorum episcopatuum (1). Liberum erat Conciliis ac metropolitis novos episcopatus erigere, dummodo servarentur leges ea de re latæ. *In Oriente*, tota cura erigendi diœceses Patriarchis et Metropolitis concredita fuit; sed gradus Patriarcharum et Metropolitarum a Summo Pontificatu dimanabant. — *In Occidente*, non a solis Metropolitis et Conciliis provincialibus constituebantur sedes episcopales; plerumque enim Pontifices Romani Episcopos a se ordinatos ad barbaras gentes destinarunt, et Ecclesias a viris Apostolicis erectas approbarunt. In eo sensu explicatur S. Innocentii I epistola (2).

Sæculis vero VI, VII et VIII, non amplius Metropolitis et Conciliis provincialibus integrum fuit, ut antea, episcopatus erigere, nisi simul auctoritas Romani Pontificis intercederet. Pluribus autem ex causis, Romani Pontificis auctoritas exigebatur; erant quippe *missiones promovendæ*, et apud eas novi episcopatus erigendi; *instituendæ provinciæ*, quibus novæ diœceses aggregarentur; *lites* de finibus Ecclesiarum dirimendæ; in constituendis Ecclesiis, aliqua *dispensatio* a regulis canonicis concedenda.

A sæculo VIII, potestas erigendi episcopatus sensim a S. Pontifice solo exerceri cœpit; sed S. Pontifex nihil alienum accepit, quia hæc potestas pertinet ad Primatum ipsi a Christo collatum. Profecto aliud est usus juris, aliud jus ipsum; et potestatis usus, qui solus delegari potuit, pariter potuit revocari. Unde Pius VI ait : « Hæc potestas, illuc reversa unde discesserat, unice residet apud Apostolicam Sedem » (3).

(1) Thomassinus, *De nova et veteri Ecclesiæ disciplina*, part. I, lib. I, cap. LIV. — (2) Innocentii I epistola XXV : « Cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes. » — (3) Pius VI, const. *Charitas*, ann. 1791.

Novæ erectioni suppar est *restitutio sedium* quomodocumque extinctarum, v. g. Carthaginensis, a Leone XIII; vel hierarchiæ ordinariorum Episcoporum institutio. Etenim orbis catholicus distinguitur in *Missionum regiones*, quibus præsunt Vicarii et Præfecti Apostolici, et in diœceses *regimini ordinario Episcoporum* subditas. Jamvero, ex regula generali quæ ad constitutionem societatis catholicæ pertinet, Episcopis ordinarie committuntur singulæ Ecclesiæ. Proinde S. Pontifex potest, data opportunitate, in terris missionum hierarchiam ordinariorum Episcoporum instaurare vel primum statuere (1).

324. — II. Cum jure diœceses erigendi, connexa est *facultas inducendi varias mutationes in statu diœcesium.*

1. Provinciæ ecclesiasticæ, scilicet divisiones metropolitanæ, primatiales et patriarcales, aliæ aliis subjectæ, fuerunt institutæ ut in unitate diœceses continerent; siquidem iis provinciis præficiuntur Metropolitæ, Primates et Patriarchæ, quorum gradus supraepiscopales S. Pontificem tanquam centrum unitatis repræsentant.

A Summo Pontificatu pendet ista *distributio* provinciarum ecclesiasticarum. Etenim, cum R. Pontifex solus Episcopis præsit jure divino, institutio hujusmodi graduum supraepiscopalium et provinciarum ipsis subjectarum est mere disciplinaris; et profecta est ab auctoritate apostolica S. Petri et SS. Pontificum, ejus successorum (2).

2. S. Pontifex, sicut episcopatus erigit, ita etiam eos *supprimit, conjungit, dividit;* etenim « omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » (Reg. 1 juris, ad calcem libri V *Decretalium.*)

Non fit *suppressio,* nisi ob gravissimas causas, de quibus S. Pontifex judicat. Sic in pœnam atrocis sceleris aliqua episcopalis cathedra supprimitur, et illius diœcesis cum territorio alterius conjungitur, planeque confunditur; quæ suppressio dicitur *unio per confusionem.*

Fit unio per *æqualitatem*, quando duæ diœceses ita conjunguntur, ut earum quælibet ab eodem Episcopo regatur, salvis singularum Ecclesiarum juribus, v. g. Carthaginensis et Algeriensis, in Africa (1882).

Dividuntur episcopatus ampliores propter necessitatem aut notabilem utilitatem, scilicet, ut saluti animarum facilius consulatur.

3. Eodem jure potest S. Pontifex diœceses novis limitibus *circumscribere*, quinimo regni alicujus episcopatus cum eorum privilegiis, legibus et finibus, omnino *supprimere*, aliosque cum nova circumscriptione *erigere* (3).

(1) Pii IX const. *Universalis*, anno 1850 : « De plenitudine apostolicæ nostræ potestatis constituimus atque decernimus, ut in regno Angliæ refloreat juxta communes Ecclesiæ regulas hierarchia Ordinariorum Episcoporum. » — Idem in regno Bataviæ, anno 1853, perfectum est, et in Australia. — Leo XIII idem in Scotia anno 1878, in Indiis anno 1886, in Japonia anno 1891, et in Ægypto pro Coptis anno 1895, peregit. — (2) S. Bernardus, Epist. 131 : « Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est... Potest, si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus ubi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit. » — S. Gregorius M., lib. VII, Ep. 40. — Decret. Gratiani, p. I, c. *Omnes*, 1, dist. 22. — Eugenius IV, const. *Non mediocri*, ait : « Omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales cathedras, aliasque dignitates, romana fundavit Ecclesia, sicutque libuit, uni Ecclesiæ amplam, alii ampliorem, et alii amplissimam tradidit potestatem. » — (3) Id in Gallia per Concordatum, ann. 1801, perfectum est.

Hos actus etiam sine consensu Episcoporum quorum interest, perficere valet, etsi eosdem vocare et sententiam eorum exquirere non prætermittat.

2. — *Jura S. Pontificis in singulos Episcopos.*

Hæc jura respiciunt institutionem et amotionem Episcoporum, etiam titularium et coadjutorum.

325. — I. *Jus instituendi Episcopos.* — Expenditur tum ipsum jus, tum illius exercitium.

1. Ad *juris* existentiam quod spectat, Episcopos S. Pontificis auctoritate immediata vel mediata, explicita vel implicita, recte institui constat ex hac definitione concilii Tridentini (sess. XXIII, c. VIII) : « Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum ; anathema sit. » Ille canon est dogmaticus, et generalis quoad loca et tempora. Igitur Romani Pontificis propria est summa potestas constituendi ubique Episcopos, qui legitimi ac veri sint et haberi debeant.

Hæc veritas confirmatur hac altera ejusdem Concilii definitione (can. VII, sess. XXIII) : « Si quis dixerit... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate *rite ordinati*, *nec missi sunt*, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros ; anathema sit. » Igitur Episcopi non ex sola ordinatione facultatem exercendi munera dignitatis episcopalis consequuntur ; sed insuper eis necessaria est legitima missio, per quam obtineant jurisdictionem. Atqui potestas tribuendi missionem ad Romanum Pontificem tantum jure divino pertinet, eo quod solus est S. Petri successor et apostolicæ potestatis hæres.

Præterea, suffragatur ratio theologica. In omni societate bene ordinata, munus constituendi magistratus qui provincias administrent, pertinet ad eum qui toti societati præest. Atqui ex institutione divina Romanus Pontifex est caput totius Ecclesiæ. Ergo institutio Episcoporum qui singulas diœceses gubernent, ad S. Pontificem pertinet ; qui proinde « muneris sui officio debet idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficere. » (*Concil. Trid.*, sess. XXIV, cap. I.) Et ea quidem potestas propria est solius Romani Pontificis, siquidem « ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo *plenam potestatem* traditam esse » definivit Concilium Florentinum.

2. *Exercitium juris instituendi Episcopos expenditur.* — Tria requiruntur ad legitimam Episcoporum institutionem, scilicet : *electio* personæ ; *confirmatio*, per quam electus consequitur missionem ; et *consecratio*, qua potestas ordinis episcopalis confertur. — Equidem olim SS. Pontifices non semper immediate exercebant potestatem confirmandi Episcopos ; nam primis Ecclesiæ sæculis, quibus electi Episcopi plerumque statim consecrabantur, ex jure communi confirmatio a superiore immediato erat impetranda, id est, Episcopus a Metropolita, Archiepiscopus a Primate vel Patriarcha, et iste a Pontifice Romano confirmabatur.

Verum in gravem errorem lapsi sunt auctores *constitutionis civilis cleri gallicani*, dum contenderunt Episcopos sine ullo consensu S. Pontificis, juxta disciplinam antiquam, institui posse. Etenim 1° potestas Metropolitarum, Primatum et Patriarcharum, profecta est a Summo Pontificatu, qui solus jure divino Episcopis præest. — 2° Romanus Pontifex regulas confirmationis Episcoporum sanciebat, exsurgentes difficultates dirimebat, et sæpe interveniebat directe in institutione Episcoporum, præsertim quando erigebantur novæ diœceses, vel fiebant translationes ab una sede ad aliam, aut depositiones. — 3° Episcopi jam consecrati, nisi acciperent a Sede Apostolica *litteras formatas* seu communionis episcopalis, jurisdictionem amittebant. Igitur errori non favet vetus disciplina.

Quapropter jure suo usi sunt Romani Pontifices, cum decreverunt sibi *reservatam* fore institutionem omnium Episcoporum. Etenim non potuerunt Patriarchæ, Primates et Metropolitæ, jus creandi Episcopos præscriptione sibi acquirere, neque SS. Pontifices eodem se abdicare, quia jus divinum ab hominibus immutari nequit.

326. — II. *Translatio, renuntiatio* et *depositio Episcoporum* (1). — Aliquando necessarium est Episcopum removere, sive eum ad aliam sedem transferendo, sive illius renuntiationem admittendo, sive indignum deponendo. Est itaque in Ecclesia potestas auferendi missionem episcopalem, quæ necessario pertinet ad illum cujus est Episcopos instituere; inferior enim mutare nequit quod statuit superior. Jamvero, cum S. Pontifex, vi primatus, solus jure divino possit Episcopos instituere, inde sequitur translationem, cessionis acceptationem et depositionem Episcoporum, exclusive ad Romanum Pontificem eodem jure spectare.

De translationibus, renuntiationibus et depositionibus in genere disseritur in tractatu *De Beneficiis;* hic vero de iisdem quoad solos Episcopos breviter agitur.

1. *Translatio* est Episcopi ab una sede ad aliam mutatio, ita ut solvatur prius vinculum et novum inducatur. Fit auctoritate S. Pontificis, qui consensum Episcopi transferendi exspectat, nisi aliud postulet necessitas. — Translationes quasi spirituale adulterium improbantur et prohibentur ab antiquis canonibus; sed subintelligitur : *nisi adsint justæ causæ vel utilitas Ecclesiarum.* A pluribus sæculis temperata est illa disciplina, et translationes multo frequentius quam olim contingunt.

2. *Renuntiatio*, quæ dicitur etiam *resignatio* et *demissio*, definitur : *Dignitatis episcopalis abdicatio, acceptante R. Pontifice, sponte et legitime facta.* Dicitur 1° *sponte facta;* voluntas enim renuntiantis est causa vacationis beneficii. — 2° *Acceptante R. Pontifice;* nam Episcopus non potest solus solvere vinculum, et contractum quo diœcesi suæ alligatur; sed, sicut a Romano Pontifice institutus est, ita solvi debet ab eo per resignationis acceptationem. — 3° *Legitime facta.* Resignationes episcopatuum

(1) Innocentius III, cap. II, *de Translatione Episcoporum*, sic loquitur : « Non humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis Episcopus ab Ecclesia removetur. Tria hæc, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata. »

non admittuntur, nisi ob causam canonicam. Porro resignandi causæ in Decretalibus admissæ (1) reducuntur ad unam : « Liceat Episcopo Ecclesiam dimittere, cum clare pateat ipsum concreditæ sibi plebis saluti prodesse amplius non posse. » (Benedictus XIV, de *Synodo diœc.*, lib. XIII, c. XVI, n. 3.)

3. *Depositio* est actus superioris, quo in pœnam criminis Episcopus suo munere in perpetuum privatur. Romanus Pontifex jure divino est ordinarius judex Episcoporum; unde, quamvis antiquitus Episcoporum causæ in Conciliis provincialibus judicari consueverint, nunquam tamen definitiva fuit alicujus Episcopi depositio, nisi sententiam confirmasset R. Pontifex. — Nunc, ex decreto Conc. Tridentini, causæ criminales graviores contra Episcopos sunt S. Sedi reservatæ, et minores tantum a concilio provinciali cognosci possunt (2). Porro nonnisi graviora crimina puniuntur depositione.

327. — III. *Potestas destituendi Episcopos invitos.* — Si ejusmodi sint temporum circumstantiæ, ut pax et bonum diœcesis periclitetur, nisi Episcopus loco cesserit, v. g. si, propter ortas perturbationes, jam nequeat ipse diœcesim suam regere, neque affulgeat ulla spes animos componendi, Episcopus debet episcopatum sponte dimittere; nam bonum publicum Ecclesiæ privato Episcopi bono præferendum est.

Si vero Episcopus, nullius culpæ reus, episcopatum dimittere renuat, S. Pontifex potest ipsum invitum destituere ob publicam causam. Hoc constat ex verbis Concilii Tridentini de auctoritate qua Romanus Pontifex idoneos Episcopos ecclesiis præficere debet (3); nimirum, ubi Episcopus diœcesi suæ inutilis removetur, illius successor legitime instituitur, siquidem de fide est Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur esse legitimos.

Præterea, certum est S. Pontificem divino jure nihil non posse, quod ad Ecclesiæ unitatem servandam vel restituendam ipse judicet conducere. Igitur præditus est potestate destituendi Episcopos invitos, si ita fieri expediat ad pacem ecclesiarum et salutem animarum.

Objicientibus injustum videri quod pœna afficiatur Episcopus qui non deliquit, opponitur hæc regula juris (23, in 6) : *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, et auctoritas S. Thomæ (4). Ergo, si causa subsit, Episcopus etiam sine culpa poterit invitus destitui, quia ipsius utilitati multum præstat Ecclesiæ utilitas, propter quam S. Pontifex non quidem illum deponit velut criminosum, sed renuntiationem supplet.

328. — IV. *Jus constituendi Episcopos titulares et coadjutores.* —

(1) Innocentius III, in cap. X, *de Renuntiatione.* — Causæ resignandi sunt corporis debilitas, imperitia, conscientia criminis, irregularitas, malitia plebis. — (2) Conc. Trid. sess. XXIV, c. 5, *de Reform.* — Ibidem, sess. XXIII, cap. VIII. — (3) Sess. XXIV, *de Reform.*, cap. 1. — (4) S. Thomas (2^a-$2^{æ}$, q. 108, art. 4) : « Pœna dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum rationem pœnæ, et secundum hoc pœna non debetur nisi peccato, quia per pœnam reparatur æqualitas justitiæ. Alio modo potest considerari pœna in quantum est medicina, non solum sanativa peccati, sed etiam promotiva in aliquod bonum. Et secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa. »

1. *Episcopi titulares*, licet rite consecrati, propriam diœcesim non habent, et jurisdictione privantur ; sunt tamen insigniti *titulo* alicujus ex Ecclesiis quæ sub jugo infidelium gemunt; quod factum est ne memoria antiquæ dignitatis earum penitus periret. Exinde vocabantur etiam Episcopi *in partibus infidelium ;* sed hanc appellationem sustulit Leo XIII.

Episcopi titulares non sunt contemnendi velut inutiles ; nam SS. Pontifices opera eorum utuntur in muneribus quæ decentius Episcopo quam presbytero committuntur, v. g. in Legationibus et Nunciaturis. — Præterea, tanquam adjutores dantur Episcopis qui nequeunt omnia sua munera explere. Quamvis hujusmodi *Suffraganei* seu *Vicarii in pontificalibus* ad ordinis ministeria assumantur, nihil obstat quominus constituantur in Vicarios generales.

2. *Coadjutores.* — Episcopos senio vel adversa valetudine confectos amovere inhumanum videtur ; nam *afflicto non est addenda afflictio* (1). Quapropter a prioribus sæculis Ecclesia consuevit deputare coadjutores qui impedito antistiti subsidium præstent. Illustre est exemplum S. Augustini, qui Valerii vicem sustinuit.

Sunt coadjutores duplicis generis : alii enim constituuntur *ad tempus*, scilicet, quamdiu Episcopus coadjutus vixerit ; alii vero sunt *perpetui*, qui, mortuo Episcopo, in ejus locum succedunt. Utrique episcopali charactere insigniuntur, et a Romano Pontifice instituuntur, illis assignato titulo cujusdam Ecclesiæ ab infidelibus occupatæ, ne duo Episcopi videantur eamdem sedem occupare.

Coadjutor ad tempus dicitur *suffraganeus*, eo quod Episcopo, cujus diœcesis late patet, auxilium præstat seu *suffragatur*, præsertim in functionibus sacris.

Coadjutoriam perpetuam, qua confertur *jus futuræ successionis*, Concilium Tridentinum in aliis beneficiis abrogavit, in Ecclesiis vero cathedralibus permisit, modo electus in coadjutorem a R. Pontifice cognoscatur præditus omnibus dotibus quæ a jure requiruntur in Episcopis (2).

Coadjutoris munus complectitur ea quibus Episcopus impar est. Si datus sit Episcopo amenti, plenam habet potestatem administrandæ diœcesis ; si vero rationis compoti datus sit, non potest se immiscere in negotiis quæ adjutus vult per se expedire.

ARTICULUS II

DE PERSONA SUMMI PONTIFICIS

De tribus agemus : — 1. De electione Summi Pontificis; — 2. de illius prærogativis ; — 3. de amissione summi Pontificatus.

§ 1. — *De R. Pontificis electione.*

Dicemus : — 1. De potestate R. Pontificis circa electionem sui successoris ; — 2. de electoribus R. Pontificis ; — 3. de ritu electionis.

(1) Innocentius III, cap. v, *de Clerico ægrotante*, lib. III, tit. VI decretalium. — (2) Conc. Trid., sess. XXV, cap. VII, *de Reform.*

I. — De potestate R. Pontificis circa electionem sui successoris (1).

329. — I. *Ad R. Pontificem spectat jus determinandi formam hujus electionis.* — Probatur 1° *praxi Ecclesiæ*. Quamvis lateant statuta quibus priores Romani Pontifices ordinaverunt modum in hac electione adhibendum, habemus tamen certam rei notitiam in subsequentibus Pontificibus, quorum decreta electionem a multis sæculis moderantur, et tantæ sunt auctoritatis, ut contra ea facta electio sit eo ipso irrita.

Probatur 2° *ratione theologica*. Christus formam istius electionis non determinavit, sed ab Ecclesia determinandam reliquit. Proinde dicendum est hanc potestatem in Pontifice Romano residere; cum enim ipsi collata fuerit plena potestas regendi Ecclesiam, ad illum spectant causæ majores, inter quas jus statuendi formam in electione S. Pontificis adhibendam certe numeranda est, siquidem curam universalis Ecclesiæ respicit.

330. — II. *An R. Pontifex possit ipse sibi successorem substituere vel eligere*, controvertitur. Affirmat prima sententia, secunda negat, tertia distinguit.

1. Aliqui putant id fieri posse, et revera factum esse. — Verum in annalibus Ecclesiæ nullum occurrit certum exemplum ullius S. Pontificis qui sibi successorem elegerit; et facta objecta videntur non fuisse electiones successorum, sed designationes eligendorum. SS. Pontifices enim, a Cardinalibus rogati, pluries indicaverunt quem judicarent dignum cathedra B. Petri, salvis tamen liberis eligentium suffragiis; ideoque nullus ex designatis se gessit ut Papam, nisi post subsecutam electionem. Porro aliud est cum fratribus deliberare de eligendo, aliud dignitatis hæredem sibi substituere.

2. Secunda sententia asserit non solum jure canonico, sed etiam jure divino prohibitum esse S. Pontifici suum successorem eligere, et irritam fore ab eo factam electionem. — Sic probatur : 1° Electio proprie dicta semper fuit a S. Petro usque ad nos modus creandi S. Pontificem; atqui praxis uniformis et constans videtur argumentum institutionis divinæ. — 2° Jus quod S. Pontifici tribueretur sibi substituendi successorem, in perniciem Ecclesiæ facile cederet; et ideo novus Pontifex semper assumi debet per electionem. Ita *Baronius*, *Pirhing*, *Fagnanus*.

3. *Suarez* conciliationem utriusque opinionis sic proponit : « Si Papa tentaret substitutionem tanquam eligendi modum ordinarium, non valeret istud decretum, propter periculum inde secuturum. Attamen, si in casu raro, urgente aperta Ecclesiæ necessitate, id faceret, legitima uteretur potestate, ut arbitror » (*de Fide*, disp. x). Ratio est, quia pertinet ad S. Pontificem potestas ordinandi formam electionis, justam tamen et utilem Ecclesiæ; quam potestatem non restringit nec jus divinum positivum, de quo non constat an obstet prædictæ substitutioni; neque jus naturale, cum supponatur abesse periculum et adesse causam sic agendi.

(1) Gonzalez, Pirhing, Schmalzgrueber, *ad Decretalium* lib. I, tit. VI, *de Electione*. — Ferraris, *Prompta Bibliotheca*, t. VI.

II. — De electoribus R. Pontificis.

331. — I. Ratio eligendi S. Pontificem varia fuit pro vicibus temporum. Quatuor ætates distinguendæ sunt.

1° *A B. Petro usque ad S. Simplicium* (467). — Primis Ecclesiæ sæculis, Romani Pontifices electi fuerunt cleri Ecclesiæ Romanæ suffragio, populo præsente ac testimonium dicente.

2° *A sæculo* v° *ad* viii^m^. — Ad tumultus præcavendos aut sedandos et schisma vitandum, principes suam auctoritatem electioni interposuerunt. Ita se gessit Valentinianus erga S. Damasum, et Honorius erga S. Bonifacium. Verum illa potestatis civilis immixtio, quæ primum fuit opportuna, siquidem sanciebat electiones rite factas, mox vitiata est ab ipsis principibus, qui præsidium verterunt in dominationem. Sic Odoacer, Theodoricus, imperator Justinianus ejusque successores sibi usurparunt jus confirmandi electionem S. Pontificis. Clerus romanus initio huic invasioni restitit; deinde vero, vitandi schismatis gratia, voluntati Cæsarum se accommodavit.

3° *A S. Zacharia* (741) *ad Nicolaum II* (1053). — SS. Pontifices, faventibus regibus Francorum, ab obtinendæ confirmationis servitute se vindicarunt. Equidem Adrianus Carolo Magno et pseudopontifex Leo VIII Othoni I privilegium eligendi S. Pontificis concessisse dicuntur apud Gratianum; sed utrumque canonem, quem Gratianus leviter collegit, a schismaticis in gratiam imperatoris Henrici IV fictum esse demonstrat Baronius (ad annos 774 et 964); nam iste et plures alii imperatores Germani sibi vindicarunt privilegium confirmandi electionem SS. Pontificum, qui tantæ usurpationi non semper aperte obsistere potuerunt.

4° *A sæculo* xi° *ad nostram ætatem*. — Ut populi seditionibus et principum violentiis finem imponeret, Nicolaus II in Concilio romano dedit Cardinalibus Episcopis principalem potestatem eligendi R. Pontificis, sic tamen ut reliqui Cardinales, clerus et populus electioni consentirent.

Denique Alexander III, ad efficacius in posterum prævenienda schismata, in Concilio Lateranensi III (1179) devolvit integram electionem ad Sacrum Cardinalium Collegium, sanxitque (1) ut ille sine ulla controversia Pontifex haberetur, in quem *duæ ex tribus partes* Cardinalium præsentium consensissent, excluso cleri et populi consensu. Iste modus eligendi, sæpe confirmatus, hucusque servatur.

332. — II. Electio R. Pontificis per solos Cardinales admodum est *conveniens* (2). Etenim 1° Nulli melius judicare possunt qualis esse debeat eligendus, quam SS. Pontificum consiliarii et adjutores, qui statum Ecclesiæ perspectum habent. Atqui tales sunt Cardinales. — 2° Teste experientia, præter formam electionis ab Alexandro III inductam, nulla potuit diu vigere et dissidiorum causas removere, dum pauciora schismata in electionibus orta sunt, ex quo populi consensus et imperialis interventus feliciter ab eis seclusi sunt.

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. II. — (2) Cap. *Licet*, VI, *de Electione*.

III. — De ritu electionis pontificiæ (1).

333. — Tum ne diuturnæ vacationis incommodis Ecclesia premeretur, tum ut electio libere et recte fieret, SS. Pontifices multa sapienter statuerunt de electionis *impedimentis*, *præparatione*, *modo* et *conclusione*. — Electio autem accurate describitur in libro cui titulus : *Cæremoniale romanæ Ecclesiæ*, ubi etiam habentur constitutiones electionem spectantes,quas Cardinales, locum electionis ingressi, se diligenter servaturos juramento promittunt.

I. *Electionis impedimenta*. — *Electores* repelli nequeunt sub prætextu alicujus censuræ.

Generaliter quidem decet et expedit ut e gremio suo R. Pontificem Cardinales eligant; attamen in *eligendo* non requiritur cardinalatus, neque certus ordo, neque determinata ætas; proinde laicus eligi potest. Solum obstant impedimenta juris divini, v. g. gravis metus injustus, infantia, amentia, hæresis, simonia.

Guberniis Galliæ, Austriæ et Hispaniæ, permittitur ut per Cardinalem ad hoc deputatum unam personam minus gratam *excludant*. Hanc denuntiationem, quæ dicitur *exclusiva*, Cardinales admittunt, ne oriantur dissidia inter Sedem Apostolicam et primarias nationes catholicas.

II. *Præparatio*. — Per novem dies regulariter exspectantur quamprimum moniti Cardinales absentes, funera mortui Pontificis persolvuntur, et in palatio apostolico adornatur *conclave*, nullo intermedio pariete distinctum et undique clausum, excepta fenestella ad accipiendum cibum in dies parciorem. Decima die, Cardinales ad clausuram conclavis solemni ritu procedunt.

III. *Modus adhibendus*. — Tribus modis electio perfici potest, juxta regulas generales de electionibus solemnibus, videlicet per *inspirationem*, vel per *compromissum*, vel per *scrutinium*.

Electio fit per *inspirationem* aut *quasi inspirationem*, cum electores omnes, quasi divino spiritu afflati, in eum uno corde et ore consentiunt, de quo antea vix cogitaverant.

Fit per *compromissum*, quando, perseverante suffragiorum divisione, Cardinales, nemine dissentiente, potestatem eligendi vice omnium uni vel pluribus committunt.

Solet autem electio fieri per secretam suffragiorum collectionem seu *scrutinium*, in quo etiam *accessus* adhibetur. Nimirum si, publicato scrutinio, duæ ex tribus eligentium partes in neminem conveniant, proceditur eadem die ad accessum, quo novum suffragium alteri jam nominato conferre possunt Cardinales, seu ei *accedere*. Sic quotidie proceditur, donec numerus requisitus suffragiorum in eumdem conveniat.

IV. *Electionis conclusio*. — Peracta electione, petitur electi consensus ;

(1) Constitutiones Greg. X, qui in Concilio Lugdunensi II disciplinam *conclavis* instituit. — Clemens V, in Concilio Viennensi. — Clemens VI, *Licet in constitutione*. — Pius IV, *In eligendis*. — Greg. XV, *Æterni Patris, Decet*. — Urbanus VIII, *Ad Romani Pontificis*. — Clemens XII, *Apostolatus officium*.

quo præstito, ipse, sine ulla confirmatione, cum desit in terris superior, efficitur Christi Vicarius, et plenitudinem potestatis a Deo immediate consequitur. Pontifex sibi nomen imponit, salutatur a Cardinalibus, et electio illius populo annuntiatur.

Sequitur *consecratio* electi, si nondum sit Episcopus, *coronatio*, et subinde *possessionis occupatio* in Ecclesia Lateranensi.

Sub pœna censurarum severissime prohibetur ne, vivente R. Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo vel excludendo tractetur (1).

§ 2. — *De prærogativis R. Pontificis.*

Inter prærogativas R. Pontificis recensentur : 1. Illius jura honorifica; 2. Variæ dignitates ; — 3. Potestas temporalis in Ditionem ecclesiasticam.

I. — Jura honorifica R. Pontificis (2).

334. — Catholici merito R. Pontificem honoribus afficiunt; nam Ecclesia ipsos laicos, sed præcipue clericos, sacerdotes et Episcopos, juxta gradum suum variis modis veneratur. Cum R. Pontifex sit caput Ecclesiæ, profecto ad eum pertinet primatus honoris, et singularibus prærogativis honorificis jure splendet ipsius dignitas, scilicet *titulis*, *insignibus* et *ritibus*, quibus reverentia ei exhibetur.

I. *Tituli*. — Præter nomen *Summi Pontificis*, titulus *Papæ*, primum Episcopis communis, ad ipsum exclusive transiit; quæ vox caritatis est, et apud Græcos et Latinos patrem significat. Quatenus vices gerens Jesu Christi, capitis invisibilis et pastoris totius Ecclesiæ, nuncupatur *Vicarius Christi*. Tandem ab alloquentibus appellatur *Sanctitas* et *Beatitudo*, propter eminentiam Sedis Apostolicæ.

S. Pontifex ipse in solemnioribus litteris apostolicis se dicit *servum servorum Dei*, propter officium et humilitatem.

II. *Insignia*. — *Tiara*, tribus circumdata coronis, est symbolum triplicis potestatis R. Pontificis, scilicet, paternæ in omnes christianos, pontificiæ seu ministerialis in omnia sacra, et temporalis in Ditionem ecclesiasticam.

Pallium, ex lana confectum, quo Romanus Pontifex semper et ubique in officiis divinis utitur, plenitudinem officii pastoralis significat.

Papa non gestat baculum episcopalem, cujus forma videtur auctoritatem participatam exprimere; sed ei præfertur pedum rectum, nempe *crux*, Christi morientis et regnantis vexillum.

III. *Ritus* quibus reverentia S. Pontifici exhiberi solet. — 1. Ipsius nomen Deo in *orationibus* publicis commendatur. — 2. *Osculantur* fideles crucem super sandalia illius impressam : dignitas quidem osculum pedis permittit, hominis vero humilitas hunc honorem ad Christum per crucem

(1) Cf. Inst. mor. Alph., n. 1312, 3°. — (2) Phillips, *Manuale juris ecclesiastici*, § 102. — Thomassinus *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II.

refert. — Beatissimus Pater *benedicit Urbi et Orbi*, id est, Romæ et universo mundo; omnesque chistiani devote suscipiunt benedictionem apostolicam.

II. — Variæ dignitates Summi Pontificis.

335. — Præter Primatum apostolicum in universam Ecclesiam, aliæ dignitates concurrunt in Summo Pontifice. Ipse enim est : — 1° *Patriarcha Occidentis*, quatenus in Occidente exercet jura patriarchalia, quæ in Oriente pluribus patriarchis commisit;—2° *Primas Italiæ*, quatenus in Italia obtinet gradum quem in reliquis nationibus Primates adepti sunt: — 3° *Metropolita* provinciæ Romanæ, ad quam pertinent : 1. Episcopi qui inter Capuanam Pisanamque provinciam sedent, ac nulli Archiepiscopo subjecti sunt; 2. omnes Archiepiscopi qui suffraganeos non habent, necnon omnes Episcopi exempti et abbates *nullius diœcesis*, jurisdictione quasi-episcopali præditi; — 4° *Episcopus urbis Romæ* ubi a B. Petro constituta est Sedes apostolica; sed ejus nomine diœcesim romanam administrat Cardinalis Vicarius.

III. — Potestas temporalis R. Pontificis.

Non prætereunda est potestas temporalis quam R. Pontifex hactenus habuit in Ditionem ecclesiasticam more principum. — Jamvero, quæcumque ad hunc civilem principatum referuntur, respiciunt : — 1° illius honestatem; — 2° legitimos titulos quibus innititur; — 3° illius convenientiam et inviolabilitatem.

1. — *Honestas potestatis temporalis.*

336. — Hæc honestas consistit in eo quod temporalis potestas R. Pontificum juri divino *naturali* vel *positivo* non adversetur.

I. Nulli principio juris naturalis repugnat quod R. Pontifex sit etiam princeps politicus. Etenim ambæ potestates sunt a Deo; ergo non pugnant inter se, et simul in eodem esse possunt.

II. Neque id Evangelio prohibetur. Equidem Christus, propter œconomiam operis Redemptionis, abstinuit ab exercitio potestatis temporalis. Sed ab illius exemplo nihil infertur, tum quia ea de re nihil præcepit, tum quia Ecclesia, quæ indefectibilis est, probavit regnum quod R. Pontifices a multis sæculis susceperunt, nec ullum ex eo detrimentum passa est.

Itaque merito Pius IX damnavit istam propositionem : « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii (1).»

2. — *Legitimi tituli potestatis temporalis.*

337. — Legitimi tituli quibus temporalis potestas R. Pontificis innititur,

(1) *Syllabus* complectens præcipuos nostræ ætatis errores, n. 75.

præter præscriptionem et contractus, desumuntur sive *ex gestis principum* erga Sanctam Sedem, sive *ex consensu populorum*, id est, ex omnium pietate in S. Petrum.

I. Ex gestis principum erga Sanctam Sedem, maxime Pipini, Caroli Magni et ducissæ Mathildis, historia probat jam a sæculo VIII° et deinceps temporalem potestatem R. Pontificis legitimam et independentem exstitisse.

II. Ex consensu populorum, ante principum donationes, SS. Pontifices jam obtinebant principatum. Nimirum hæc potestas, providente Deo præparata, ex beneficiis orta, sine usurpatione crescens, sponte populorum animis insedit, quando Roma et Italia, barbarorum incursionibus deprædatæ omnique alio præsidio destitutæ, Romanum Pontificem adeptæ sunt protectorem.

Inde infertur hujusmodi potestatem esse summo gradu legitimam, ita ut nemini detur potiora jura vindicare.

3. — *Convenientia et inviolabilitas potestatis temporalis.*

338. — I. Convenientia constat tum ratione, tum auctoritate :

1. *Ratione.* Ista potestas R. Pontificibus illam libertatem et indepentiam conciliat, quæ in exercendo primatu, seu in regenda Ecclesia et in sanciendis legibus necessaria est ; cui libertati locus vix esse potest, ubi caput et centrum Ecclesiæ imperio principis sæcularis subjicitur.

2. *Auctoritate SS. Pontificum et Episcoporum.* Pius IX sic proposuit doctrinam quam catholici omnes firmissime retinere debent, de civili R. Pontificis principatu :

« Singulari prorsus divinæ providentiæ consilio factum est, ut Romanus Pontifex civilem principatum hac sane de causa consequeretur, ut ad ipsam Ecclesiam regendam plena illa potiretur libertate, quæ ad supremi apostolici ministerii munus obeundum requiritur (1). »

Ab eodem Pontifice damnata est ista propositio : « Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret (2). »

Accedit Declaratio Episcoporum (9 junii 1862) : « Civilem Sanctæ Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus ; nec declarare dubitamus, in præsenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiæ animarumque regimine omnino requiri. »

II. Inviolabilitas hujus potestatis petitur ex fine spirituali ad quem proxime ordinatur, eamque strenue vindicavit Pius IX his verbis : « Officii nostri ratio postulat, ut in civili Apostolicæ Sedis principatu tuendo, jura possessionesque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque ejusdem Sedis libertatem, quæ cum totius Ecclesiæ libertate et utilitate est conjuncta, totis viribus defendamus (3). »

Nec aliter a sui Pontificatus initio locutus est Leo XIII, qui nullam

(1) Allocutio *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849. — (2) *Syllabus* n. 76. — Allocutio *Quibus quantisque*. — (3) Allocutio *Quibus quantisque*.

præterire sinit occasionem, ut erepti principatus exitiosa consectaria palam faciat.

§ 3. — *De amissione Summi Pontificatus.*

339. — Præter mortem, duobus modis jurisdictio regulariter amittitur, nempe libera voluntate illius possessoris, scilicet per *renuntiationem*, vel eo invito per *depositionem*. — An utroque modo summus Pontificatus amitti possit, expendendum est.

340. — 1. *Renuntiatio.* — Omnes dignitates sunt ordinarie resignabiles; nam generaliter quisque potest juri suo renuntiare. Olim tamen quæsitum fuit an Summus Pontifex se Primatu abdicare valeat. Dubitationi huic locus non est, ex quo S. Cœlestinus V statuto declaravit R. Pontificem posse libere resignare. Quod statutum ipse suo comprobavit exemplo, et Bonifacius VIII expressa constitutione confirmavit (1). Ratio est quia, sicut aliis Episcopis, propter salutem animæ suæ vel utilitatem Ecclesiæ, licitum est episcopatum dimittere, ita totius Ecclesiæ bonum potest talem renuntiationem Romano Pontifici suadere.

Non obstat quod renuntiatio acceptari debet a superiore, quem R. Pontifex non habet in terris; nam hæc regula principem supremum non respicit. Sicut ergo R. Pontifex sine superiore homine instituitur, ita etiam sine superiore papatui renunciat, vi potestatis a Deo acceptæ faciendi omnia quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem pertinent; et quemadmodum, electo consentiente, Summum Pontificatum Deus solus ei confert, ita renuntiationem illius ipse Deus acceptat, et ab ipso Papa potestatem pontificiam tollit (2).

341. — II. *Depositio.* — Quæritur an R. Pontifex ab Ecclesia per judicium deponi possit?

Triplex casus supponitur :

1. Pontifex incertus amoveri potest, juxta illud : *Papa dubius, Papa nullus;* nam Ecclesia utitur jure suo eligendi Pontificem certum. Attamen istud axioma intelligendum est de Pontifice qui nunquam habuit jus certum, neque est applicandum Magno Schismati (1378-1414), cui libera renuntiatio Pontificum contendentium finem imposuit.

2. Alter casus est *hæresis* in quam incidisset S. Pontifex, non ut Doctor Ecclesiæ, nam ut talis infallibilis est, sed *ut privatus*. Equidem dubitatur an possit etiam ut privatus incidere in hæresim proprie dictam. Concessa vero possibilitate hujus lapsus, cujus nullum hactenus occurrit exemplum, plerique contendunt illum jure divino esse privatum Pontificatu, nec amovendum ab Ecclesia per sententiam judiciariam, eo quod ille qui membrum Ecclesiæ jam non est, caput illius esse nequit (3).

3. Ob aliud crimen non posse Papam a S. Pontificatu excidere docet communis sententia.

Igitur in qualibet hypothesi applicandum est istud : « Non est nostrum judicare de Summo Pontifice (4). »

(1) *De Renuntiatione*, in VI. — (2) Pirhing, lib. I, tit. IX. — (3) S. Alph., lib I, 121; et lib. VII, 15. — (4) S. Ivo Carnutensis, ep. 57, 235.

CAPUT II

DE CURIA ROMANA (1)

342. — I. *Illius notio.* — Curia romana sumitur vel in sensu lato, vel in sensu stricto.

In sensu *lato*, nomine Curiæ romanæ venit complexus officiorum, congregationum et tribunalium, quibus Summus Pontifex in regimine sive totius Ecclesiæ, sive Ditionis ecclesiasticæ utitur.

In sensu *stricto*, Curia romana discernitur ab Aula romana (*Gouvernement pontifical*). Curia est in Ecclesia organum intermedium quo R. Pontifex utitur ad munus suum spirituale exequendum, dum Aula romana gubernat Ditionem ecclesiasticam seu statum temporalem pontificium.

343. — *Personæ* quibus Curia romana constituitur, sunt :

1. *Cardinales*, qui soli consistorium, et principaliter congregationes efficiunt.

2. *Prælati Curiæ romanæ*, qui vel in congregationibus romanis operam suam impendunt, vel singuli certa munia obeunt, v. g. Major Sacrista S. Pontificis. Ad prærogativas eorum illud imprimis pertinet, ut jurisdictionem nomine Summi Pontificis exercere valeant.

Duplex distinguitur prælatura : una quæ dicitur prælatura *justitiæ*, altera quæ dicitur prælatura *gratiæ*. Prior cum actuali servitio et cum officio conjuncta est, nec ad eam pervenitur, nisi servatis quibusdam conditionibus. Participant hujus generis prælaturam non solum *singuli* quamplures, v. g. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi Romæ residentes, etc., sed integra etiam *collegia*, inter quæ potissimum eminent *Auditores Rotæ* et *Protonotarii apostolici*.

Protonotarii originem ducunt a septem notariis primitus Romæ constitutis ad Acta martyrum scribenda ; qui, reddita Ecclesiæ pace, ad scribenda S. Pontificis acta et gesta retenti, et pluribus privilegiis ornati sunt. — Triplex discernitur eorum genus : 1. *Participantes* seu de *Collegio ;* 2. *Supernumerarii* seu ad *instar Participantium*, 3. *Honorarii*. — Nobilissimum est *collegium Participantium*, qui soli plenitudine jurium utilium et honorificorum hujus dignitatis fruuntur.—*Protonotarii ad instar* fere omnibus juribus honorificis Participantium gaudent, non vero emolumentis. — Minoribus autem privilegiis donantur *Honorarii*, licet in dignitate constituti habeantur.

Prælatura gratiæ a Summo Pontifice conceditur, tum iis qui se Curiæ romanæ addicunt, tum etiam exteris bene meritis Episcopis aliisque clericis, quos titulo vel *Episcopi solio pontificio assistentis*, vel *Prælati domestici* sive *Camerarii secreti* vel *Capellani Suæ Sanctitatis*, ideoque certis prærogativis insignitos sæpe conspicimus.

(1) Card. de Luca, *Relatio Curiæ romanæ*. — Bouix, *de Curia romana*. — Alexander VII, const. *Inter cæteras*. — Benedictus XIV, const. *Inter conspicuos*.

3. *Curiales* communi nomine appellantur illi, prædictis inferiores, qui in Curia vel stabiliter vel ad instantiam partium operam præstant.

Ad eos pertinent : *advocati* (inter quos eminet collegium advocatorum consistorialium), et *procuratores*, qui causas litigantium agunt; *expeditores* et *sollicitatores*, qui vel tribunalibus, vel advocatis et procuratoribus inserviunt; denique *agentes*, qui ad procuranda negotia curialia a partibus, et præsertim ab Episcopis deputantur.

His præmissis notionibus, consideranda sunt præcipua collegia quibus Curia romana constat. Unde dicendum : — 1. De collegio Cardinalium; — 2. De congregationibus romanis; — 3. De romanis tribunalibus.

ARTICULUS I

DE COLLEGIO CARDINALIUM

Distinctim exponenda venit : 1° illius notio; — 2° ejus auctoritas.

§ 1. — *Notio Cardinalium.*

Institutio Cardinalium duplici modo spectari potest, nempe in genere quoad ipsum *collegium*, et in specie quoad *personas* quibus constat.

1. *Origo cardinalatus* (1).

Distinguitur origo ipsius *officii*, et origo *nominis*.

344. — I. *Officii origo.* Cardinales originem ducunt *figuraliter* a septuaginta senibus in adjutorium Moysis a Deo deputatis (2); *exemplariter* ab Apostolis, qui fuerunt velut senatus Christi et B. Petri. Ipsum vero officium a R. Pontificibus institutum et determinatum est; nam S. Petrus, dispersis Apostolis, sibi in consiliarios et adjutores elegit viros prudentes, inter quos Linum, Cletum, Clementem. Exinde, romana Ecclesia senatum suum semper habuit.

« Cardinales, ait Sixtus V, tanquam nobilissima membra capiti propius cohærentia, S. Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli, semper assistunt, et primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, ut partita inter eos, aliosque Romanæ Curiæ magistratus, ingenti curarum negotiorumque mole, ipse tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice non succumbat (3). »

345. — II. *Origo nominis.* Cardinalium nomen antiquissimum est; Romanæ et reliquis Ecclesiis primum erat commune. Porro *cardo* proprie dicitur axis circa quem valvæ stabiliter volvuntur. Hinc analogice olim primarii clerici certæ ecclesiæ addicti seu *incardinati*, ut ei semper præessent aut servirent, Cardinales nominabantur, et sic distinguebantur

(1) Cohelli, *Notitia Cardinalatus.* — Ferraris, verbo *Cardinales.* — Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II. — Sixti V const. *Postquam.* — (2) *Numer.* XI, 16; *Exod.*, XVIII, 13-27. — (3) Const. *Immensa* (1588).

ab iis qui ecclesiæ tanquam adventitii vel auxiliares ad tempus ministrabant.

Omnes igitur ecclesiæ cathedrales suos habuerunt Cardinales, scilicet tum Episcopum, ordinarium diœcesis pastorem, tum presbyteros et diaconos, qui, conficientes presbyterium seu senatum cujus consiliis Episcopus in administratione utebatur, ecclesiæ cathedrali stabiliter addicti erant, et præcipuum locum obtinebant inter clericos.

Inde non est inferendum quod romanorum cæterorumque Cardinalium eadem dignitas fuerit. Etenim in singulis diœcesibus Cardinales erant primarii clerici, nempe parochi civitatis, canonici cathedralis Ecclesiæ et consiliarii Episcopi ; romani vero Cardinales tanquam præcipui clerici præficiebantur ecclesiis titulorum, addicti erant Ecclesiæ romanæ, quæ est centrum et caput cæterarum, ac S. Pontifici assistebant in regimine universalis Ecclesiæ. Profecto consiliarii et cooperatores S. Pontificis præstare debuerunt senatoribus Episcoporum, sicut cæteris diœcesibus præstat Ecclesia romana.

Progressu temporis, eodem modo quo nomen Papæ, olim omnibus Episcopis commune, factum est proprium Episcopi romani, nomen Cardinalium consiliariis R. Pontificis reservatum est, propter triplicem rationem, nempe symbolicam, logicam et historicam.

1. *Ratio symbolica :* sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super Cardinales Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, fulcitur. Juxta S. Leonem IX, Cardinales sic dicti sunt, quia vicinius adhærent *cardini* universalis Ecclesiæ.

2. *Ratio logica :* Senatores Summi Pontificis sunt præcipui Episcopi, presbyteri et diaconi.

3. *Ratio historica :* Cardinales suum nomen accipiunt, non solum a titulis quibus incardinantur, sed præsertim ab Ecclesia romana, cui stabiliter addicti sunt.

2. — *Constitutio collegii Cardinalium (1).*

346. — *Cardinalium triplex gradus.* In primis temporibus, duplicis tantum ordinis Cardinales erant, scilicet, presbyteri titulis seu ecclesiis ad sacra peragenda destinatis præfecti, et diaconi qui diaconias, id est hospitales domus cum adhærentibus sacellis in variis regionibus urbis regebant.

Accesserunt (VIII° sæculo) viciniores Episcopi, dicti *suburbicarii*, eo quod eorum sedes sunt in suburbiis Urbis Romæ. Cum frequenter in urbem convenirent, ut S. Pontifici pariter assisterent in sacrificio et in regimine, cœperunt Lateranensi Basilicæ adscribi et Cardinales appellari. — Exinde triplex Cardinalium gradus emersit, videlicet Episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ad similitudinem hierarchiæ cœlestis, in qua Deus tres ordines instituit.

347. — II. *Numerus Cardinalium* olim incertus fuit; pro varietate

(1) Innocentius X, const. *Militantis Ecclesiæ*. — Benedictus XII, const. *In regimine*.

temporum, pauciores vel plures Cardinales a Pontificibus creati sunt. Sæculo VIIº, Cardinalium collegium constabat 7 Episcopis, 28 presbyteris et 18 diaconis. Sixtus V decrevit (1) ne in posterum plures essent quam 70, exemplo 70 seniorum quos Moyses pro regimine populi Dei sibi assumpsit ; atque ex eis oportet presbyteros esse 50, diaconos 14, Episcopos vero 6 tantum, quia duo ex dictis episcopatibus conjuncti sunt.

Cardinales non dicuntur Episcopi, presbyteri aut diaconi, ab ordine quo initiati sunt, sed ab ecclesiis quæ singulis assignantur in titulum cardinalitium. Unde multi Cardinales presbyteri sunt Episcopi.

348. — III. *Jura collegialia* competunt Cardinalibus, quatenus collegium peculiare et distinctum efficiunt, fere ad instar capitulorum cathedralium ; quibus juribus respondent certa officia integrum collegium respicientia.

Sacrum collegium habet suum caput, scilicet decanum, item camerarium (*camerlingue*) cui committitur administratio bonorum collegii, secretarium et alios officiales.

Cardinalibus competit *jus optandi*, quo, juxta certas regulas, in proximo consistorio titulum vacantem suo arbitrio postulare et accipere possunt. Hæc est ratio cur Decanus sit Episcopus Ostiensis ; nimirum decanatus sacri collegii ex jure ad antiquiorem inter Cardinales Episcopos in Curia residentes deferendus est ; antiquior vero Episcopus via optionis sedem Ostiensem acquirit.

Ex collegio Cardinalium S. Pontifex eligit suos primarios ministros, v. g. Vicarium qui officio episcopali in diœcesi romana fungitur, Pœnitentiarium, Camerarium Ecclesiæ Romanæ, Cancellarium, etc.

II. — Cardinalium creatio et prærogativæ.

1. — *Creatio Cardinalium.*

349. — I. *Jus creandi Cardinales* ad S. Pontificem pertinet. Juxta Concilium Tridentinum (2), quantum commode fieri potest, prout idonei reperiuntur, ex omnibus christianitatis nationibus assumendi sunt. Ideo guberniis christianis concessum est privilegium plures vel unum præsentandi.

II. *Dotes in Cardinalibus requisitæ.* — Duplici via S. Pontifex creat Cardinales, nempe ex plenitudine potestatis, quando regulas mere canonicas omittit ; vel jure ordinario, cum easdem observat.

Concilium Tridentinum decernit (3) : « Ea omnia et singula quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina et cæteris qualitatibus constituta sunt, etiam in creatione Cardinalium exigenda... Nihil magis Ecclesiæ Dei est necessarium, quam ut Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat. » Proinde illorum dotes internæ sunt doctrina, pietas, prudentia, zelus, constan-

(1) Constitutio *Postquam.* — (2) Sess. XXIV, cap. I, *de Reform.* — (3) Ibid.

tia, etc., ut idonei existant tum electores, tum primarii adjutores S. Pontificis.

Quod spectat conditiones externas, ad cardinalatum jure ordinario non promoventur qui primo vel secundo consanguinitatis gradu alicui cardinali viventi conjuncti sunt, vel nequeunt ordinem titulo competentem intra annum suscipere, silicet annum 22^{m}, 24^{m}, aut 30^{m} nondum consecuti (1).

III. *Forma creationis.* — In consistorio, Romanus Pontifex eligit novos Cardinales, quorum nomina vel publice profert, vel aliquando retinet *in pectore*, tempore opportuno promulganda, et electis præsentibus ipse imponit biretum. In alio vero consistorio eis galerum rubrum imponit, os claudit et aperit, annulum tradit et titulum assignat.

Promoti absentes, antequam solemniter accipiant biretum sive a principe sive ab alio specialiter delegato, jurant se intra annum ad limina Apostolorum accessuros esse, ibique galerum, etc., sicut præsentes promoti accipiunt.

Istæ quidem solemnitates observari solent; non pertinent tamen ad substantiam promotionis. Unde hodie Cardinales ex actu creationis perfecte promoti censentur, ita ut habeant vocem in electione R. Pontificis, quamvis cardinalatus insignia nondum acceperint.

2. — *Cardinalium prærogativæ.*

350. I. *Privilegia.* — 1. In suis titulis, Cardinales jurisdictionem quasi-episcopalem obtinent, tonsuram et minores Ordines suis subditis conferunt, modo sint presbyteri; non habent tamen episcopalem et ordinariam jurisdictionem, exceptis sex Episcopis suburbicariis. — Indulgentiam 100 dierum largiri possunt.

2. Ipsis competit suffragium decisivum in Conciliis generalibus.

3. Censuris non afficiuntur, nisi specialis eorum mentio facta fuerit.

4. Qui offendunt Cardinales sunt rei læsæ majestatis, et speciales censuras incurrunt (2).

II. *Honoribus* accensentur eorum *insignia*, *tituli* et *præcedentia*.

1. *Insignia.* — Non ad fastum regalibus ornamentis decorantur, sed, jubente Innocentio IV, purpuram induunt in memoriam passionis Christi. Galerum rubrum est symbolum caritatis qua defendunt R. Pontificem et Ecclesiam, pro quibus, si oporteat, sanguinem suum effundere sunt parati.

Cardinales ex regularibus assumpti, excepto pileolo, bireto et galero, veste purpurea non utuntur, ut ordinis sui colorem retineant. Cardinales tamen e societate Jesu vestiuntur sicut Cardinales sæculares.

2. *Tituli.* — Urbanus VIII eos appellari jussit *Eminentia* vel *Eminentissimus*.

3. *Præcedentia* ubique terrarum antecedunt Episcopos et ipsos Patriarchas, principibus vero non regnantibus saltem æquiparantur. Ratio est,

(1) Sixti V constitutio *Postquam.* — (2) Cf. Const. *Apost. Sedis*, p. I, 5.

quia cum Romano Pontifice omnium Ecclesiarum curam gerunt, et reliquos Ecclesiæ gradus judicant. Hinc etiam ortus est usus notam faciendi curiis sæcularibus creationem Cardinalium, eodem modo quo nativitas principum ipsis communicatur.

§ 2 — *Auctoritas collegii Cardinalium.*

Cardinales muneribus suis funguntur vel *Sede plena*, vel *Sede vacante*.

I. — Cardinalium auctoritas Sede plena.

351. — I. *Officium eorum*, quatenus senatum S. Pontificis constituunt, est illum opera et consiliis adjuvare (1). Quapropter omnes, nisi extra provinciam romanam episcopatibus præsint, in Urbe residere tenentur.

Romani Pontifices, gravioris momenti negotia, audito Cardinalium consilio, absolvunt. Attamen ex honestate et prudentia gubernativa, non ex necessitate, consiliis ejusmodi utuntur. — Hinc ista disparitas inter sacrum collegium et capitula cathedralia : aliquando Episcopi tenentur stare suffragiis capituli, nunquam vero Summi Pontifices consilio Cardinalium ligantur. Ratio est, quia Episcopi subjiciuntur legibus generalibus Ecclesiæ, quibus adstringuntur ad capitulum quandoque consulendum ; dum S. Pontificis potestas, jure divino suprema et independens, jure humano limitari nequit.

De rebus quæ tractandæ sunt prævium notitiam Cardinales sibi comparant ; deinde consulti sensum suum libere juxta conscientiam proferunt. De propositis autem silentium ipsis indictum est.

325. — II. *Consistorium.* Cardinales explent officia sua, aut sustinentes munera quæ ipsis singulis a S. Pontifice committuntur, aut distributi per diversas congregationes, aut universim in consistorio. Jamvero, consistorium est congregatio generalis quam celebrat R. Pontifex in collegio Cardinalium, per modum senatus seu consilii majoris.

Duplex habetur consistorium : alterum est *secretum* et ordinarium, quod solos cum S. Pontifice Cardinales admittit ; aliud autem *publicum* et extraordinarium, cui, præter Cardinales, intersunt Prælati, legati principum et viri digniores.

1. In *consistorio secreto*, S. Pontifex creat Cardinales et Legatos ; Episcopos instituit et erigit Ecclesias cathedrales ; pallium concedit ; de omnibus Sanctæ Sedis et Ecclesiæ gravioribus negotiis agit, atque allocutiones pronuntiat.

Ut illius forma non sit contentiosa, a Sixto V instituta est *Congregatio consistorialis* seu *consistorii consultrix*, ex cardinalibus et peritis prælatis constans ; quæ ad beneplacitum S. Pontificis adunatur, ut materias, partibus opponentibus auditis, per examen et deliberationem præparet.

2. In *consistorio publico*, S Pontifex galerum novis Cardinalibus impo-

(1) Concilium Trid. (sess. XXV, cap. I) : « Cardinalium consilio apud R. Pontificem universalis Ecclesiæ administratio nititur. »

nit, de Sanctorum canonizatione vota exquirit, legatos principum recipit, reditum Legati a latere celebrat, etc.

II. — Cardinalium auctoritas Sede vacante.

353. — Sede vacante, præcipuum munus Cardinalium est S. Pontificis electio, et Ecclesiæ defensio.

I. Jus eligendi Summum Pontificem ad Cardinales exclusive pertinet, ab anno 1179.

Eis licet in schismate, seu duobus de Papatu contendentibus, Concilium velut extraordinarium et amplius conclave convocare, ut de Pontifice certo provideatur, vel intrusum authentice designare et illius remotionem procurare, etiam invocato auxilio brachii sæcularis.

II. In eos non transit plena Primatus jurisdictio, quæ a Christo nonnisi personæ S. Pontificis collata fuit ; ideo in Ecclesiæ administratione nihil innovare debent.

Etsi jurisdictio papalis ad ipsos non transeat, ea tamen facere possunt quæ ad Ecclesiæ defensionem adversus pericula imminentia spectant (1).

Unde, juxta necessitates occurrentes, consulitur tum Ecclesiæ universæ, tum diœcesi romanæ, tum administrationi temporali Status pontificii :

1. Facultates congregationum romanarum per mortem S. Pontificis non exspirant ; et Major Pœnitentiarius, ut animarum periculum avertatur, expedit ea quæ forum conscientiæ respiciunt.

2. Cardinalis Vicarius, sicut antea, diœcesim romanam regit.

3. Administratio temporalis competit Cardinali Camerario Ecclesiæ Romanæ, cui per ordinem assistunt tres Cardinales, videlicet, primus Cardinalium Episcoporum, primus presbyterorum et primus diaconorum.

At, tempore conclavis, Cardinales prohibentur munus suum obire et facultates suas exercere per seipsos.

ARTICULUS II

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS

354. — Congregationes romanæ definiuntur : Distincti Cardinalium cœtus, a SS. Pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda et judicanda sua auctoritate (Cf. n. 134).

Diversæ sunt tum ratione negotiorum, tum ratione jurisdictionis.

1. *Ratione negotiorum*, aliæ dicuntur *ordinariæ*, aliæ vero *extraordinariæ*.

Ordinariæ stabiliter erectæ sunt, et illis certa negotia in perpetuum committuntur.

Extraordinariæ indicuntur pro rebus specialibus, v. g. Concordato præparando, quibus absolutis dissolvuntur.

(1) Greg. X, in Concilio Lugdunensi II (*de Electione*, cap. *Ubi periculum*, 3, in VI°).

2. *Ratione jurisdictionis*, aliæ instituuntur pro diœcesi romana, aliæ respiciunt Ecclesiam universam.

Agendum habemus tantum de congregationibus ordinariis quæ ad regimen Ecclesiæ universalis spectant. Disseretur : — 1° De congregationibus romanis in genere ; — 2° De congregationibus romanis in specie.

§ 1. — *De congregationibus romanis in genere.*

Cum auctoritas decisionum ab ipsis editarum jam ponderata et definita fuerit (n° 135), duo supersunt expendenda : — 1. Congregationum romanarum institutio ; — 2. Earum constitutio.

I. — Institutio congregationum romanarum.

Hæc institutio innotescit 1° ex origine, 2° ex convenientia sua.

1. — *Origo Congregationum.*

355. — Semper Romani Pontifices ad prudenter regendam Ecclesiam consilio usi sunt, sed non semper eadem fuit forma consilii ; distinguitur enim triplex ætas, nempe *conciliorum* romanorum, *consistorii* et *congregationum*, prout præcipue concilium aut consistorium convocare, vel ministerium congregationum adhibere consueverunt ad causas judicandas.

I. Per decem sæcula, SS. Pontifices magis arduas fidei, morum et disciplinæ quæstiones sibi undequaque propositas, jam ab incunabilis Ecclesiæ resolvebant in *conciliis romanis*, quibus intererant Episcopi suburbicarii et alii sive specialiter convocati, sive varias ob causas Romæ præsentes, cum presbyteris et diaconis Ecclesiæ Romanæ ; causas majores etiam cognoscebant in senatu Cardinalium, responsaque per Decretales aut alterius nominis litteras apostolicas edebant.

II. A sæculo XI° usque ad XVI^m^, quatuor modis Sancta Sedes potestatem judiciariam exercuit, nempe :

1. S. Pontifex ipse Conciliis generalibus præfuit, scilicet quinque Lateranensibus, utrique Lugdunensi, Viennensi et Florentino, dum octo prioribus, in Oriente celebratis, semper per legatos suos præfuerat.

2. In frequentibus legationibus, Cardinales vel Episcopi auctoritatem apostolicam et ordinariam exercebant.

3. Tribunalia inferiora, maxime Sacra Rota, res minoris momenti expediebant.

4. Sed, crescente numero fidelium et negotiorum ad Sanctam Sedem confluentium, Sacrum Collegium, imaginem Concilii præ se ferens, evasit ordinarium S. Pontificis consilium. In *consistorio* (ter in hebdomade sæpissime convocato), interveniente processu judiciario et consultis Cardinalibus, ipse S. Pontifex pleraque negotia judicabat.

III. Ætas congregationum incipit a sæculo XVI°. Sicut Concilium Tridentinum in singulis diœcesibus instituit collegia capitulo inferiora, qui-

bus adjuvaretur Episcopus, v. g. in institutione et regimine seminarii (1) ; ita, Patribus Concilii optantibus, ac urgente gravitate et multitudine negotiorum in dies magis ac magis ad Sedem Apostolicam devolutorum, SS. Pontifices, ne opprimerentur onere administrationis cui consistorium non sufficiebat, successive instituerunt distinctas et stabiles Cardinalium congregationes, in quibus tanquam judices ordinarii diversas causas maturius perpenderent, ac propositis dubiis responderent.

1. Ante Sixtum V (1585-1590), institutæ fuerunt congregationes S. Officii, Concilii, Indicis et Episcoporum.

2. Sixtus V instituit congregationes Regularium, Rituum et Studiorum, atque e congregationibus Episcoporum et Regularium unam efformavit.

3. Post Sixtum V, institutæ sunt congregationes Examinis Episcopoporum, Propagandæ Fidei, Immunitatis, Indulgentiarum, Disciplinæ regularis, etc.

2. — *Convenientia Congregationum* (2).

356. — Ista convenientia consideratur vel respectu *S. Pontificis*, vel respectu *Cardinalium*, vel in ordine ad *distributionem negotiorum*, vel habita ratione *formæ collegialis* quam congregationes induunt.

I. *Auctoritas R. Pontificis*, qui solus personaliter omnibus negotiis expediendis nequit sufficere, velut multiplicata communicatur singulis congregationibus. Earum enim membra sunt non solum executores, aut mere delegati, sed vere judices ordinarii, qui *potestatem apostolicam* exercent juxta limites muneris in institutione sua determinati ; unumque et idem tribunal cum S. Pontifice constituunt, sicut Vicarius generalis cum Episcopo. — Propterea illius nomine, ejusdemque auctoritate innixæ Sacræ Congregationes, omnibus fidelibus, quantumvis remotissimis, consilia præbent, eorum dubia resolvunt, lites contentionesque componunt, gratias ac privilegia impertiuntur, atque consultationibus respondent, per decreta seu decisiones ac responsa (3).

Attamen salvæ sunt prærogativæ personales Summi Pontificis ; etenim :

1. *Decisiones majores* sibi reservat, et *generalia decreta* jussu ipsius promulgantur.

2. *Delegatio specialis* requiritur ut congregationes de quibusdam causis cognoscant, et *declarationes* legum interpretativæ ab illis non eduntur, nisi consulto S. Pontifice.

3. *Sententiæ* quas congregationes per se ipsas valide ferre possunt, de facto semper sanctioni pontificiæ subjiciuntur.

4. *Indulta et gratiæ*, postulantibus congregationibus, ab ipso S. Pontifice conceduntur.

Igitur congregationes agunt semper cum illius auctoritate et consensu.

(1) Conc. Trid., sess. XXIII, cap. XVIII, *de Reform.* — (2) Analecta juris pontificii, *des Congrégations romaines.* — (3) Ferraris, verbo *Congregatio.*

II. In congregationibus elucet *dignitas Cardinalium*, qui prius S. Pontificem vel consiliis tantum adjuvabant, vel repræsentabant in legationibus ; nunc vero *potestatem ordinariam* exercent per modum *tribunalium permanentium*.

Nimirum 1. Congregationes examinant casus S. Pontifici reservatos, judicant sine appellatione, eduntque sententias pontificias.

2. Earum potestas a lege confertur, et extenditur ad universitatem causarum similium ; est enim ordinaria, non delegata.

3. Hæc potestas perseverat vacante S. Sede, quamvis, ut electio S. Pontificis celeriter fiat, tunc non exerceatur, nisi urgeat necessitas ; dum jurisdictio Vicarii generalis per Episcopi mortem exspirat.

Quemadmodum ergo sol non tantum ipse lucet, verum etiam quibusdam sideribus lumen impertitur, quo cœlum ornant et illuminant orbem, sic R. Pontifex non solum Ecclesiam per se moderatur, sed Cardinales sua potestate auget ut, sociatis laboribus, omnes difficultates solvantur.

III. Ex *distributione negotiorum* inter diversas congregationes exsurgit triplex utilitas :

1. Fideles qui ex omnibus mundi partibus ad Apostolicam Sedem, vel suæ salutis studio, vel juris persequendi causa confugiunt, distinctos Cardinalium cœtus ad audiendas preces inveniunt paratos.

2. Negotia, quæ procederent inordinate, si omnes de omnibus rebus cognoscerent, facilius celeriusque expediuntur ; singulis enim congregationibus assignantur certa negotia cum specialibus facultatibus, et iidem Cardinales non universis intersunt, sed quibusdam tantum, pro idoneitate sua.

3. Cardinales partem distributi muneris levius ferunt et diligentius administrant, facilius S. Pontificem opportunis consiliis juvant, atque experientiam acquirunt in diversis rerum generibus, in quibus iidem constanter exercitantur.

IV. Magna commoda secum fert *collegialis forma* congregationum.

Equidem R. Pontifex potuisset jurisdictionem singulis Cardinalibus communicare, ut more Vicarii generalis privatim negotia dirigerent. Verum instituit collegia in quibus Cardinales deliberant, et major judicum numerus edit sententias, eo quod experientia cujuslibet societatis constat utilitas tribunalium collegialiter erectorum pro gravioribus causis dirimendis.

Præterea, ut negotiis optime discussis, ea semper decernantur quæ animarum saluti et justitiæ consentanea sunt, congregationes sua habent collegia theologorum et canonistarum qui, consultorum nomine, difficultates prævie scrutantur, et consiliis sæpe collectivis Cardinales adjuvant.

II. — Constitutio congregationum romanarum (1).

Duo sunt expendenda : 1° Ipsa constitutio Congregationum ; 2° modus quo procedunt.

(1) Stremler, *des Peines ecclésiastiques, de l'Appel et des Congrégations romaines.* — Analecta juris pontificii, *des Congrégations romaines.*

1. — *Constitutio.*

357. — *Numerus* Cardinalium ad singulas congregationes pertinentium arbitrio R. Pontificis determinatur; sed tres saltem adesse debent ut sententia sit valida.

Cardinalis *Præfectus* congregationem indicit, dirigit negotia, res minoris momenti cum secretario expedit.

Prælatus *Secretarius* distribuit documenta, relationes sæpe scribit, resolutiones colligit easque ad S. Pontificem refert, indulta obtinet, expedit decreta. Adjuvatur a *substituto* et scriptoribus, et in archivio servat acta.

Consultores a S. Pontifice ad vitam eliguntur, inter viros scientia, prudentia, probitate et diligentia præclaros. Eorum sententia diversis modis colligitur.

2. — *Modus procedendi.*

358. — I. Jurisdictio congregationum non est tantum ordinaria, sed etiam quadam ratione *supra canones*, quatenus apostolica. Unde duplici modo proceditur, nempe, vel servato juris ordine seu processu judiciali, vel extrajudicialiter, summarie et *ex æquo*, si juxta leges prudentiæ negotia solvantur sine judiciali strepitu.

II. Modus procedendi diversus est, prout causæ sunt *contentiosæ*, vel *gratiosæ*, vel *criminales*, vel spectant *interpretationem* legum.

1. *In causis contentiosis*, accipitur relatio Episcopi; partes concordant de dubio solvendo; documenta Cardinalibus et partibus adversis communicantur. Allegationes et responsiones scribendæ sunt; procuratores narrant factum; advocati rationes juris controversi exponunt. Re judicata, litigantes possunt novam audientiam et sententiam postulare. Tandem ad Episcopum sententia exequenda mittitur.

2. In causis mere *gratiosis*, quæ administrationem diœcesanam et dispensationes a legibus ecclesiasticis respiciunt, *agentes* manu offerunt postulata. Secretarius summaria precum transmittit, et Congregatio rem solvit, consulto tamen Episcopo in re gravi.

3. Ex *causis criminalibus*, graviores contra episcopos in prima instantia cognoscuntur a S. Pontifice solo, juxta dispositiones juris (1). In cæteris, per appellationem legitimam intra decem dies ei devolutis, processus ab Episcopo missus et a Judice relatore abbreviatus communicatur reo vel ejus procuratori, ac testes extra tribunal audiuntur. Si appellationis actus negligenter protrahantur, sententia episcopalis executioni mandatur, quando appellatio fuit suspensiva; transit vero in rem judicatam, quando appellatio fuit devolutiva tantum — Cf. n. 845-855.

4. In *legibus interpretandis*, relatio causæ distribuitur, et interrogantur consultores; sed declaratio non editur, nisi consulto S. Pontifice.

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. v, *de Reform.*

§ 2. — *De congregationibus romanis in specie.*

Aliæ respiciunt fidem, aliæ vero disciplinam.

I. — Congregationes fidem respicientes.

Tres sunt, nempe : 1. Congregatio *S. Officii*, — 2. Congregatio *Indicis librorum*, — 3. Congregatio *Propagandæ Fidei*.

1. — Congregatio S. Officii seu Romanæ universalis Inquisitionis (1).

359. — I. *Institutio.* — Ipsa congregatio differt a Sancto Officio seu Inquisitione.

1. Sanctum Officium est munus judicum a Sede Apostolica deputatorum ut contra reos hæreticæ pravitatis procedant. Nam, quamvis Episcopus sit inquisitor natus vi jurisdictionis ordinariæ, sæculo XIII° occasione hæresis Albigensium instituti sunt speciales *inquisitores*.

2. Sæculo XVI°, cum hæresis Lutherana propagaretur, Paulus III erexit Romæ, velut tribunal supremum universalis inquisitionis, congregationem S. Officii, a successoribus ejus confirmatam, ut fides servaretur illæsa sive damnatione errorum, ut plerumque fit, sive pœnitentiis impositis, scilicet pœnis moderatis, convenientibus tamen cuique delicto et societati.

Itaque congregatio ejusmodi superaddita est Sancto Officio jam existenti, eique præposita.

II. *Facultates.* — S. Officii congregatio agit imprimis de causis fidei, ac judicat reos violatæ religionis. In illa discutiuntur causæ respicientes hæresim, magiam et superstitionem, vel abusum sacramentorum. Ejus decreta non sunt infallibilia, nisi S. Pontifex illa faciat sua, et ex cathedra proponat. Unde error ab ea admissus, qualis perhibetur contigisse in causa et damnatione Galilæi, minime attingit infallibilitatem Pontificiam.

III. *Constitutio.* — Congregationi præest ipse S. Pontifex ; eam vero constituunt Cardinales doctrina, litteris, experientia et fidei zelo conspicui.

Cardinalibus adjunguntur *Assessor*, *Commissarius* ex ordine Prædicatorum, certus numerus *Consultorum* et *Qualificatorum*.

Consultores, canonum et theologiæ peritissimi, ex utroque clero assumuntur. — Qualificatores sunt pariter viri doctrina præstantes, qui censuram propositionum instaurant, seu priores librum vel propositiones expendunt, et notant errores.

IV. *Modus procedendi.* — Ut negotia cum maturitate coram S. Pontifice decidantur, duæ præmitti solent congregationes præparatoriæ.

In *prima*, cui soli intersunt consultores, leguntur processus et Episcoporum litteræ. Deinde qualificatores de propositionibus sententiam dicunt. Tandem alia examinantur, quæ assessor in secunda congregatione relaturus est.

(1) Bouix, *de Curia romana*. — Stremler, *des Peines ecclésiastiques, de l'Appel et des Congrégations romaines*. — Benedictus XIV, Const. *Sollicita*.

In *secunda*, congregatis Cardinalibus, assessor relationes perlegit. Re bene perspecta Cardinalibus, consultores admittuntur et suam dicunt sententiam. Postea acta summarie per assessorem S. Pontifici referuntur. — Hæc habetur feria IV cujusque hebdomadæ.

Tertia et solemnis congregatio aliquando, pro negotiorum gravitate, coram S. Pontifice celebratur. In ea, nova fit relatio causæ, quam, si fuerint admissi, consultores denuo discutiunt; Cardinales exprimunt sua suffragia, S. Pontifex concludit et resolutionem profert. Postmodum, decreta destinantur ad Episcopos omnes.

Ex decretis Clementis XI, 1 dec. 1709, et Clementis XIII, 1 febr. 1759, quicumque interveniunt in tribunali S. Officii tenentur servare inviolabile secretum de omnibus quæ in eo discutiuntur et tractantur, exceptis tantum causis mere civilibus.

2. — *Congregatio Indicis* (1).

360. — I. *Institutio.* — *Index* appellatur catalogus librorum ab Apostolica Sede prohibitorum. Hunc, jussu Pauli IV et studio Concilii Tridentini confectum, Pius IV approbavit et promulgavit (24 martii 1564).

Ad catalogum ejusmodi postea perficiendum, et Sancto Officio subveniendum, S. Pius V instituit *Indicis congregationem*, quam Sixtus V confirmavit et auxit potestate libros examinandi, prohibendi et corrigendi, interdicta omnibus facultate concedendi sine indulto licentiam legendi libros prohibitos.

II. *Constitutio.* — Congregatio Indicis complectitur plures Cardinales, quorum unus est Præfectus; secretarium ex ordine Prædicatorum; et consultores multos, inter quos primarium et fixum locum habet Magister sacri palatii, Congregationis Assistens perpetuus.

III. *Modus procedendi.* — Liber suspectus a secretario et duobus consultoribus examinatur. Si videatur censura dignus, eligitur relator idoneus, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis. In congregatione *præparatoria*, sex consultores censuram relatoris ponderant; postea, de illorum judicio deliberat Cardinalium congregatio *generalis*. Tandem, Secretarius, facta diligenti actorum relatione, R. Pontificis assensum exquirit, et fertur decretum.

Juxta sapientem instructionem Benedicti XIV (1), eliguntur consultores periti scientiæ de qua in libris examinandis agitur, Congregatio studia partium seponit, et catholicorum libros benigne interpretatur. Additur, si fieri possit, clausula *donec corrigatur;* sed correctio ab ipsa Congregatione approbanda est, ut librum correctum retinere et legere liceat.

Decreta inauditis auctoribus lata non sunt injusta, nam Indicis congregatio libros, non auctores, damnare consuevit, ad avertendum a fidelibus periculum nocuæ lectionis. Si quando *in odium* seu punitionem *auctoris* perversi interdicantur omnes illius libri, ita procedendi graves proferuntur causæ, maxime periculum scandali.

(1) Infra (lib. II, *de Mediis*, n. 658–661) prohibitio librorum recensetur intra media quibus errores reprimuntur, et traduntur regulæ Indicis a Leone XIII reformatæ in Const. *Officiorum*. — (2) Constitutio *Sollicita*.

IV. *Decreta* Indicis a S. Pontifice confirmantur. His verbis eduntur:

« S. Congregatio Cardinalium a Sede Apostolica Indici librorum pravæ doctrinæ, eorumdemque proscriptioni in universa Ecclesia præpositorum et delegatorum, damnat, proscribitque, et in Indicem referri mandat opera quæ sequuntur...

« Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis prædicta opera damnata atque prohibita, quocumque loco et idiomate, edere, legere aut retinere audeat, sed locorum Ordinariis ea tradere teneantur, sub pœnis indictis.

« Quibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII relatis, Sanctitas Sua decretum probavit et promulgari præcepit. »

3. — Congregatio de Propaganda Fide.

361. — I. *Institutio.* — R. Pontifices summo studio propagationem fidei catholicæ per universum orbem promovent. In hunc finem, inventis Americæ littoribus, Gregorius XV instituit congregationem *propagandæ fidei*, quæ constat Cardinalibus, Prælatis et consultoribus, ac etiam officialibus inferioris ordinis (1).

II. *Facultates.* — Jurisdictio illius extenditur ad omnes missionum regiones. Porro *missiones* dicuntur districtus certis finibus comprehensi et commissi uni rectori spirituali, nempe Episcopo, Vicario aut Præfecto apostolico, apud infideles, hæreticos et schismaticos ; atque *missionariorum* titulo decorantur sacerdotes ibidem saluti animarum operam navantes.

1. *Ipsius congregationis* officium est omnia negotia quæ pertinent ad fidem in universo mundo propagandam cognoscere et tractare, missionarios mittere, Episcopos aut Vicarios apostolicos S. Pontifici proponere, et difficultates ortas extrajudicialiter componere (2).

2. Ad instar collegiorum pro Græcis, Germanis et Anglis, a Gregorio XIII erectorum, Urbanus VIII in gratiam infidelium fundavit et dictæ Congregationi commisit *Collegium Propagandæ*, in quo adolescentes e regionibus missionum selectos in linguis ac sacris disciplinis pie erudiri voluit, ut in patriam suam reversi fidem seminent.

3. Palatium Congregationis continet *typographiam*, qua libri religioni propagandæ utiles in omnibus linguis eduntur.

II. — Congregationes disciplinam respicientes.

Hæ sunt : — 1. Congregatio Concilii Tridentini interpres ; — 2. Congregatio Rituum ; — 3. cæteræ multæ congregationes.

1. — Congregatio Concilii Tridentini interpres.

362. — I. *Institutio.* — Concilium Tridentinum (3) diligentiæ R. Pontificis

(1) Const. *Inscrutabili.* — (2) Pius IX litteris apostolicis *Romani Pontifices* (6 januarii 1862) instituit S. Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis. — (3) Sess. XXV, *De recipiendis et observandis Decretis Concilii.*

commisit suorum decretorum executionem. Ut Ecclesia hanc sollicitudinem experiretur, Pius IV prohibuit ne privati ederent commentaria in decreta Concilii, et constituit congregationem Cardinalium, illorum præsertim qui Concilio interfuerant, ejusque sensum noverant, ut illius decretorum executioni constanter vacarent.

II. *Officium* ejus duplex est: 1. — *Interpretatur* canones Tridentinos. Equidem Pius IV ei solam dedit facultatem exequendi decreta Tridentina, et S. Pius V concessit tantum ut casus claros decideret. Verum Sixtus V illi contulit auctoritatem interpretandi, prius tamen consulto S. Pontifice, decreta de reformatione et disciplina, reservata sibi interpretatione decretorum dogmaticorum.

2. Promovet decretorum Tridentinorum *observantiam*, v. g. concilia provincialia et synodos diœcesanas celebrari curat, acta Conciliorum provincialium recognoscit, de appellatione ab improvidis synodorum statutis fert sententiam, ab Episcopis qui visitant Apostolorum limina accipit relationes super statu Ecclesiarum. Cognoscit insuper et definitive judicat de reductione onerum missarum, de causis matrimonialibus, etc. (1).

III. *Constitutio.* — 1. Ipsa Congregatio constituitur ex Cardinalibus tantum, præter unum prælatum, qui secretarii vices gerit.

2. Congregationi Concilii, velut appendices, adjectæ sunt duæ congregationes particulares : altera examinat relationes Ordinariorum de statu Ecclesiarum suarum, eorumque postulata ; in altera, consultores recognoscunt acta Conciliorum provincialium.

3. In *studio*, quasi in Congregationis vestibulo, juniores canonistæ praxi juris initiantur.

2. — *Congregatio Rituum.*

363. — I. *Institutio.* — Sixtus V, considerans multos abusus in liturgia sensim irrepere, eosque non facile aboleri posse, neque per ipsum negotiis jam non sufficientem, nec per Ordinarios qui in hac re vix ejusdem sensus aut diligentiæ esse poterant, erexit congregationem quæ divino cultui per orbem catholicum recte exercendo invigilaret.

II. *Officium* ejus Pontifex sic exponit (2) : « Hæc præcipue cura (5 Cardinalibus hujus congregationis) incumbere debet, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisque ecclesiis..., in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur ; cæremoniæ, si exoleverint, restituantur ; si depravatæ fuerint, reformentur ; libros de sacris ritibus et cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent ; officia de sanctis patronis examinent, et nobis prius consultis concedant ; diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebri-

(1) S. Congr. Concilii suam collectionem habet sub titulo : *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii ;* præterea, *Collectio declarationum S. C. C.* edita est, auctore Zamboni ; tandem vulgata est *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. C. C.*, auctore Pallottini. — (2) Sixti V constitutio *Immensa*.

tatem, ut omnia rite et recte, et ex Patrum traditione fiant; et ut reges et principes, eorumque oratores, aliæque personæ, etiam ecclesiasticæ, ad Urbem Curiamque romanam venientes, pro Sedis Apostolicæ dignitate ac benignitate, honorifice more majorum excipiantur, cogitationem suscipiant, seduloque provideant... »

III. *Constitutio.* — Duplex est quodam modo congregatio Rituum, nempe *ordinaria* et *extraordinaria.*

1. *Ordinaria*, pro ritibus ecclesiasticis et pro finiendis controversiis præeminentiarum, complectitur 5 cardinales, plures prælatos ex quibus unus est secretarius, et magistros cæremoniarum pontificiarum. Magister Sacri Palatii et Sacrista Papæ sunt consultores perpetui hujus congregationis.

Ejus decreta sunt vel formaliter generalia, vel æquivalenter generalia, ea scilicet quibus legum sensus declaratur, vel particularia (1).

2. Congregatio *extraordinaria* examini suo subjicit omnes causas quæ beatificationem et canonizationem Sanctorum respiciunt, atque cultum quorumdam servorum Dei.

Constat iisdem Cardinalibus, non vero iisdem prælatis et consultoribus. Præter præd ctos, in ea conveniunt Promotor fidei, quatenus Advocatus fiscalis; tres antiquiores Rotæ auditores, tanquam canonistæ, qui vices assessorum gerunt; unus ex protonotariis participantibus, et promotor causæ. His accedunt theologi consultores vel qualificatores. Demum adhibentur viri scientiarum naturalium periti et probatissimi medici, qui judicant an operationes quæ miraculis accensentur vere sint supernaturales. — V. infra, n. 688-693.

3. — *Cæterœ congregationes.*

364. — I. Congregationem *Episcoporum* et *Regularium*, velut unam ex duabus, constituit Sixtus V, ut negotiis, controversiis et dubitationibus, tum inter Episcopos et clericos, tum inter Regulares, tum inter utrumque ordinem sæcularem et regularem contingentibus provideret, et extrajudicialiter finem imponeret.

Ad ipsam spectat postulata Ordinariorum cognoscere, et controversias super juris fictione exortas componere. Præterea, consultationibus Regularium respondet, executionem constitutionum apostolicarum super eis editarum procurat, et difficultates decidit.

II. Congregatio *Disciplinæ regularis*, quam Innocentius XII erexit (1698), reformationem regularium et institutionem novitiorum promovet. Isti affinis est altera *Super statu Regularium* constituta a Pio IX (1847).

III. Congregatio *Indulgentiarum* et *Reliquiarum*, a Clemente IX (1669) instituta, invigilat dispensationi indulgentiarum, quarum concessionem sub pœna nullitatis inscribit, reliquias recognoscit, reprimit abusus

(1) Collectio Gardellinii, cui titulus : *Decreta authentica Congregationis Rituum*, jam non viget ab anno 1898, quo S. C. ipsa approbante Leone XIII edidit suam, 5 volumnibus constantem, in qua multa decreta particularia de eadem materia in uno generali contracta sunt, multaque alia non sunt inserta, utpote obsoleta, discordantia vel inutilia, et eo ipso sunt abrogata.

circa indulgentias et cultum reliquiarum, dubia super his proposita resolvit. — Præterea, Leo XIII, 31 oct. 1897, ei concessit aut confirmavit facultatem interpretandi rescripta de Indulgentiis et Reliquiis, quæstiones minoris momenti dirimendi, approbandi Summaria indulgentiarum, sanandi defectus qui irrepserint sive in erectione aut aggregatione confraternitatum, sive in adscriptione sodalium, sive in benedicendis et imponendis scapularibus, etc., transferendi indulgentias a die in diem et a loco in alium, commutandi plerasque conditiones præscriptas ad lucrandas indulgentias ; at cæteræ concessiones ac iterationes indulgentiarum, privilegium altaris, facultates benedicendi et alia hujusmodi exclusive pertinent ad Secretariam Brevium.

IV. Congregatio *Jurisdictionis* et *Immunitatis* ecclesiasticæ, ab Urbano VIII erecta, dirimit controversias ortas cum magistratibus civilibus circa res ad jurisdictionem pertinentes, et contra invasiones defendit immunitatem personalem, localem et realem.

V. Pius VII instituit congregationem *Super negotiis extraordinariis Ecclesiæ*.

VI. Congregatio *Examinis Episcoporum* a Clemente VIII erecta fuit, ut promovendi ad episcopatum in Italia, ab illa examinarentur.

VII. Congregationem *Studiorum* Sixtus V instituit, ut in Statu pontificio studia dirigeret, et per orbem Universitates catholicas protegeret (1).

Brevitatis causa, omittimus describere Congregationes *Residentiæ Episcoporum*, *Visitationis apostolicæ*, *Cæremonialis*, *Fabricæ S. Petri* et *Lauretanam*, quæ parum vel nihil conferunt ad regimen universalis Ecclesiæ.

ARTICULUS III

DE TRIBUNALIBUS ROMANIS

Distinguuntur 1. Tribunalia justitiæ ; — 2. Tribunalia gratiæ ; — 3. Tribunalia expeditionis.

§ 1. — *De tribunalibus justitiæ* (2).

Curia justitiæ constat pluribus tribunalibus : 1. *Rota ;* 2. *Camera apostolica ;* 3. *Signatura justitiæ*.

365. — 1. *Rota* est tribunal seu auditorium institutum ad dirimendas in forma judiciali causas contentiosas. Hujus nominis ratio explicatur ex eo quod *Auditores Rotæ*, in orbem sedentes, controversias rotant et examinant (3).

I. *Origo.* — Illud tribunal est antiquissimum ; SS. Pontifices enim semper habuerunt suos capellanos, consiliarios et referendarios, quibus olim concessa fuit facultas judicandi.

(1) Licet Sixtus V adumbraverit hanc congregationem, tamen ea, prout nunc est, dici debet instituta a Leone XII. — (2) Phillips, *Jus ecclesiasticum*, § 119. — Stremler, *des Peines ecclésiastiques, de l'Appel et des Congrégations romaines.* — (3) Schmalzgrueber, dissert. *Proœmialis.* — Ferraris, verbo *Auditores.*

II. *Constitutio.* — Rota, ex decreto Sixti IV, constat duodecim judicibus, qui ex nationibus primariis assumuntur, suum quisque habent locum tenentem et adjutorem in studio, atque plurimis gaudent privilegiis. Octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus et alter Germanus. Dicuntur Auditores, eo quod eis cura demandatur causas agitatas audiendi et examinandi. Collegio Auditorum præest decanus Rotæ.

III. *Modus procedendi.* — Judices dividuntur in tres classes, in quibus singulis unus vocatur *Ponens*, et cæteri *Correspondentes*. Informati de facto et jure per procuratores et advocatos, in ædibus privatis vota sua ferunt, munita momentis quæ scripta Ponenti traduntur. Si vota conveniant, sententia profertur a Ponente ; si non convenerint, judices novam deliberationem aggrediuntur.

Appellatio datur a prima classe ad alteram et tertiam. Aliquando tamen Rota judicat velut unum tribunal, simul convenientibus omnibus auditoribus.

IV. *Auctoritas.* — Cum plurimæ causæ, primum ad Rotam devolutæ, a congregationibus terminari possint, hodie, præter lites civiles territorii pontificii, causæ ecclesiasticæ ab ipsa nonnisi ex speciali commissione judicantur. Sic, ex decreto Leonis XIII, pronuntiat de valore juridico processuum beatificationis et canonizationis.

Decisiones rotales habent vim sententiarum supremi tribunalis. Quamvis non faciant jus pro omnibus, sed pro singulis tantum quos respiciunt, tamen ubi sunt uniformes, efformant normam aliorum tribunalium et stylum Curiæ.

366. — 2. *Camera apostolica* præficitur reditibus temporalibus R. Pontificis. Cardinali Camerario subsunt judices, thesaurarius et officiales. — In tribunali Cameræ apostolicæ unus est Auditor ; reliqui judices dicuntur *clerici* ejusdem Cameræ.

367. — 3. *Signatura justitiæ* — Referendarii supplicationes sibi porrectas S. Pontifici signandas tradebant, quando iisdem annuendum esse censebant. Inde originem ducit istud tribunal ; nam ex hisce referendariis progressu temporis efformatum fuit duplex collegium, causis ab invicem jussu Innocentii VIII ita separatis, ut causæ justitiæ ad signaturam hujus nominis, causæ vero gratiæ ad aliam signaturam revocarentur.

Amplissima fuit istius tribunalis potestas. Verum, juxta praxim hodiernam, in nonnullis tantum causis, si ex orbe catholico illuc deferântur, judicandi facultatem habet, v. g. de inviolabilitate appellationum.

§ 2. — *De tribunalibus gratiæ* (1).

368. — Cum gratiæ a voluntate principis pendeant, tribunalia pro illis concedendis erecta non tam sua auctoritate res decidunt, quam consilium suum S. Pontifici aperiunt. — Hæc tribunalia sunt : 1. Signatura gratiæ ; 2. Sacra Pœnitentiaria ; 3. Dataria.

(1) Phillips, *Jus ecclesiasticum*, § 120.

369. — 1. *Signatura gratiæ* judicat de causis quæ definiuntur ex gratia R. Pontificis, v. g. si quis postulet ut a causa non appellabili appellare liceat. Cum per illam gratiæ extraordinariæ concedantur, ei semper præest S. Pontifex, qui propria manu decreta signat; unde intelligitur nomen hujus tribunalis.

370. — 2. *Sacra Pœnitentiaria* fuit instituta *in ordine ad forum internum*, ut absolvat super peccatis et censuris reservatis, dispenset super votis, juramentis, irregularitatibus ac impedimentis occultis matrimonii, convalidet titulos beneficiorum, fructus male perceptos condonet, transitum ab una religione ad aliam concedat, etc. Simul est *tribunal fori interni seu conscientiæ*, in quo S. Pontifex per Pœnitentiarios exercet plenissimam ligandi et solvendi potestatem; et *tribunal fori externi* (1).

I. Tanquam tribunal conscientiæ considerata, Pœnitentiaria complectitur *Pœnitentiarium majorem*, qui presbyter et Cardinalis est, et officium suum, nempe certis diebus audiendi confessiones et quædam alia peragendi, per se exercere debet; et *Pœnitentiarios minores*, qui in tribus ecclesiis patriarchalibus Romæ, nempe S. Joannis in Laterano, S. Petri in Vaticano et S. Mariæ majoris, suo munere funguntur ac confessiones audiunt.

II. Quatenus externam judicii formam habet, Pœnitentiaria constat pluribus judicibus, qui communi consilio supplicationes audiunt, ac litteras dispensatorias gratis et in forma debita expediri curant.

Regens supplicationes subscribit; causam referunt procuratores; theologus et canonista *consultores* votum proferunt; *corrector*, *datarius*, *sigillator*, *procuratores* seu secretarii et *scriptores* expediunt litteras, quæ secreto diriguntur non quidem ad oratorem, sed ad tertium, nempe confessarium, in forma commissionis, ut ipse super allegatis dispenset vel absolvat in foro interno. Nomine Pœnitentiarii majoris emittuntur responsa et decreta.

371. — 3. *Dataria* est illud tribunal in quo gratiæ *pro foro externo* valituræ conceduntur et expediuntur. Sic dicitur, ex vocabulo infimæ latinitatis, quia *datam* seu diem datæ gratiæ adnotat.

Ad illam pertinent collationes beneficiorum S. Pontifici reservatorum, v. g. primæ dignitatis in capitulis cathedralibus, dispensationes super impedimentis publicis matrimonii, etc.

Tribunal Datariæ constituitur Cardinali prodatario (sic dicto, eo quod datarius sit nomen inferioris officii, Cardinalem dedecens, sicut nomen cancellarii, nuntii, etc.), subdatario, quatuor theologorum cœtu, pluribusque officialibus (2).

§ 3. — *De tribunalibus expeditionis* (3).

Tribunalia, seu potius officia quibus mandata est expeditio litterarum apostolicarum, sunt *Cancellaria* et *Secretaria apostolica*.

(1) Bened. XIV, const. *Pastor bonus* (1744). — (2) Cf. regulas 6 febr. 1901, art. 183 constantes. — (3) Phillips, *Jus ecclesiasticum*, § 121. — Stremler, *des Peines ecclésiastiques, de l'Appel et des Congrégations romaines*.

372. — 1. *Cancellaria apostolica* est tribunal in quo Bullæ scribuntur; reliquis dicasteriis (*bureaux*) antiquitate præcellit.

Apud ipsam expediuntur tum negotia consistorialia, v. g. episcopatuum erectio et provisio, tum quædam provisiones et dispensationes a Dataria concessæ, scilicet quæ formam Bullarum requirunt.

Cancellariæ nunc præsidet Cardinalis *Vice-Cancellarius* (aliis temporibus præfuit Cancellarius vel Bibliothecarius S. R. E.), cui subsunt multi officiales, nempe regens Cancellariæ, duo præsidentes, summista, plumbator, custos registri Bullarum, et duplex collegium abbreviatorum, qui dicuntur de *parco majori*, vel de *parco minori*, e loco in quo sedent, dum implent munus suum. Hi omnes bullis scribendis, revisendis, transcribendis, consignandis et expediendis navant operam. — De regulis Cancellariæ dictum est, n. 209.

373. — 2. *Secretaria apostolica* multiplex est : I. Secretaria *Memorialium*, cujus est supplices libellos excipere et offerre S. Pontifici, atque responsa litteris extendere et expedire.

II. *Secretaria Brevium* instituta est ad conficiendas litteras pontificias quæ expediuntur in *forma Brevis*.

III. *Secretaria Status*, seu Ministerium Status pontificii pro rebus extraneis, est organum quo S. Pontifex cum principibus sæcularibus communicat.

IV. Accedunt Secretarius litterarum ad principes, et Secretarius litterarum latinarum ad privatos destinatarum.

CAPUT III

DE PERSONIS QUIBUS PARS ALIQUA PONTIFICIÆ JURISDICTIONIS COMMUNICATUR

Jurisdictionem pontificiam participant diverso modo et gradu : — 1° Patriarchæ, Primates et Metropolitæ; — 2° Legati; — 3° Prælati his inferiores.

ARTICULUS I

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITIS

Declaranda veniunt : — 1. Eorum institutio; — 2. Eorum jura et insignia.

§ 1. — *De illorum institutione.*

374. — Hierarchia jurisdictionis non constat tantum S. Pontifice et singulis Episcopis, sed complectitur etiam provinciarum ecclesiasticarum præsides. Nimirum inter Summum Pontificatum et episcopatum *jure divino* institutos, *jure ecclesiastico* inserti sunt tres gradus, nempe *Patriarchæ*, *Primates* et *Metropolitæ*.

Ea est natura hierarchiæ ecclesiasticæ, ut in ea superior dignitas inferiorem non supprimat ; sed Metropolita simul est Episcopus, et Patriarcha est simul Metropolita, sicut Summus Pontifex est caput Ecclesiæ, patriarcha Occidentis, primas Italiæ, Metropolita provinciæ romanæ et Episcopus Romæ.

Investiganda est : I. Ratio horum graduum intermediorum in genere ; — II. Origo singulorum.

I. — Ratio horum graduum in genere.

375. — Hæc ratio patebit, si istorum graduum innotescant causæ efficiens, exemplaris, finalis et occasionalis.

I. *Causa efficiens.* — Cum Primatus Romani Pontificis solus Episcopis præsit jure divino, isti gradus inter Episcopos ab Ecclesia instituti sunt. Nimirum eorum auctoritas non derivatur ab episcopatu, siquidem ipsa est Episcopis superior, nec potest inferior concedere potestatem quam non habet. Igitur superest dicendum has dignitates ab auctoritate apostolica S. Petri et SS. Pontificum institutas fuisse, sive immediate, sive mediate (1).

II. *Causa exemplaris.* — Institutio provinciarum ecclesiasticarum imitatur divinam Ecclesiæ constitutionem. Quemadmodum enim omnes Episcopi, inter se ordine pares, S. Pontifici subjiciuntur, ita plures Episcopi diœcesani præsidibus provinciarum subordinantur.

III. *Causa finalis.* — Ecclesia ejusmodi gradus instituit, ut Primatus facilius exerceretur, et diœceses per provinciam in unitate confirmarentur. Etenim, sicut Pontifex Romanus est centrum unitatis in universa Ecclesia, et Episcopus in sua diœcesi, ita Patriarchæ, Primates et Metropolitæ, continent provincias in unitate, cujus imaginem præ se ferunt.

IV. *Causa occasionalis.* — Inter sedes episcopales, aliæ aliis præcellunt a primis Ecclesiæ temporibus. Etenim Apostoli, cum doctrinam suam servari integram providerent, ipsique celebriores civitates prædicatione primo pulsarent ad Evangelium citius propagandum, in iis normæ instar constituerunt Episcopos solertius formatos, eosque aliis ejusdem provinciæ Episcopis cum potestate quadam præpositos esse voluerunt, ut fidei et communionis unitatem tuerentur, et negotia sæpius conciliariter tractarent.

Jamvero in partitione provinciarum ecclesiasticarum Apostoli suum fecerunt statum provinciarum imperii romani, eo quod ex aliis civitatibus cives ad metropoles confluebant, atque illarum Episcopis major auctoritas visa est tribuenda ad totius provinciæ bonum. Unde pro diverso suo gradu, Patriarchæ, Primates, aut Metropolitæ vocati sunt Episcopi majorum civitatum, a quibus lux veritatis ad cæteras se diffuderat ; et factum est ut quæ jam in ordine civili metropoles erant, in ordine spirituali Ecclesiæ matres evaderent (2).

(1) Audisio, *Droit public de l'Église*, liv. I, tit. XV. — (2) Zallinger, *Jus ecclesiasticum publicum*, cap. V.

II. — Origo singulorum graduum

1. — *Origo Patriarcharum.*

376. — Post Romanum Pontificem, inter Episcopos eminent *Patriarchæ* (etymologice *patrum principes*), qui Primatibus præstant sicut primates Metropolitis, et Metropolitæ Episcopis. — Eorum dignitas invaluit ante ipsorum nomen et ante sæculum IV^m^, cum illam concilium Nicænum confirmaverit, non quatenus inductam ex antiqua consuetudine tantum, sed quatenus ab auctoritate Sedis Apostolicæ profectam.

Non eadem semper de hac dignitate fuit disciplina ; quare dicemus de ea primo juxta *disciplinam veterem*, deinde juxta *novissimam disciplinam*.

A) Patriarchæ juxta veterem disciplinam (1).

377. — I. *Patriarcharum prior numerus.* — Tres primitus exstiterunt patriarchales Ecclesiæ, videlicet, præter Romanam, Antiochena et Alexandrina, ampliorem jurisdictionem assecutæ, non ex ipso civitatum splendore civili, sed e copiosiori principatus B. Petri effusione. — Titulo patriarchali merito donatæ sunt Roma, Antiochia et Alexandria. Etenim, non solum S. Petrus *Romam* venit, et in eadem urbe summum Pontificatum constituit ; verum etiam Ecclesiam *Antiochenam* ipse rexerat, et *Alexandrinam* per Marcum discipulum fundavit. Quapropter istæ Ecclesiæ dici cœperunt patriarchales, et visæ sunt dignæ quibus majora quam cæteris concederentur jura.

II. *Accessio patriarchatus Hierosolymitani* et *Constantinopolitani.* — Ecclesia Hierosolymitana, ob memoriam mysteriorum salutis humanæ, honore patriarchali aucta est a Patribus Nicænis ; potestatem vero patriarchalem accepit in Concilio Chalcedonensi.

Translato Constantinopolim seu Bysantium Romano imperio, hinc non augebantur prærogativæ Episcoporum Byzantinorum, si quidem distinctio graduum episcopalium pendet a potestate spirituali S. Pontificis. Verum Episcopi Bysantini, pertinaciter honorem ambientes, patriarchatum invitis SS. Pontificibus usurparunt, ex eo quod Constantinopolis esset nova sedes imperii. Initio noluit Sancta Sedes id ratum habere; præsentiebat enim exitium Ecclesiæ orientalis ex superbia Byzantina enasciturum. Successu temporis, Romani Pontifices, moti precibus imperatorum, rem probaverunt, sive ut majus malum prævenirent, sive ut necessitati deinceps ineluctabili acquiescerent.

III. *Divisio Orientis et Occidentis inter majores Patriarchas.* — Pontifex Romanus est simul caput Ecclesiæ universalis et Patriarcha Occidentis. Præter illum, quatuor sunt Patriarchæ orientales. Propterea *quinque* numerantur majores patriarchatus.

Controversum fuit de ordine præcedentiæ inter quatuor orientales ser-

(1) Schelstrate, *Antiquitas Ecclesiæ*, t. II, dissert. VI. — Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, t. I, lib. I. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. III, cap. I.

vando. Innocentius III, veteri rerum statu mutato, privilegia sedium patriarchalium renovavit, et inter eas hunc ordinem constituit : 1. Ecclesia Romana ; — 2. Constantinopolitana ; — 3. Alexandrina ; — 4. Antiochena ; 5. Hierosolymitana.

B) Patriarchæ juxta novissimam disciplinam (1).

378. — I. *Patriarchæ titulares.* — Patriarchatus Orientales nomine solum perseverant. Equidem non alio fine ad tantum honoris et potestatis fastigium Patriarchæ Orientales evecti erant, nisi ut abundantiorem principatus apostolici participationem adepti, et sic cum Sancta Sede arctius colligati, pariter suas Ecclesias ad unitatis centrum devincirent. Verum in schisma lapsi sunt, et eorum sedes eo ipso amiserunt jura patriarchalia a R. Pontifice profluentia.

At S. Pontifex, ne insignium Ecclesiarum memoria oblivione deleatur, dignitatem partriarchalem confert quibusdam Episcopis latinis, qui Romæ plerumque commorantur, nulla jurisdictione præditi, et propterea dicuntur Patriarchæ titulares.

II. *Patriarchæ diversorum rituum.* — Ex ruinis patriarchatuum orientalium exortæ sunt aliæ dignitates patriarchales pro variis ritibus Ecclesiarum orientalium. Sic catholici *Armeni*, *Chaldæi*, *Melchitæ* et *Maronitæ* suos habent Patriarchas, qui confirmationem a Romano Pontifice consequuntur (2) ; et anno 1895 restitutus est patriarchatus alexandrinus pro Coptis.

III. *Patriarchæ minores.* — In Ecclesia Latina sunt alii Patriarchæ, minores dicti, scilicet *Venetus*, *Ulyssiponensis*, *Indicus* in Hispania, et *Goanus* in Indiis orientalibus, qui, licet Romanæ Sedis privilegio donati fuerint nomine Patriarcharum, jurisdictione tamen Metropolitas vix superant.

2. — *Origo Primatum seu Exarcharum* (3).

379. — I. Dum patriarchalium Ecclesiarum dignitas originem habuit ex singulari reverentia in B. Petrum, Apostolorum principem, Primates super Metropolitas constituti sunt eadem causa, qua Metropolitæ pluribus Episcopis præficiuntur ; et sicut Metropolitæ seu Archiepiscopi dicuntur Episcopi qui in *metropoli* singulis provinciis præsident, ita Primates in singulis nationibus *primas* sedes episcopales obtinent.

II. In Occidente, *Primates* proprio nomine appellati sunt Episcopi sedium quibus vicariatus apostolicus quondam annexus fuit, cum titulo *Legati nati*. Pluribus solum nomen sine ulla potestate relictum est, cum aliquo tamen honoris jure ; quare in Concilio Vaticano super Archiepiscopos

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. III. — (2) In orientalibus ecclesiis, nunc patriarchæ in episcopos et archiepiscopos obtinent et exercent jurisdictionem patriarchalem, primatialem et archiepiscopalem ; nam archiepiscopi titulus est honoris tantum, non jurisdictionis. Econtra, in Ecclesia latina tituli patriarchæ et primatis fere honoris tantum sunt, dum archiepiscopi metropolitanam obtinent jurisdictionem in episcopos. — (3) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. II, cap II.

præeminentiam habuerunt. Hunc gradum habere censentur Episcopus Toletanus in Hispania, Lugdunensis in Gallia, Salisburgensis in Germania, Mechliniensis in Belgio, etc.

III. In Oriente, Primatibus æquipollebant tres *Exarchæ*, paulo Patriarchis inferiores, nempe episcopi Ephesi in Asia, Cæsareæ in Ponto, et Heracleæ in Thracia Sed eorum jura sensim imminuta jamdudum interierunt, siquidem ex illorum provinciis formatus fuit patriarchatus Constantinopolitanus.

3. — *Origo Metropolitarum* (1).

380. — I. *Metropolitæ* dicuntur Episcopi qui, præter propriæ diœcesis regimen, præsunt uni provinciæ ecclesiasticæ, atque episcopis non exemptis in ea existentibus. *Provincia* vero est quædam ecclesiastici territorii pars, pluribus constans diœcesibus, quarum Episcopi nuncupantur *suffraganei*, eo quod in Concilio provinciali jus suffragii habent. Metropolitæ vocantur etiam Archiepiscopi, et ambo nomina plerumque idem significant. Attamen, si contingat quod Archiepiscopus, ut passim in Italia, nullos Episcopos suffraganeos habeat, Metropolita non appellatur.

II. De Metropolitarum origine immerito controvertitur, num ista dignitas ab Apostolis, vel post eorum ætatem fuerit inducta. Ex supra dictis, ipsi Apostoli videntur instituisse velut vicarios suos in provinciis quosdam Episcopos, qui non solum suæ diœcesis curam haberent, sed etiam aliis Episcopis ejusdem provinciæ præessent. — Hujus institutionis apostolicæ specimen perspicuum exhibet S. Paulus, qui Titum toti insulæ Cretæ, et Timotheum toti provinciæ Asiæ præfecit.

Exemplum divisionis Ecclesiæ in provincias juxta civilem imperii partitionem, proponere videntur S. Petrus (1 *Ep.*, I, 1), S. Joannes (*Apoc.*, I, 4 et 11), S. Paulus dum scribit vel ad provincias (*Gal.*), vel ad metropoles (*Corinth.*, *Ephes*, *Thess.*), vel ad primarios Episcopos (*Tit.*, *Tim.*). Res sequentibus temporibus a Sancta Sede perfecta est, et Concilium Nicænum eam confirmavit.

§ 2 — *De juribus et insignibus Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum.*

I. — Illorum jura (2).

381. — Generaliter animadvertendum est illud tantum eis competere quod fuit expresse concessum, adeo ut de certa juris specie adversus Episcopum contendens Archiepiscopus in se suscipiat onus probationis. — Hujus regulæ ratio in eo posita est, quod omnes Episcopi infra S. Pontificem vi suæ dignitatis pares sint, nec alteri detur singularis prærogativa in alterum, nisi hæc derivetur ab auctoritate Sedis Apostolicæ. Unde ait Innocentius III : « Primates vel Patriarchæ nihil juris præ cæteris

(1) Thomassinus *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, t. I, lib. I. — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. III.

habent, nisi quantum canones concedunt (1). » Cum diversa, diversis temporibus, hac de re viguerit disciplina, præfata jura exponenda sunt tum juxta veterem, tum juxta nunc vigentem disciplinam (2).

382. — Juxta veterem disciplinam, inter *jura Patriarcharum*, tria erant præcipua : Metropolitas ordinare in provinciis sibi subjectis, concilia convocare et dirigere, appellationes a Metropolitarum judiciis admittere. — Verum hodie dignitates patriarchales et primatiales, præsertim in Ecclesia latina, quoad jurisdictionem fere evanuerunt.

383. — Jus antiquum *Metropolitis* conferebat potestatem confirmandi et judicandi Episcopos; verum hæc duo jamdudum Sedi Apostolicæ fere ex integro reservata sunt a Summis Pontificibus et a Concilio Tridentino.

Horum jura in propria diœcesi non differunt ab ordinaria Episcoporum potestate. Extra diœcesim, ad casus in jure expressos jurisdictio eorum limitatur sive in Suffraganeos, sive in Suffraganeorum subditos.

I. Jura Metropolitarum in *Suffraganeos*. — 1° Singulis trienniis Concilium provinciale convocant, eique præsident; — 2° Suffraganeorum negligentiam supplent, ex dispositione juris; — 3° minores causas criminales Episcoporum in concilio provinciali possunt cognoscere, gravioribus Pontifici Romano reservatis.

II. Jura in *Suffraganeorum subditos* Metropolitæ nulla habent, nisi in *appellatione*, in *visitatione* et in *devolutione*. Unde 1° appellationes a sententia Suffraganeorum suscipiunt et judicant; — 2° causa cognita et probata in Concilio provinciali, possunt diœceses visitare; — 3° sede suffraganei vacante, vicarium capitularem ex jure devolutionis constituunt, si capitulum intra octo dies a morte Episcopi neglexerit eum constituere (3) (Cf. *Conc. Trid*, sess. V, c. v, *de Reform.*, § *Si quæ*).

II. — Insignia Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum.

384. — Duo sunt hodie communia Patriarchis, Primatibus et Metropolitis insignia, scilicet *crux* ante illos incedentes erigenda, et *pallium* super vestes pontificales certis diebus deferendum.

I. *Crux* (4) habetur velut vexillum Ecclesiæ militantis et argumentum christianæ patientiæ. Delatio erectæ crucis olim fuit insigne Summorum Pontificum, quia nusquam progrediuntur, nisi ad imperium Christi stabiliendum aut propagandum. Hoc insigne ab Apostolica Sede, primum suis Legatis, deinde Patriarchis, postea Primatibus, demum aliquibus Archiepiscopis concessum est. Ætate vero Clementis V, jus præferendæ crucis omnes Metropolitæ obtinuerunt, ut manifestum est ex *Clementinis* (5). Crux archiepiscopalis est formæ communis, dum patriarchalis et primatialis duplex lignum transversum habet.

385. — II. *Pallium* (6) est fascia lanea candida, tres circiter digitos

(1) *Decretalium*, lib. I, tit. XXXI, *de Officio judicis ordinarii*. — (2) Schelstrate, dissert. *de Auctoritate patriarchali et metropolitana*. — (3) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. II, cap II — (4) Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II, cap. VIII. — (5) Clement., *de Privilegiis*. — (6) *Decretalium* lib. I, tit. VIII, *de Auctoritate et usu pallii*.

lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, et habet duas lineas ante pectus et supra dorsum pendentes, cum sex sericis crucibus nigri coloris. Plura texuntur ex lana duorum agnorum qui die S. Agnetis Romano Pontifici offerri solent, cui alia mundissima adjungitur, quantum opus est; a S. Pontifice vel a cardinali qui eo absente pontificalia agit, in vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli benedicuntur, et postea in arcula argentea prope corpus S. Petri deponuntur, petentibus Archiepiscopis concedenda et imponenda.

1. Pallii *rationem* et *originem* præbet ipsa institutio hierarchiæ jurisdictionis. Constitutis enim gradibus, sacris ornamentis oportuit etiam illos distingui, qui supra cæteros eminebant. Sicut Episcopi a presbyteris, presbyteri a diaconis ornatu sacro distinguebantur, ita Patriarchæ, Primates et Metropolitæ ab Episcopis discerni cœperunt; quod factum est ope pallii, cum non aliud occurrat inter eos ornamenti discrimen.

2. Pallium *significat* participationem primatus apostolici, derivatam ex plenitudine quæ in successoribus B. Petri residet. Propterea e corpore B. Petri sumitur, *S. Pontifex solus semper et ubique* in missis solemnibus illo utitur, et non datur archiepiscopis *titularibus* (1).

3. Pallium est insigne ita *necessarium* ut, eo nondum accepto, archiepiscopus dici debeat electus, neque possit actus ipsi proprios exercere. Eo amisso vel corroso, novum peti debet. Est omnino *personale*, ita ut commodari nequeat ; mutata Ecclesia, novum postulatur ; mortuo Archiepiscopo, cum eo deponitur in sepulcro ; dimissa vero dignitate, amplius nequit usurpari.

4. *Collatio* pallii duos actus complectitur, nempe concessionem et traditionem. — *Concessio* fit a solo Rom. Pontifice, præmissa ab Archiepiscopo ejusdem petitione intra tres menses a recepta consecratione, vel, si consecratus jam fuerit, a confirmatione ; per se, si Romæ præsens sit, per procuratorem, si absens. — *Traditio* fit a primo Cardinali diacono, si is qui pallium obtinuit in Urbe sit, vel procurator ejus nomine agat; si vero absens, sub pœna nullitatis ab ipso Archiepiscopo qui a Rom. Pontifice fuerit delegatus. Per eum qui pallium recipit prius debet præstari juramentum fidelitatis erga Romanum Pontificem.

5. *Usus* pallii definitus est tum quoad locum, tum quoad tempus. — *Locus* est intra fines propriæ jurisdictionis, nempe diœcesim et provinciam, etiam in locis exemptis. — *Tempus* coarctatur ad missarum solemnia, in diebus qui in instrumento concessionis pallii et in *Cæremoniali Episcoporum* designantur (2).

Præter archiepiscopos, quibus ex jure competit Pallium, quidam Episcopi illud ex privilegio gestant. Illud vero privilegium est vel locale et perpetuum, v. g. Augustoduni, Anicii et Massiliæ, in Gallia ; vel personale, v. g. in hodierno episcopo Montispessulani ; et merum honorem confert sine ulla præcedentia.

III. Leo XIII, 21 april. 1893, concessit omnibus patriarchis tribui titulum *Excellentiæ reverendissimæ ;* antea vero soli orientales titulo *Beatitudinis* solebant appellari.

(1) Vespasiani, *Dissertatio de Pallio.* — (2) Zitelli, *Apparatus juris ecclesiastici*, lib. I, tit. II, cap. III, art. I. — Cf. *Cæremoniale Episcoporum*, cap. XVI.

ARTICULUS II

DE LEGATIS

Dicemus : 1° De eorum institutione ; — 2° de illorum juribus.

§ 1. — *De Legatorum institutione.*

Declarandæ sunt : — 1. Ratio hujus dignitatis in genere ; — 2. historia et variæ species Legatorum.

I. — Ratio hujus dignitatis in genere (1).

386. — Legationis nomen, latissime sumptum, pro quacumque missione usurpatur. Proprie vero Legati dicuntur illi Summorum Pontificum ministri qui, sive ordinaria sive extraordinaria jurisdictione instructi, vices eorum in provinciis agunt.

387. — I. *Causa institutionis* Legatorum fuit necessitas agendi per alios, cum SS. Pontifices per se agere magna locorum distantia prohiberentur. Nimirum S. Pontifex, omnium ecclesiarum sollicitudinem gerens, in dissitis regionibus fungitur apostolico munere per ecclesiasticos viros, sive stabiliter, sive ad tempus delegatos, præcipiens eis ut ubi vices suas obeunt, eam jurisdictionem exerceant quam ipse per se, si adesset, exerceret.

Legati alii sunt *extraordinarii*, alii vero *ordinarii*. Extraordinarii mittuntur ad peculiare negotium expediendum, et eorum officium absoluto negotio expirat ; sic SS. Pontifices ad convocanda concilia, eisque præsidendum, Legatos sæpe miserunt. Ordinarii Legati non sunt peculiari negotio addicti, sed constituuntur ad bonum promovendum, id est, ad quascumque causas ecclesiasticas ; quorum proinde officium est stabile.

388. — II. *Summo Pontifici competit jus mittendi legatos, etiam stabiles.*

Prob. 1. *Ex jure Primatus.* — Pontifex Romanus, vi Primatus, non tantum est centrum unitatis, sed ei insuper incumbit cura exsequendi omnia quæ universalis Ecclesiæ salus postulat. Hæc autem negotia personalem præsentiam sæpius exigunt, quam S. Pontifex, variis distentus impedimentis, per se ipsum exhibere non valet. Proinde cum potestate ponticificia, tanquam medium necessarium ad finem, conjungitur jus mittendi, sive ad tempus sive stabiliter, viros idoneos qui statum gregis proxime inspiciant, et ad Summum Pastorem fideliter de eo referant. Nimirum Legationes, præsertim ordinariæ et stabiles, multum conferunt, tum assidua Legatorum vigilantia, tum stabili eorum auctoritate, ad custodiendum fidem, mores et disciplinam.

Prob. 2. *Ex praxi constanti.* — Legationum usus perpetuus, qui juris signum indubium est, saltem a sæculo IV° initium habuit, ex quo pax

(1) Pii VI, *Responsio super nunciaturis apostolicis*, cap. VIII. — Zallinger, *Jus canonicum* lib. I, tit. XXX. — Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, pars II, cap. 1.

Ecclesiæ data est, et usque ad nostra tempora sine intermissione duravit (1).

389. — III. *Romani Pontificis juri respondet obligatio recipiendi Legatos.* — Si SS. Pontificibus denegari non potest jus proprium et plenissimum legatos ubique mittendi, vicissim principibus incumbit obligatio ne eos ab ingressu in terras suas prohibeant, aut legitimis eorum functionibus obstacula ponant.

Prob. 1. *Ratione.* « Si verum est jure publico honorabiles esse, et veluti sacros haberi legatos principum ad quascumque gentes directos, nemo inficias ire poterit, venerabiliores esse Legatos pontificios, qui ad utilitatem Ecclesiarum per provincias mittuntur (2). »

Prob. 2 *Ex voluntate Christi.* Vi Primatus, Summo Pontifici incumbit cura totius orbis christiani, atque in rebus ad salutem animarum pertinentibus jurisdictio ejus ubique sese extendit (3).

II. — Historia et variæ species Legatorum.

390. — A primis Ecclesiæ sæculis ad hæc usque tempora, Romani Pontifices in remotis locis sub variis nominibus constituerunt ecclesiasticos viros, sive ex provinciarum Episcopis selectos, sive ab Urbe missos, qui opportunis facultatibus muniti suas vices illic obirent.

Pius VI, in præclaro opere cui titulus : *Responsio super Nunciaturis apostolicis*, historiam Legatorum distinguit in tres periodos, quarum primam a sæculo IV° ad IX^m^ protrahit, alteram a sæculo IX° ad XV^m^, tertiam a sæculo XV° usque ad nos deducit. Varia, decursu temporum, nomina obtinuere : in prima epocha dicebantur *Apocrisiarii* et *Vicarii Apostolici ;* in secunda, *Legati nati* et *Legati ab Urbe missi ;* in tertia, *Legati a latere* et *Nuntii Apostolici.*

Prima periodus : *Apocrisiarii* et *Vicarii Apostolici.*

391. — I. *Apocrisiarii* seu *Responsales (Correspondants)* apud aulam imperialem morabantur, ut principibus responsa Pontificum et Pontificibus responsa principum patefacerent.

Eorum *originem* Hincmarus repetit a temporibus quibus sedem imperii Constantinus transtulit ; et ex epistolis S. Leonis constat illos esse sæculo quinto antiquiores (4).

Ad *potestatem* quod attinet, Apocrisiarii modo majori, modo minori auctoritate fulgentes, aliquando delegati erant ad disciplinam in provinciis instaurandam ; sed plerumque, jurisdictione carentes, universa Ecclesiæ negotia non prosequebantur.

Cum negotia præsertim ad pacem Ecclesiæ firmandam tractarent, controvertitur an habuerint stabilem aliquam jurisdictionem. « Rara non erat Apocrisiariorum jurisdictio, ex Thomassini sententia (5)..... Ex eodem Thomassino, adeo tenuis

(1) Audisio, *Idée historique et rationnelle de la diplomatie ecclésiastique.* — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum.* — (3) Pii IX const. *Quanta cura.* — (4) Hincmari Opera, t. II, p. 206. — S. Leonis I epist. 111 ad Julianum, 113 ad Marcianum. — (5) Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, t. I, liv. II.

et exigua non erat illorum jurisdictio, cum eos delegatos referat ad disciplinam in provinciis redintegrandam, ad servandam canonum custodiam, uno verbo, ad personam Papæ repræsentandam (1). »

392. — II. *Vicarii Apostolici* olim dicti sunt nonnulli civitatum spectabilium Episcopi, quibus Apostolica Sedes munus *legationis stabilis* committebat ; quales fuerunt Episcopus Thessalonicensis in Illyrico, et Episcopus Arelatensis in Gallia. Illorum institutio jam ab ineunte sæculo v° habita fuit tanquam antiqua Ecclesiæ disciplina.

Hi Vicarii apostolici jure legationis præerant vicinis Episcopis, atque exercebant facultatem visitandi Ecclesias, ordinandi Metropolitas, concilia convocandi, referendi ad Sanctam Sedem de statu Ecclesiarum, et judicandi plurimas causas. Eorum legatio, quæ initio extraordinaria fuerat, a SS. Pontificibus renovata, evasit ordinaria (2).

Secunda periodus : *Legati nati* et *Legati missi* (3).

393. — I. *Legati nati*, quorum munus viguit præsertim a sæculo IX° ad sæculum XV^m^, suffecti sunt in locum Vicariorum apostolicorum, ex quibus originem suam duxerunt. Cum enim Romani Pontifices solerent aliquos Metropolitas munere Legatorum decorare, factum est ut vicariatus apostolicus ipsis Episcoporum sedibus perpetuo annecteretur, atque adeo jam non esset dignitas personalis, sed realis.

Itaque *Legati nati* dicti sunt Episcopi qui titulo Ecclesiarum suarum sibi vindicabant legati dignitatem. Hanc obtinuisse perhibentur Episcopi Remensis, Bituricensis et Lugdunensis, in Gallia ; Cantuariensis, in Anglia ; in Germania, Salisburgensis ; in Italia, Pisanus ; in Hispania, Toletanus ; etc.

Nomine tantum a Vicariis apostolicis olim differebant Legati nati, qui tamen facultates habebant paulo minores, et tenebantur Legatis a latere missis cedere. Nunc æquiparantur *Primatibus*, quibus a sæculo XV° titulus sine potestate relictus est.

394. — II. *Legati missi.* Jam ante sæculum IX^m^, præter Vicarios apostolicos stabili jurisdictione munitos, Romani Pontifices deputabant ad tempus Legatos *extraordinarios*, quoties id opportunum existimabant pro negotiis majoris momenti componendis. — Verum a sæculo XI° frequentiores evaserunt istæ legationes, eo quod Legatorum natorum jurisdictio non sufficeret ad abusus tollendos.

Postea vero, sive quia Legati nati jurisdictione sua abutebantur, sive quia Metropolitæ illos ægre ferebant, sive quia æmulatio adversus indigenos Legatos exarserat, Apostolica Sedes iniit consilium *mittendi* viros exteros, nulli parti addictos, principibus gratos et ecclesiastica dignitate fulgentes, eosque *stabili potestate legationis* muniendi, scilicet ordinarias nunciaturas instituit (4).

(1) Pius VI, *Responsio super nunciaturis apostolicis*, cap. VIII. — (2) Bouix, *de Curia romana*, pars IV. — (3) *Decretalium* lib. I, tit. XXX, *de Officio legati*. — (4) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. II.

Tertia periodus : *Legali a latere* et *Nuntii apostolici.*

A sæculo XV° ad nostram ætatem, jurisdictio non competit nisi Legatis missis, qui distinguuntur in Legatos a latere et Nuntios apostolicos.

395. — I. *Legati a latere* designantur ex numero Cardinalium, qui S. Pontifici semper adhærere videntur ; unde quasi ex latere S. Pontificis procedunt, ut ipsius vicibus in aliquo gravi negotio fungantur.

Dignitate et prærogativis supra cæteros Legatos eminent. Utuntur enim apostolicis insignibus ; ad fines suæ provinciæ devenientes solemniter recipiendi sunt ; eis præsentibus, suspensa manet potestas aliorum Legatorum, Archiepiscopo crux non præfertur, Episcopus populo non benedicit. Demum amplissima fruuntur auctoritate, quam describunt litteræ apostolicæ quibus deputantur.

Olim S. Pontifex Legatis a latere frequentius utebatur. A tempore vero Concilii Tridentini, rarius his utitur, et solum urgente causa publica, tum quia forte causæ legationum non sunt ita frequentes, tum quia politicæ potestates Cardinalibus legatis plurimas difficultates opponunt.

396. — II. *Nuntii apostolici* sunt legati qui ad supremos principes christianos stabili missione diriguntur, ut apud eos repræsentent pontificiam auctoritatem. Expediunt negotia occurrentia, Ecclesiæ romanæ jura tuentur, et S. Pontificem de statu Ecclesiarum certiorem faciunt.

Nunciaturæ aliæ sunt *primi ordinis*, aliæ *secundi ordinis.* — Primi ordinis sunt eæ quæ viam ad cardinalitiam dignitatem immediate sternunt ; tales sunt nunciaturæ Hispaniæ, Galliæ, Austriæ et Lusitaniæ. — Cæteræ nunciaturæ sunt secundi ordinis, v. g. in Belgio.

Dicuntur *Internuntii* vel *Delegati* legati extraordinarii, munus nuntii obeuntes in regionibus in quibus vacat nunciatura (1), vel non est constituta, maxime apud infideles ; *Pronuntii* vero, nuntii ad cardinalatum assumpti.

§ 2. — *De juribus Legatorum.*

Exponenda veniunt : 1. Potestas communis omnibus Legatis ; — 2. jura Legatorum a latere ; 3. jura Nuntiorum.

1. — Potestas communis omnibus Legatis (2).

397. — I. Nomine S. Pontificis omnes Legati exercent potestatem *ordinariam* in provincias sibi commissas. Ratio est, quia charactere repræsentativo gaudent, ad instar præsidum quibus olim Romani certas provincias moderandas committebant.

Proinde possunt edere statuta quæ perpetuam vim habeant ; neque ipsorum officium exspirat morte Pontificis a quo missi sunt, cum repræsentent ipsam sedem apostolicam, quæ non moritur, non vero solam personam Pontificis.

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. I, tit. III. — (2) *Decretalium* lib. I, tit. XXX, *de Officio legati.*

II. Munus Legatorum est *invigilare* in provinciam sibi commissam, Ecclesias in reverentia et obedientia erga Sedem Apostolicam continere, juris ecclesiastici observantiam promovere, abusus et excessus corrigere, vel etiam, si quid facultates ipsorum excedat, relationes de statu Ecclesiarum scribere.

In provincia sua regulariter possunt, vi muneris sui, quod potest Ordinarius in sua Ecclesia, exceptis iis quæ vel S. Pontifici vel Episcopis reservantur. Sic Legati jam non judicant in prima instantia, quam Concilium Tridentinum Episcopis reservavit.

III. Potestas Legati omnino pendet a voluntate Pontificis illum mittentis, eo fere modo quo potestas Vicarii generalis pendet a voluntate Episcopi eum constituentis. Proinde S. Pontifex potest hanc jurisdictionem extendere vel restringere. Sic amplissimæ facultates a Pio VII collatæ fuerunt Card. Caprara, in Gallia Legato a latere, ad executionem Concordati (anno 1802).

II. — Jura Legatorum a latere (1).

398. — I. Ex Decretalibus, Legatis a latere competunt plurima jura :

1. Ipsis præsentibus, aliorum Legatorum jurisdictio conquiescit, nisi causa quædam ipsis peculiariter commissa sit. Ratio est, quia Cardinalis legatus, cum a latere S. Pontificis sit sumptus, perfectius repræsentat S. Pontificem.

2. Jurisdictionem ordinariam habent in exemptos et Sedi Apostolicæ immediate subjectos, exceptis casibus S. Pontifici specialiter reservatis.

3. A die egressus sui ex Urbe usque ad diem reditus in Urbem, possunt absolvere ab excommunicatione quæ incurritur ob percussionem clericorum.

4. Habent potestatem ordinariam, concurrentem cum ordinariis collatoribus, conferendi beneficia, multis tamen exceptis.

II. Hodie, ad dignoscendam uniuscujusque Legati a latere potestatem, principaliter attendendæ sunt *litteræ apostolicæ* in quibus facultates ipsis concessæ exprimuntur.

III. — Jura Nuntiorum (2).

399. — I. Nuntiorum potestas potissimum desumenda est ex litteris apostolicis quibus instruuntur; nam jure communi aliam potestatem non habent, quam quod provinciæ suæ sint Ordinarii.

Hæc potestas multo minor est potestate Legatorum a latere. Etenim 1. Nuntii, vi legationis suæ, non habent potestatem conferendi beneficia, nisi hoc ipsis specialiter sit concessum.

2. Eorum jurisdictio se non extendit in exemptos, qui compelli non possunt ut coram eis litigent.

3. Absolvere nequeunt ab excommunicatione canonis ob percussionem clericorum, nisi intra provinciam suam.

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. XXX, — (2) Id., *ibid.*

II. Quidam Nuntii mittuntur *cum potestate Legati a latere;* sed vi hujus clausulæ majorem potestatem ultra cæteros Nuntios non habent, nisi quantum ipsis a S. Pontifice speciali mandato concessum est.

ARTICULUS III

DE PRÆLATIS INFRA METROPOLITAS ET LEGATOS PARTICIPANTIBUS JURISDICTIONEM PONTIFICIAM.

Hi sunt : 1. Vicarii et Præfecti apostolici ; — 2. Abbates et cæteri prælati.

§ 1. — *De Vicariis et Præfectis Apostolicis* (1).

400. — Juxta disciplinam vigentem, *Vicarius apostolicus* dicitur Prælatus a Sede Apostolica deputatus ut alicujus regionis spirituale regimen nomine Summi Pontificis suscipiat.

Equidem, cum episcopatus fuerit a Christo institutus, S. Pontifex Ecclesiam non gubernat sine Episcopis ; et regula generalis est quod Ecclesiæ particulares ab Episcopis diœcesanis proprio nomine regantur. Attamen nonnullarum Ecclesiarum regimen committitur eis qui non sunt proprii earum Episcopi, eas nomine S. Pontificis gubernant, ideoque vocantur Vicarii apostolici.

Vicarii apostolici alii apud missiones, alii apud diœceses constituuntur.

I. — Vicarii apostolici apud missiones (2).

401. — I. Missionibus territorium separatum habentibus præficiuntur *Vicarii apostolici* et *Præfecti apostolici ;* cæteris vero superiores missionum tantum (3).

Vicarii apostolici proprie dicti solent episcopali charactere insigniri, et simul promoveri ad titulum cujusdam antiquæ Ecclesiæ, quæ Episcopum residentialem non habet.

Præfecti apostolici sunt presbyteri, qui cum minoribus facultatibus administrationi rerum sacrarum præsident, in locis ubi nondum constitutæ sunt diœceses, nec vicariatus apostolici, potissimum apud colonias transmarinas.

II. Ad *potestatem* Vicariorum apostolicorum quod attinet, triplex quæstio solvenda est : 1° quomodo constitui soleant; 2° qualis sit illorum auctoritas ; 3° ad quem jurisdictio transeat, defuncto Vicario apostolico.

1° Duplici modo constituuntur : — 1. Si promovendus præsens sit Romæ vel in Italia, vel si Romæ adsint duo viri qui de ipso testimonium ferre possint, fit processus informativus *super qualitatibus personæ.* —

(1) Andreucci, *de Vicario apostolico* (Hierarchia ecclesiatica, t. I). — Bouix, *de Curia romana*, pars IV. — (2) Benedictus XIV, const. *Apostolicum* — *De Synodo diœcesana*, lib. II, cap x. — (3) Decret. S. C. de Prop. Fide, 12 sept. 1896.

2. Si vero etiam testes deficiant, ut sufficiens habetur judicium S. Congregationis de *Propaganda Fide*, quæ virum a S. Pontifice eligendum proponit (1).

2º Vicarii apostolici non sunt *Ordinarii* proprie dicti, sed ex delegatione exercent potestatem ordinariam, scilicet quæ diœcesanis Episcopis ordinarie inest. — Ex eo quod exercent ordinariam potestatem, sequitur eos pollere facultatibus quæ necessario connexæ sunt cum regimine et administratione Vicariatus tum in foro interno, tum in foro externo. — Ex eo quod non sunt proprie ordinarii, sequitur eos non teneri pro populo missam celebrare (2), neque eis competere quæ ad capitulum cathedrale pertinent, neque facultatem habendi vicarios generales proprie dictos, neque facultates extraordinarias quæ a jure conceduntur Episcopis. Alias tamen, hasque amplissimas facultates obtinent.

3º Omnibus Vicariis apostolicis mandatum est, *ut deputent unum saltem Vicarium*, qui, eveniente illorum obitu, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus, teneatur assumere regimen apostolici vicariatus, usque ad captam possessionem a novo Vicario apostolico (3).

II. — Vicarii apostolici apud diœceses (4).

402. — In regionibus in quibus exstat ordinaria hierarchia, Vicarii seu administratores apostolici deputantur ad regendam diœcesim vel sede vacante, vel sede plena.

I. Ad diœcesim regendam, *sede vacante*, Administrator apostolicus deputatur in multiplici casu, v. g. si Episcopus mortuus sit morte violenta, si sedes diu vacatura prævideatur, si alia causa gravis id suadeat. Mittitur a Summo Pontifice cum Brevi, vel a Congregatione *Episcoporum et Regularium* cum litteris ejusdem.

Ipsi competit sola jurisdictio quam habet Vicarius capitularis sede vacante (cf. n. 464-470), nisi administratio *plena et libera* in spiritualibus et temporalibus ei a Sede apostolica committatur; nam tunc potest libere exercere omnia quæ jurisdictionis episcopalis existunt, et quæ potest electus exsequi confirmatus (5).

II. Ad diœcesim regendam, *sede plena*, deputatur *Administrator apostolicus*, quando Episcopus impeditur quominus proprium gregem per semetipsum pascere valeat, sive sine culpa inhabilis agnoscatur, sive propter culpam ab administratione diœcesis removeri debeat.

Jurisdictionis exercitium totum spectat ad administratorem apostolicum, siquidem Episcopus removetur ab omni jurisdictione et diœcesis administratione.

§ 2. — *De Abbatibus et cæteris Prælatis inferioribus.*

403. — Prælatus proprie dicitur clericus qui jurisdictionem episcopa-

(1) Benedictus XIV, const. *Gravissimum*. — (2) Id., *ibid.* — (3) Id., Const. *Ex sublimi*. — Cf. Zitelli, *Apparatus*, lib. I, cap. IV, art. 2. — (4) Bouix, *de Curia romana*, pars IV, cap. III — Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. X. — (5) *De electione*, c. 42, *Is cui* in 6. — Bened, XIV, *de Synodo*, l. II, cap. X, 6-10.

lem vel quasiepiscopalem in foro externo exercet, sive abbatis nomine designetur, sive alio. Itaque omnis Episcopus residentialis est Prælatus, sed prælatus inferior non est Episcopus.

Breviter de prælatis inferioribus dicemus, 1° indicando varias illorum species, 2° eorum potestatem declarando.

I. — Variæ prælatorum inferiorum species (1).

404. — Prælati Episcopis inferiores considerantur ratione personarum et ratione exemptionis ab Episcopi jurisdictione.

I. *Ratione personarum*, Prælati sunt regulares, vel sæculares.

1. *Prælati regulares.* — Abbatis seu patris nomine optime designatur is qui monasterio regularium præest, eo quod potestate vere paterna regit religiosam familiam; sed alia passim usurpantur nomina. Porro monasteriorum superiores sunt triplicis gradus, scilicet: *generales*, qui toti alicui religioso ordini præsunt; *provinciales*, qui monasteriis provinciæ præficiuntur; et *superiores locales*, qui uni tantum monasterio invigilant.

2. *Prælati sæculares* sunt illi qui habent beneficia ecclesiastica titulo abbatiæ insignita, vel alio æquipollenti. — Distinguitur multiplex eorum gradus: aliis competit jurisdictio; alii dignitatem abbatialem habent sine jurisdictione; alii dicuntur abbates *commendatarii*, quibus confertur abbatiæ beneficium sine officio.

II. *Ratione exemptionis*, tria distinguuntur prælatorum genera.

1. Primum genus est eorum qui certis personis *intra septa alicujus Ecclesiæ vel monasterii* præficiuntur. Ejusmodi sunt prælati regulares vel sæculares Romano Pontifici immediate obnoxii, qui eam jurisdictionem in clerum sive regularem sive sæcularem exercent, quam a regulis Ordinis aut apostolicis privilegiis consecuti sunt.

2. Medium genus est eorum qui dicuntur *Prælati in diœcesi*, quatenus cum jurisdictione externa præsident clero et populo alicujus loci intra fines unius diœcesis contenti. Propterea subjiciuntur juri *territoriali* et *diœcesano*, vi cujus quædam reverentiæ obsequia exigere potest Episcopus, variosque suæ dignitatis actus exercere.

3. Nobilissimum genus est eorum qui *nullius* (diœcesis) dicuntur, eo quod habent territorium separatum quasi diœcesim, cujus sunt Ordinarii.

II. — Prælatorum inferiorum potestas (2).

405. — I. Prælatis regularibus competit duplex potestas, altera dominativa, altera jurisdictionis.

Potestas *dominativa*, qualem habet pater in filium, dominus in servum, est jus imperandi subditis regularibus ea quæ sunt conformia regulis Instituti quod profitentur. Oritur ex voto obedientiæ.

Potestas *jurisdictionis* ab Ecclesia confertur. A potestate dominativa

(1) Ferraris, verbo *Prælatus*. — Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. XI. — (2) Catalani, *Pontificale Romanum commentariis illustratum*, t. I, tit. XV.

differt, quatenus est spiritualis et publica. Sed utraque pariter est omnino personalis, nec circumscribitur intra fines alicujus territorii.

II. Prælatorum exemptorum jurisdictio est *quasiepiscopalis*, siquidem regunt proprios subditos in foro externo ; et ideo Ordinariis annumerantur. Attamen non possunt synodum convocare, neque concursum ad parochiales ecclesias indicere, neque litteras dimissorias concedere clericis sæcularibus sibi subditis, qui ab Episcopo diœcesano ordinari debent (1).

III. Quamvis episcopali charactere non sint insigniti, Prælati *imitantur* tamen *dignitatem episcopalem*, etiam ratione ordinis. Nimirum multi Prælati regulares, qui sunt sacerdotes et solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus minores Ordines conferunt, benedicunt solemniter, et gestant insignia episcopalia (2).

DISSERTATIO II

DE EPISCOPO ET EJUS ADJUTORIBUS

406. — Episcopi adjutores, alii ei assistunt in gubernanda diœcesi, et curiam episcopalem constituunt ; alii suum opus præbent, munere pastorali apud populum fungendo. Hinc triplex caput : — I. de Episcopo ; — II. de Curia episcopali ; — III. de Episcopi adjutoribus in munere pastorali.

CAPUT I

DE EPISCOPO

Proœmium. — Dignitas episcopalis in genere (3).

407. — Episcopi (*Principes*, *Præsules*, *Pontifices*, *Summi Sacerdotes*, *Diœcesani*, *Ordinarii*, *Pastores*) sunt antistites ecclesiastici, qui, sacerdotii plenitudinem obtinentes, in locum Apostolorum succedunt et regimen Ecclesiæ participant, sive quatenus una cum Pontifice Romano docentem seu regentem Ecclesiam efficiunt, sive quatenus singulis diœcesibus sub R. Pontifice præficiuntur munere ordinario.

408. — Cum singuli Episcopi Apostolis succedant, quatenus destinantur ad regendas Ecclesias particulares ; cumque munus episcopale non habeat jure divino certam determinationem, neque in territorio vel personis subdendis, neque in jurisdictionis actibus, tria tenenda sunt :

1° Quemadmodum Apostoli Episcopos constituerunt uni loco addictos

(1) Conc. Trid., sess. XXIII. *de Reform.*, c. 10. — (2) Benedictus XIV, const. *Apostolicæ* et const. *Inter multa*. — (3) Ballerini, *de Potestate ecclesiastica*, cap. I. — Zaccaria, *Antifebronius vindicatus*, pars I, dissert. XI. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiaticum*, t. I, dissert. IV. — Bouix, *de Episcopo*, t. I, pars I.

et capiti Ecclesiæ subjectos, ita nunc potestas singulorum Episcoporum coercetur intra fines diœcesis auctoritate S. Pontificis ipsis commissæ.

2° In finem unitatis servandæ, potestas Episcoporum subordinatur capiti Ecclesiæ, quod moderatur illius exercitium ; nam de fide est Episcopos subesse decretis R. Pontificum et conciliorum, eorumque jurisdictionem intra quosdam limites contineri posse (1). — Revera jurisdictio episcopalis restringitur : 1. ratione *personarum*, dum quidam diœcesis incolæ, potissimum regulares, auctoritate S. Sedis ab ea in pluribus eximuntur; — 2. ratione *rerum*, tum legibus Ecclesiæ generalibus contra quas nihil statuere potest Episcopus, tum causis majoribus quæ apud Sedem Apostolicam tractandæ sunt, tum reservationibus.

3° Hac subjectione salva, Episcopi diœcesibus præficiuntur cum potestate docendi, sanctificandi et regendi ; atque merito dicuntur *fidei custodes et judices*, *pastores ordinarii*, *legislatores*. Illorum tamen judicia non sunt irreformabilia, propter R. Pontificis primatum, qui in eos sive immediate, sive mediantibus metropolitis exercetur.

Hæc omnia ex theologia constant. Superest igitur ut sermonem instituamus de modo quo episcopatus diœcesanus *suscipitur* et *exercetur*. Igitur duplex erit articulus : 1. De institutione Episcopi ; — 2. de illius juribus et officiis.

ARTICULUS I

DE INSTITUTIONE EPISCOPI

409. — Ex dictis de juribus R. Pontificis, evincitur Episcopos diœcesanos illius auctoritate immediata vel mediata recte institui. Explorato principio, investiganda est Ecclesiæ disciplina circa istius juris exercitium.

Institutio Episcoporum triplici actu perficitur, videlicet *electione*, *confirmatione* et *consecratione*. Personam designat electio; electus jurisdictionem consequitur per confirmationem seu missionem ; consecratione confertur potestas ordinis.

Distinctim agemus 1° de electione ; — 2° de confirmatione ; — 3° de consecratione.

§ 1. — *De electione.*

410. — Electio late sumpta est canonica vocatio personæ idoneæ ad ecclesiasticam dignitatem. Complectitur electionem proprie dictam, liberam superioris collationem et nominationem.

Electio proprie dicta definitur : Personæ idoneæ vocatio ad prælaturam vacantem, facta suffragiis plurium electorum, et a superiore confirmanda. — Ut recta ejus notio habeatur, dicendum est 1. de electoribus ; 2. de regulis electionis.

(1) Conc. Vatic. sess. IV, cap. III.

I. — De electoribus.

411. — Duo animadvertenda sunt : — 1° jus eligendi magistratus, nisi in ipsa societatis constitutione aliud statutum fuerit, per se *proprium est potestatis supremæ*. Unde sequitur Episcoporum electionem, nisi demonstretur Christum aliud statuisse, per se ad Romanum Pontificem pertinere.

2° Licet jus eligendi Episcopos per se ad Romanum Pontificem pertineat, nihilominus ejus *lege* vel *consensu potuit ad alios recte deferri*. Quod enim alicujus lege vel consensu fit, ejusdem innititur auctoritati.

His præmissis, referemus jus antiquum, jus Decretalium et jus novissimum de Episcoporum electionibus.

1. — *Jus antiquum.*

412. — I. In ipsis Ecclesiæ exordiis, Episcopi ab Apostolis constituti sunt. Apostolis defunctis, B. Petri successores, Romani Pontifices, Episcopos soli instituere potuerunt proprio jure. Etenim hæc potestas quæ in Apostolis erat extraordinaria, cum ipsis interiit; sed remansit ordinaria in Pontificibus Romanis, cum B. Petri primatus sit perpetuus.

Facta divisione provinciarum ecclesiasticarum, ut res commodius expediretur, Episcoporum electiones ab Episcopis provinciæ, clero suffragante et populo præsente, celebrari cœperunt. Hæc diciplina nihil detrahebat de jure R. Pontificum, sive quia gradus Metropolitarum a Sede Apostolica derivatur, sive quia R. Pontifices condebant leges quibus electiones dirigebantur, et lites de iisdem ortas judicabant. Proinde multiplici modo et indesinenter exercebant ea in re suum primatum.

II. Si qua pars ab antiquis monumentis populo tribui videatur in electionibus episcopalibus, intelligendum est populum ad eligendos Episcopos concurrisse postulatione et bonæ vitæ testimoniis. Nimirum apud plebem christianam erat facultas eum proponendi quem muneri episcopali aptiorem, vel sibi acceptiorem æstimaret. Votum populi vincebat suffragium cleri, qui novam personæ designationem provocare poterat. Utrique eminebat auctoritas Episcoporum provinciæ synodice adstantium, vota cleri et populi audientium, librantium, nunc probantium, nunc improbantium ; quorum erat concludere electionem, a Metropolita tandem confirmandam.

Jamvero aliud est eligere, aliud postulare et testimonium reddere. Non enim qui bonum testimonium pro aliquo reddit, vel eum eligi petit, ei verum jus ad dignitatem obtinendam tribuit ; sed tantum laudantis vel obsecrantis personam gerit. Qui vero eligit, electo verum jus confert ad dignitatem. Proinde populo nunquam tributum fuit jus electionis *proprie dictæ*, sed tantum ei concessa est interdum facultas postulandi aut testimonium ferendi in ordine ad electionem.

III. Equidem aliqui contendunt suam populo partem in electionibus tribuendam esse jure divino ; proinde injuriam plebi fuisse factam, dum eo jure privata est ; tandem, principes nomine populi jus eligendi Epis-

copos merito sibi vindicare. Verum jus illud divinum gratis asseritur ; nam 1° probari nequit neque Scriptura, neque Traditione, quæ nullo modo requirunt populi interventum in vocandis successoribus Apostolorum ; — 2° si exstitisset, ab initio Ecclesiæ semper et ubique servatum esset. Atqui constat ex historia christianam plebem in electionibus interdum admissam, interdum nullas partes habuisse.

Non igitur jure divino, sed indulgentia Ecclesiæ suffragium populi adhibitum est, tum ut arcerentur indigni, et optimi vulgo probati eligerentur ; tum ne invito populo imponeretur Episcopus. Hæc forma electionis per octo fere sæcula obtinuit, donec populus merito fuit exclusus, quia ejus præsentia factiones et tumultus fovebat.

IV. Ex dictis facile perspicitur quanta audacia non solum Primatus apostolici jura negaverunt auctores *Constitutionis civilis cleri Gallicani*, sed etiam veritatem historicam traditionis ecclesiasticæ offenderunt, dum gloriati sunt se instaurasse veterem disciplinam, reddendo populo facultatem eligendi Episcopos aliosque pastores, ei antiquitus competentem, sed labentibus sæculis indebite translatam ad principes et Rom. Pontifices.

2. — *Jus Decretalium.*

413. — I. Cum in partes oppositas raperetur populus, et contentionibus turbaretur Ecclesia, jus eligendi moderatum est interventu magistratuum et regum, quo multum detractum fuit electionum libertati. Ideo Concilium generale VIII, Constantinopoli habitum (869), in integrum fere restituit ecclesiasticam libertatem, dum laicos in Oriente ab electionibus amovit, et jus eligendi sine populo Episcopis reservavit.

II. Interea in Occidente multi principes se in electionibus immiscebant, eousque progressi ut nullam permitterent electionem quæ prius suo assensu non fuisset comprobata. Cum enim amplis possessionibus auxissent episcopatus, eaque ratione multarum sedium vacantium bona administrarent, ab ipsis postulanda erat possessio.

Circa sæculi IX^i^ dimidium inolevit abusus *Investiturarum*, quæ primum post electionem canonicam ritu probato recte concedebantur quoad sola bona temporalia. Hinc enim principes, in Germania præsertim, occasionem arripuerunt sedes episcopales distribuendi, atque concedendi earum investituram solemni traditione annuli et baculi pastoralis, quibus potestas spiritualis exprimitur.

Hac de causa exarsit medio ævo celeberrima inter sacerdotium et imperium lucta. Romani Pontifices pravam ejusmodi consuetudinem reprobaverunt et constanter exstirpare nisi sunt ; et tandem Concilium Lateranense I *investituras* abolevit (1123). — Recuperatam electionum libertatem Ecclesia exercendam transmisit cathedralibus capitulis, quasi personam clericorum et fidelium sustinentibus. — Hanc formam electionis communem aliquandiu fuisse constat ex toto Decretalium titulo, qui est *de electione*.

3. — *Jus novissimum.*

414. — Ex disciplina nunc vigente, triplici modo fit designatio personæ ad episcopatum promovendæ; Episcopos nempe vel Summus Pontifex libera collatione constituit, vel capitula eligunt electione proprie dicta, vel principes nominant seu præsentant (1).

415. — I. *Libera collatio Pontifici Romano reservata.* — Electiones paulatim sublatæ sunt, et episcopatuum collatio ad S. Sedem revocata, suadentibus vel cogentibus variis rationibus, v. g. abusu potestatis optimatum et dissensionibus capitulorum, e quibus maxima oriebantur mala, libera collatione R. Pontificis securius tollenda.

In hac reservatione, SS. Pontifices de jure alieno nihil usurparunt, sed potius repetiere jus suum, quod Ecclesiæ sollicitudo repetere cogebat. Nam initio jus constituendi Episcopos proprium erat R. Pontificum, qui potestatem eos eligendi concesserunt primum synodis provincialibus, et postea capitulis. Cum autem electores sibi concessa facultate abuterentur et regulas observandas despicerent, cumque in electionibus ambitio, simonia, studia partium dominarentur, consequens erat ut creatio Episcoporum ad eum *jure devolutionis* rediret in quo jus eligendi semper hæserat, et a quo omnis potestas in inferiores derivata fuerat. Porro ubi jus ad superiorem devolvitur, ille non usurpat jus inferiorum, sed solus per se exercet auctoritatem quam semper habuit.

Liberæ collationi præire solet aliqua *commendatio* a principe vel ab Episcopis provinciæ ad S. Pontificem directa, qua tres idonei judicati ei proponuntur, quorum unum ordinarie eligit.

416. — II. *Jus eligendi quibusdam capitulis restitutum.* — Primum Clemens V Sedi Apostolicæ reservavit Ecclesias quarum Episcopi decedunt in Curia romana. Benedictus XII alias reservationes induxit. Demum, post editas regulas Cancellariæ, generatim reservata est R. Pontifici collatio omnium Ecclesiarum cathedralium. — Verum, cum eam rem capitula et reges ægre ferrent, causa pacis firmandæ, factum est ut Indultis vel Concordatis electiones Episcoporum aliquibus capitulis, v. g. in Germania et Helvetia, restituerentur, et Guberniis catholicis tribueretur privilegium nominandi Episcopos pro quibusdam vel omnibus Ecclesiis, ea tamen lege ut electiones seu nominationes a S. Pontifice confirmarentur.

417. — III. *Nominatio regia.* — Operæ pretium est tanti privilegii originem, vim et conditiones noscere.

1. Jus nominandi Episcopos non exercetur a Principibus nomine populi fidelis, qui non accepit a Deo facultatem eligendi Episcopos; neque vi potestatis civilis, cum Ecclesia sit independens; sed ex recenti liberalitate Ecclesiæ originem duxit. Non est igitur in se mala, quamvis aliquando noxia evadat imperantium vitio.

2. Hæc nominatio est quoddam genus electionis, quatenus princeps, velut Ecclesiæ defensor et populi caput, seu velut persona media inter clerum et laicos, utrumque ordinem in designatione Episcoporum repræsentat, Ecclesia concedente.

(1) Apud Armenos aliosque orientales viget specialis forma electionis.

3. Principes in Episcopos deligere debent clericos sanctitate et scientia spectatissimos, aut saltem iis dotibus ornatos, quas canones et concordata postulant; secus, R. Pontifex nominatos non confirmat.

II. — De regulis electionis.

Electio Episcoporum canonica esse debet, ut vim habeat. Illius regulæ spectant tum qualitates eligendorum, tum formam electoribus præscriptam.

418. — I. *Dotes eligendorum* (1). — In promovendis ad episcopatum exiguntur: 1° ætas matura, nempe annus trigesimus completus; — 2° vita commendabilis, silicet integritas fidei, morum gravitas, prudentia et probatio in functionibus ecclesiasticis, atque immunitas ab omni irregularitate et censura; — 3° scientia et laurea theologiæ vel juris canonici, aut publicum testimonium quo eligendus ad alios docendos idoneus ostendatur; — 4° legitimi natales; — 5° adeptio sacrorum Ordinum, saltem a sex mensibus.

419. — II. *Forma electionis* proprie dictæ statuta est respectu habito sive ad tempus, sive ad numerum eligentium, sive ad modum eligendi.

1. *Tempus definitum.* — Episcoporum electio capitularis intra tres menses absolvenda est. Si capitulum negligens fuerit, electio devolvitur ad S. Pontificem.

2. *Numerus eligentium* constat ex iis canonicis qui debent, volunt et possunt interesse. Attamen legitime impediti sibi substituere possunt procuratorem.

3. *Modus eligendi.* — Tribus modis electio fieri potest, nempe per *inspirationem*, vel per *compromissum*, vel per *scrutinium*. — Electio per scrutinium illa est quæ perficitur per secretam, diligentem et ordinatam collectionem suffragiorum; qua absoluta, ille electus declaratur in quem major et sanior pars capituli consentit (Cf. n° 333, III).

Electione celebrata, requiritur electi consensus, infra mensem exhibendus.

420. — Præter electionem clerici omnibus dotibus requisitis præditi, datur quandoque *postulatio*, id est, petitio collegii eligentis ad R. Pontificem directa, ut pro utilitate Ecclesiæ aliquem ex indulgentia in Episcopum assumat, qui eligi nequit propter impedimentum canonicum, in quo tamen superior dispensare potest et solet. Sic Episcopus ad alium episcopatum non eligitur, sed postulatur.

In eo differt ab electione, quod gratiæ innitatur, illa vero det jus ad rem. In cæteris, eadem fere est utriusque ratio, siquidem postulatio est peculiare genus electionis.

§ 2. — *De electi confirmatione.*

Confirmatio est decretum legitimi et competentis superioris, quo electus vel nominatus probatur, et pastor Ecclesiæ vacantis constituitur.

(1) Cf. Conc. Trid., sess. VII, cap. I; Sess. XXII, cap. II; Sess. XXIV, cap. I, *de Reform.*

421. — I. *Confirmationis necessitas* ex eo deducitur, quod sicut consecratione potestas ordinis, ita confirmatione jurisdictio confertur. Jam vero de fide est eos qui ecclesiastica et canonica potestate nec ordinati nec missi sunt, legitimos ministros non esse. (Concil. Trid., sess. XXIII, *De Ordine*, cap. VII.) Unde electus nondum confirmatus administrationem diœcesis nullo titulo suscipere permittitur. (Concil. Ludg. II, 1274.)

Hanc gravissimam legem offenderunt principes qui v. g. in Gallia (1682 et 1810) et Hispania (1841), in regimen Ecclesiarum, sub titulo vicariorum capitularium, Episcopos nominatos ingerere conabantur, quibus Sancta Sedes institutionem denegabat. Quam intrusionem merito improbarunt Summi Pontifices, eo quod fraus legi fieret, connivente capitulo, si nominatus ad episcopatum eligeretur in vicarium capitularem.

422. — II. *Modus confirmandi.* — Non proceditur ad confirmationem, nisi prius instituta inquisitione de forma electionis et de meritis electi.

Episcopi Italiæ coram S. Pontifice improvisum examen subeunt. Extra Curiam romanam, processus informativus, curante Nuntio apostolico vel alio deputato, conficitur. Romæ, res denuo examinatur, et in consistorio secreto Cardinalis, causæ relator, suam sententiam exprimit; quod dicitur *præconizatio*. In altero consistorio, idem postulat ut S. Pontifex, de qualitatibus electi certior factus, illum promoveat ad episcopatum. Demum, consultis Cardinalibus, a S. Pontifice *decretum confirmationis* profertur, quo electus vel nominatus *instituitur* Episcopus, et *providetur* ecclesiæ vacanti.

Virtute privilegii ab Alexandro II concessi, archiepiscopus Salisburgensis tres episcopos provinciæ Carinthiæ, in Austria, eligit, confirmat et consecrat, non petito consensu S. Pontificis, ad quem refert tantum institutionem novi episcopi jam consummatam. Hæc facultas prorsus singularis est, nec ulli alii metropolitæ in toto orbe nunc competit.

Quamvis Episcopus nondum consecratus possit ea omnia peragere quæ sunt jurisdictionis, tamen cautum est ut Episcopus confirmatus jurisdictionem non exerceat, nisi litteras pontificias seu Bullam confirmationis jam acceperit et Capitulo exhibuerit (1); ideoque dicuntur Episcopi *possessionem capere*, sive personaliter, sive per delegatum.

Præter bullam confirmationis, propriam Episcopi, cujus est titulus canonicus, aliæ dirigantur ad metropolitam provinciæ, ad capitulum, ad clerum et populum diœcesis, atque ad Principem, ut ipsis authentice constet de institutione episcopi et meritis ejus. Consuevit etiam S. Pontifex specialibus litteris novum episcopum dispensare a lege suscipiendi consecrationem in propria ecclesia per manus sui metropolitæ, ita ut possit licite consecrari ubi voluerit et a quocumque episcopo catholico sui ritus.

(1) Decret. *Injunctæ* (Extrav. Comm. 1, *de Electione*). — Const. *Apost. Sedis*, Susp. reserv. I.

§ 3. — *De Episcopi consecratione.*

423. — Spirituale vinculum quo Episcopus cum sua Ecclesia devincitur, illustrat Innocentius III elegante allegoria fœderis conjugalis, « quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, et in consecratione intelligitur consummatum (1). » Vi consecrationis, Episcopus accipit plenam ordinis potestatem, quæ semel collata non amittitur. Consecrationi autem præmittitur juramentum fidelitatis et obedientiæ.

424. — I. *Regulæ consecrationis* respiciunt consecratorem, tempus et locum, atque ritus adhibendos.

1. *Consecrator.* — Ex antiquo usu, ad consecrationem requiruntur tres Episcopi, quorum unus dicitur consecrator, reliqui duo assistentes. Unus tamen sufficit, saltem ex dispensatione S. Pontificis, pro solis Missionum regionibus concedi solita ; sed tunc, præter Episcopum consecrantem, adhibentur saltem duo presbyteri, qui, si fieri potest, in ecclesiastica dignitate sint constituti.

Olim Episcopum Metropolita consecrabat, et Metropolitam antiquior provinciæ Episcopus. Juxta hodiernam disciplinam, Romæ, ab aliquo Cardinali fiunt Episcoporum consecrationes ; extra Urbem, consecrandi suo arbitrio Episcopum consecratorem vi indulti eligunt (2).

2. *Tempus et locus.* — Episcopus confirmatus intra tres menses consecrationem suscipere tenetur; alioquin perceptos fructus amittit, imo suam dignitatem, si ad tres alios menses consecrationem protraxerit.

Consecratio celebranda est die dominica, vel die festo Apostolorum, præmisso pridie jejunio, effusisque precibus.

Episcopi consecrantur vel Romæ (ad hoc Itali obligantur), vel in ipsa Ecclesia cui præficiuntur, vel saltem in provincia, si fieri possit.

3. *Ritus* consecrationis in Pontificali Romano describuntur. — Præcipui sunt : lectio *mandati apostolici* seu bullæ institutionis, examen consecrandi, supplicationes ad Deum, impositio manuum, unctio capitis et manuum, traditio baculi pastoralis, annuli, libri Evangeliorum, mitræ et chirothecarum, inthronizatio et benedictio populi.

425. — II. *Juramentum.* — Episcopi, antequam consecrationem accipiant, jubentur fidem profiteri, et S. Pontifici fidelitatem ac obedientiam juramento spondere, juxta formulam Pontificali Romano insertam.

Sicut igitur in ordinatione sacerdotes obedientiam canonicam Episcopo diœcesano promittunt ; sicut omnes clerici de beneficiis curam animarum habentibus provisi, fidei professionem emittunt; ita mos spondendi S. Pontifici fidelitatem juratam, olim a Legatis in terras remotas abituris, v. g. a S. Bonifacio Moguntino, et a Metropolitis pallium accipientibus observari solitus, postea universis Episcopis præscriptus est, præsertim ex quo jus electos confirmandi a Sede Apostolica exclusive exerceri cœpit.

(1) Greg. Decret., *de Translatione Episcopi.* — (2) Bened. XIV, *In postremo*, n. 15 et 16.

ARTICULUS III

DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPI (1)

426. — Diœcesis est Ecclesia particularis, cujus regimen imitatur universalis Ecclesiæ gubernationem. Quemadmodum enim omnes catholici in unum corpus secum connectuntur triplici vinculo fidei, sacramentorum et subjectionis pastoribus, ita singulorum Episcoporum pastorale officium involvit potestatem *docendi*, *sanctificandi* et *regendi*. Quamobrem exponenda veniunt: — 1° jura et officia Episcopi quoad magisterium; — 2° jura officia Episcopi quoad sacrum ministerium; — 3° jura et officia jurisdictionis episcopalis.

§ 1. — *Jura et officia Episcopi quoad magisterium* (2).

Ad munus docendi quod attinet, Episcopo committuntur defensio fidei, prædicatio verbi divini, et christianæ juventutis institutio.

427. — I. *Fidei defensio.* — Episcoporum est vigilare ne fidei morumque doctrina erroribus depravetur. Proinde, ad ipsos spectat libros de religione tractantes approbare vel prohibere.

Verum nequit Episcopus quæstionem aut dubium circa fidem definire; etenim fidei definitio est causa major Sedi Apostolicæ jure divino reservata, quia requirit prærogativam infallibilitatis. Igitur Episcopi est sola definita aut aliunde certa contra errores tueri.

428. — II. *Prædicatio* verbi divini est præcipuum Episcopi jus et officium.

De officio docendi populum, Tridentina synodus statuit « Omnes Episcopos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium (3). »

Ad Episcopum pertinet jus designandi vel approbandi *concionatores*. Nemini, nisi curam animarum habeat, permissum est sine licentia Episcopi prædicare, ne regularibus quidem in ecclesiis suorum Ordinum, nisi benedictionem ab Episcopo acceperint: « Nullus... contradicente Episcopo, prædicare præsumat, » ait conc. Tridentinum (4).

429. — III. *Institutio religiosa* juventutis est alia pars magisterii episcopalis. Ad illam referuntur: 1. Officium convertendi omnes curas in rectam cleri institutionem; 2. Sollicitudo adhibenda, ut juventus cujusque conditionis non tantum fidei elementis, sed etiam pleniori religionis cognitione excolatur; 3. Jus conferendi missionem sive professoribus scientiarum ecclesiasticarum, sive omnibus magistris religionem tradentibus, eaque præscribendi quæ edoceantur. — V. infra, n. 646-660.

§ 2. — *Jura et officia Episcopi quoad sacrum ministerium* (5).

Duplex distinguitur genus jurium episcopalium respectu sacri ministerii: — 1° potestas ordinis seu facultas peragendi functiones sacras Episcopis reservatas; — 2° potestas moderandi cultum divinum in diœcesi.

430. — I. *Functiones episcopales.* — Potestas ordinis est illa quæ cha-

(1) S. Alph., *Homo apost.* Tract. VII, 47-66. — (2) Phillips, *Manuale juris canonici*, § 133. — (3) Sess. V, cap. II, *de Reform.* — (4) Sess. XXIV, cap. IV, *de Reform.* — (5) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. IV. — Soglia, *Institutiones juris privati ecclesiastici*, lib. I, cap. II.

racteri episcopali annexa est ad sacramenta administranda, cæterasque sacras functiones obeundas. Complectitur facultatem *ordinandi, confirmandi et consecrandi.*

Ex duplici fonte oritur hæc potestas : alia *ex jure divino* circa sacramentorum administrationem versatur; alia *ex jure ecclesiastico* ministerium sacramentalium respicit.

1° Christus episcopali characteri alligavit potestatem ordinandi Episcopos et sacerdotes, necnon potestatem ordinariam conferendi confirmationem. Horum sacramentorum collatio ita Episcopi est propria ex jure divino, ut sacerdotium a presbyteris nunquam, confirmatio vero nonnisi cum licentia S. Pontificis conferri possit.

2° Jure ecclesiastico, cæteri actus ordinis, quos Episcopus elicit in conficiendis sacramentalibus, ad duplicem classem reducuntur, nempe benedictiones sacerdotales (*jura ordinis communia*), et benedictiones episcopales (*jura ordinis pontificalia*). Etenim sacramentalia institutionem sacramentorum imitantur, non tantum quatenus gratiam significant, sed etiam quatenus diversis ministrorum ordinibus committuntur conferenda.

Jamvero sacerdotes destinantur ad conficiendas *simplices benedictiones*, illas scilicet quæ sine chrismatis unctione perficiuntur, neque Episcopis sunt reservatæ. Quapropter a presbyteris sine ulla licentia benedici possunt aqua lustralis, et aliæ res quarum benedictio in Rituali sub primo titulo ponitur.

Episcopi facultatem habent conficiendi benedictiones *sacratiores* aut *magis solemnes*. Proinde ipsis multiplici modo reservantur sacramentalia ministranda : — 1° Ad Episcopos pertinent benedictiones rerum quæ ad ornatum sacrificii destinantur, v. g. indumenta sacerdotalia; quæ tamen benedictiones non ita stricte ordini episcopali annexæ sunt, quin sæpius sacerdotibus delegentur, vel sine delegatione factæ validæ sint, etsi illicitæ. — 2° Ad Episcopum spectant, neque presbyteris delegantur, benedictiones rerum quæ nonnisi ut benedictæ sunt materia alicujus sacramenti, nempe confectio chrismatis et benedictio olei infirmorum et olei catechumenorum. — 3° Consecrationes quæ sacra unctione perficiuntur, stricto jure ita sunt ordini episcopali annexæ, ut non possint ab ipso Episcopo delegari sacerdotibus, sed a R. Pontifice tantum, v. g., consecratio ecclesiæ, altaris, calicis, campanæ, etc.

431. — II. *Moderamen cultus divini* — Jus liturgicum ad S. Pontificem pertinet. Quapropter potestas Episcopi liturgiam in sua diœcesi regulandi, excludit jus ferendi leges liturgicas proprie dictas Attamen, cum auctoritas Episcopi se extendat ad omnia quæ regimen diœcesis exigit, complectitur quoque cultus divini directionem.

Hinc ad Episcopum spectat : 1° Ordinem divini officii et missæ (*Calendarium* seu *directorium*) singulis annis edere; — 2° curare ut functiones liturgicæ recte peragantur, abusus in divinis officiis et in administratione Sacramentorum removendo et rebus sanctis invigilando; — 3° propius definire (*in quantum lege universali permittitur*) locum, tempus et modum, quibus res divina peragenda sit, v. g. quod spectat expositionem SS. Sacramenti; — 4° publicas preces indicere, et quasdam indulgentias elargiri.

§ 3. — *Jurisdictionis episcopalis jura et officia.*

Hæc sunt præcipue sequentia : — 1° inspectio diœcesis ; 2° directio personarum ; — 3° administratio rerum ; 4° Episcopi jura utilia et honorifica.

I. — Inspectio diœcesis.

432. — Episcopis, ut suis muneribus recte fungantur, incumbit officium *inspectionis* et *vigilantiæ*, siquidem statum diœcesis continuo speculari jubentur, tum Ecclesiæ legibus, tum ipso nomine *Episcopi*.

Ex ista obligatione derivatur duplex officium, nempe *residentia* et diœcesis *visitatio*.

1. — *Residentia* (1)

433. — I. *Lex residentiæ*. — Residentia est officium Episcopi, in æquitate naturali fundatum, siquidem nequit pastor debite gregi suo invigilare, nisi apud eum assidue commoretur. An hæc obligatio sit juris divini expresse revelati, Concilium Tridentinum noluit definire ; verum novo decreto pastores ad residentiam adegit.

II. *Sensus legis*. — Residentia debet esse non solum corporalis, sed etiam formalis seu laboriosa ; nam Episcopus tenetur religiose suas obire functiones, accuratam diœcesis acquirere notitiam, clero et populo sollicite præesse in via salutis et perfectionis, promovere pietatem, studia et opera caritatis quibus pauperes velut membra Christi subleventur.

III. *Limites legis*. — Episcopi singulis annis duos, aut ad summum tres menses, sive continuos sive interruptos, extra diœcesim morari possunt, dummodo id fiat absque ullo gregis detrimento (2).

IV. *Causæ excusantes*. — Sunt tamen legitimæ causæ propter quas ex declaratione conc. Tridentini licet Episcopis a diœcesi diutius abesse, scilicet christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ aut reipublicæ utilitas ; sed illæ causæ in scriptis approbandæ sunt a R. Pontifice, vel a Metropolita, vel ab antiquiori suffraganeo Episcopo residente.

V. *Sanctio* — Si Episcopus illegitime per sex menses abfuerit, suos non facit beneficii fructus, qui propterea fabricæ ecclesiarum cedunt, vel in levamen pauperum erogandi sunt (3).

2. — *Visitatio diœcesis* (4).

434. — I. *Visitationis necessitas*. — Juxta canones antiquiores, pastoralis cura requirit frequentem diœcesis visitationem ab Episcopo instituendam, ut pastorem cognoscant diœcesani, et Episcopus de Ecclesiarum statu certior fiat. Concilium Tridentinum (5) præcipit ut Episcopus singu-

(1) Concil. Trident., sess. VI, *de Reform.*, c. 1 ; sess. XXIII, cap. I. *de Reform.* — S. Alph., lib. IV, n. 119-128. — (2) Conc. Trid. sess. XXIII, *de Reform.*, c. I. — (3) Cf. Inst. mor. Alph. II, 1378 et 2251. — (4) Cf. Lucidi, *Vis. SS. Liminum.* — (5) Sess. XXIV, cap. III, *de Reform.*

lis annis visitet majorem diœcesis partem, et visitationem *quovis saltem biennio* compleat. — Ex eodem Concilio, Episcopus diœcesim per se ipsum visitat, vel, si legitime impeditus fuerit, visitatio Vicario generali aut alteri probato clerico mandatur.

II. *Scopus visitationis.* — Quem in finem visitatio instituatur, Concilium Tridentinum in eodem decreto his verbis declaravit : « Visitationum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. »

III. *Objectum visitationis.* — Jus visitandi complectitur personas et res ecclesiasticas; itaque fit duplex visitatio, nempe *personalis* et *realis*.

Visitatio *personalis* est inquisitio de personarum vita et muneribus, præsertim clericorum, e quorum vita summopere pendet recta conversatio laicorum. Hanc visitationem nemo declinare potest, imo ei subsunt regulares curam animarum habentes, non obstante exemptione eorum.

Visitatio *realis* est inquisitio de administratione, custodia et statu ecclesiarum et rerum sacrarum. Visitationi reali seu locali subjacent ecclesiæ, oratoria, monasteria, confraternitates, demum omnia loca religiosa et instituta ecclesiastica non exempta.

IV. *Modus peragendi visitationem.* — Episcopus procedit sine strepitu judicii, et correctiones moderatas potius quam pœnas a jure statutas imponit. Nec exemptione, nec appellatione vel querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, impeditur aut suspenditur executio eorum quæ ab Episcopo in visitatione mandata, decreta aut judicata fuerunt (1).

II. — Directio personarum.

Ad directionem personarum concurrunt : — 1° potestas legislativa, — 2° potestas executiva.

1. — *Potestas legislativa* (2).

Potestas legislativa complectitur : — 1° jus ferendi leges; — 2° jus ab eis dispensandi.

435. — I. Jus *ferendi leges* Episcopis inesse prænoscimus (*supra* n. 59-62). Superest ut considerentur istius juris *exercitium* et *objectum*.

1° Ad *exercitium* quod attinet, sicut S. Pontifex leges universales, sive solus, sive in Concilio generali statuit, ita Episcopus vel in synodo vel extra synodum leges diœcesanas condit.

Nullo contradicente, leges episcopales *in synodo* latæ sunt perpetuæ nempe in suo robore perseverant quamdiu non revocantur.

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. X, *de Reform.* — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. IV. — Devoti, *Institutionum*, lib. I.

Aliqui vero dubitant an leges ab Episcopo *extra synodum* conditæ sint ita stabiles, ut post Episcopi mortem aut translationem adhuc vigeant. Sed immerito; eamdem enim perpetuitatem quam statuta synodalia sibi vindicant, illis tribuit verior Benedicti XIV sententia, his rationibus innixa : — 1° Ea est natura legis ut sit perpetua; atqui jurisdictio Episcopi potestatem legislativam complectitur, neque affertur canon quo episcopalis potestas huic limitationi subjecta fuerit. — 2° Leges ab Episcopo statutæ sive intra, sive extra synodum, vim suam unice mutuantur ab ipsius Episcopi auctoritate, quæ semper eadem est, quomodocumque exerceatur. A successore tamen revocari vel mutari possunt, eo ipso quod eadem gaudet potestate.

2° *Objectum*. — Episcopus generatim ea jubet quæ ad spirituale bonum diœcesis conducunt, v. g. ad abusus corrigendos, virtutes promovendas, disciplinam instaurandam. Verum minime potest leges condere quæ juri communi adversentur.

436. — II. *Jus dispensandi*. — Potestas ferendi leges includit facultatem dispensandi. Igitur Episcopi possunt in diœcesanis legibus dispensare, pari potestate qua eas ferunt.

Cum vero inferior non possit leges superioris immutare, idcirco in legibus S. Pontificis et Concilii generalis dispensare nequit Episcopus, nisi facultas ipsi concedatur. — Jamvero, Episcopi aliquando dispensant in legibus generalibus, nempe : 1° ex jure scripto id permittente, v. g. in nonnullis impedimentis matrimonium prohibentibus; — 2° ex speciali delegatione, nempe vi Indultorum a S. Sede concessorum; — 3° ex legitima consuetudine, v. g. in jejuniis et festis quoad privatos, et in dubio an casus indigeat dispensatione; — 4° ex necessitate et licentia S. Pontificis præsumpta, v. g. in occulto impedimento quo laborat matrimonium contractum; tunc enim, ob periculum in mora, dispensatio expeti nequit et Ecclesia jurisdictionem Episcopi supplere censetur (1).

2. — *Potestas executiva* (2).

437. — Potestas exequendi respicit observantiam legum, judicia et pœnas.

I. *Observantia legum*. — Episcopi est promovere observantiam tum juris communis, tum juris particularis, in qua consistit bonum Ecclesiæ et salus animarum, ipsorum sollicitudini districte commissa. Ad illud munus salubriter obeundum requiritur zelus fervidus et prudens, quo pariter removeantur negligentia et nimia severitas.

II. *Potestas judicandi*. — Episcopus in prima instantia judicat omnes causas ad forum ecclesiasticum pertinentes, quæ scilicet spectant fidem, mores, sacramenta, beneficia, cæteraque nomine disciplinæ comprehensa.

III. *Potestas puniendi*.— Sine ea, legislativa et judiciaria potestas sanctione destitueretur. Itaque non solum monitis delinquentes corriguntur,

(1) S. Alph., lib. I, 180; *De Priv.*, n. 29 et seq. — (2) Soglia, *Instit. juris publici eccles.*, pars I, lib. II, cap. II. — Tarquini, *Instit. juris publici*, lib. II.

verum etiam, ubi hæc nihil prosunt, criminosi et contumaces *censuris* et aliis salutaribus *pœnis canonicis* ab Episcopo coercentur. — Hanc potestatem coercitivam a temporibus apostolicis Episcopos exercere ex annalibus Ecclesiæ compertum est.

III. — Administratio rerum (1).

438. — Administrare est spiritualem diœcesis curam gerere per rectam dispositionem rerum ad religionem pertinentium. — Itaque ad episcopalem administrationem pertinent : — jus conferendi officia, parochias et cætera beneficia ; — ecclesiarum et beneficiorum erectio vel innovatio ; — bonorum ecclesiasticorum administratio ; — cæteraque hujusmodi, per totum fere jus canonicum dispersa.

Jus episcopale conferendi beneficia hic dupliciter considerandum est : 1° in genere ; 2° in specie quoad parochias.

1. — *Collatio beneficiorum in genere.*

439. — I. *Collator ordinarius.* — Ex regula generali, Episcopus in sua diœcesi omnia confert beneficia, nisi fuerint specialiter excepta ; eaque potestate utitur, donec alius jus sibi competere titulo speciali probaverit. Ideo dicitur Episcopum pro conferendis beneficiis habere *intentionem fundatam in jure communi.*

Ubi quædam beneficia excipiuntur v. g. beneficium S. Pontifici reservatum, electivum, patronatum, nihilominus Episcopi auctoritas fere semper intervenire debet, licet dispari modo pro diverso aliorum influxu, nempe per *institutionem* qua titulus beneficii personæ designatæ confertur, vel per *approbationem* pro cura animarum.

II. *Terminus collationis.* — Cum Episcopus jus provisionis plenum habet, unico actu beneficium conceditur, nempe transmissione diplomatis legitime confecti, quo acceptato *jus in beneficio* velut *jus in re* acquiritur, sicut acquiritur præsentato per institutionem, et electo per confirmationem.

Collatio nondum acceptata, sicut sola personæ designatio, tribuit tantummodo *jus ad rem*, ita tamen ut Episcopus beneficium alteri conferre nequeat, donec collatarius jus suum amiserit.

III. *Modus conferendi beneficia.* — Requiritur ut Episcopus certior fiat de idoneitate promovendorum ; quamobrem regulariter institutioni præmittitur *examen*. Forma vero hujus examinis non præscribitur nisi pro beneficiis parochialibus, per legem *concursus*.

2. — *Collatio parochiarum* (2).

440. — I. Ad parochiale munus eligi debet persona *idonea*, videlicet prædita ætatis maturitate, morum gravitate et litterarum scientia. Imo, ut major adhiberetur diligentia in idoneis viris ad istud officium assu-

(1) Phillips, *Manuale juris eccles.*, § 136. — Berardi, *Commentaria in jus eccles.*, t. I, diss. IV. — (2) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. XVIII, *de Reform.* — Bened. XIV, const. *Cum illud.* 14 dec. 1742. — S. Alph., lib. IV, 91-110.

mendis, statutum est parochiales ecclesias *dignioribus* conferendas esse. Quæ regula ut fideliter observaretur, a Concilio Tridentino lata fuit lex de concursu instituendo in collatione beneficiorum parochialium. Formam autem concursus illustrarunt plures Summi Pontifices (1).

II. *Lex Tridentina de concursu.*

1. Habita notitia vacationis alicujus parochiæ, Episcopus statim deputat administratorem qui curam ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur. Postea indicitur concursus per edictum episcopi, etiam si collatio beneficii parochialis ad alium pertineat.

2. Die constituto, concurrentes examinantur coram Episcopo vel Vicario generali, et tribus saltem ex synodalibus examinatoribus. Singulis assignantur eædem questiones ore et scripto solvendæ, idem textus concionis, idem temporis spatium. — Præter doctrinam, inquiruntur etiam eorum virtutes, prudentia et aliæ dotes necessariæ ad curam animarum exercendam in parochia vacante.

3. Inhabilibus rejectis, idonei Episcopo renuntiantur; ex approbatis autem solus Episcopus vel alius collator eligit quem præ cæteris digniorem judicaverit.

III. Concursu non conferuntur plures parochiæ :

1. Concursus non adhibetur quoad vicarios curatos parochiarum unitarum alicui congregationi, capitulo aut dignitati; nam habitualis cura parochi principalis non vacat.

2. Ecclesiæ juris patronatus laici a lege concursus solutæ sunt; nam Episcopus tenetur clericum a patrono præsentatum instituere, dummodo iste reperiatur idoneus.

3. Non requiritur concursus pro parocho amovibili. (*Decisio congregationis Concilii*, 1617.) Porro in ecclesia Regularium parochus est semper amovibilis.

4. Parochia concursu non confertur, ubi nemo esset qui se dicto examini vellet subjicere, vel timentur tumultus, vel permutantur tantum parochiæ (2).

IV. In Gallia, Belgio, aliisque regionibus, notum est non servari formam concursus parochialis auctoritate Conc. Tridentini et Bened. XIV præscriptam. Sunt tamen diœceses in quibus non promoventur ad munus parochiale nisi qui idonei reperti sunt ab examinatoribus deputatis ab Episcopo ; et sic quoad substantiam executioni mandatur decretum Tridentinum, illiusque scopus attingitur.

Episcoporum est, et præsertim S. Sedis, decernere an et quatenus præsentes morum et rerum circumstantiæ, atque inducta consuetudo, eximant ab observatione decreti Tridentini ; nec nisi temerario ausu a quibuslibet aliis impugnaretur praxis vigens, quam S. Sedes sciens non improbavit.

(1) S. Pii V const. *In conferendis*. — Bened. XIV, const. *Cum illud* et *Redditæ nobis*. — (2) Giraldi, *de Parocho*, pars I, cap. II.

IV. — Episcopi jura utilia et honorifica.

Præter totius diœcesis inspectionem, personarum directionem et rerum administrationem, Episcopo competunt alia jura, quæ ipsius personam respiciunt, nempe: 1° Jura *utilia*, 2° jura *honorifica*.

441. — 1° Jura utilia. — Ad Episcopum spectat jus a subditis tributa percipiendi ; quæ potestas consuevit nuncupari *lex diœcesana*. — Huc pertinent :

I. *Procuratio canonica*, nempe honesta, sed moderata sustentatio, quæ Episcopo diœcesim visitanti debetur, juxta consuetudinem et Conc. Tridentini decretum (1).

II. *Cathedraticum*, id est, modicus census quotannis (ut plurimum *in synodo*, ex qua nomen accepit *synodatici*) Episcopo solvendus a singulis ecclesiis et beneficiatis sæcularibus, in subjectionis signum et in honorem cathedræ episcopalis, nisi consuetudo contraria invaluerit, annuente aut dispensante Episcopo, contra quem nihilominus non præscribitur (2).

III. *Portio canonica*, seu quarta pars legatorum piorum Ecclesiis obvenientium. Hoc tributum, e veteri partitione bonorum oriundum, in multis regionibus obsolevit.

IV. *Subsidium caritatis* seu *caritativum*, extraordinarie et ex consensu capituli, in publica necessitate pauperum vel diœcesis postulandum, vel etiam exigendum ab ecclesiis et clericis sibi subjectis, v. g. pro seminariis erigendis et sustentandis.

V. *Taxæ* episcopali cancellariæ pro documentis scriptis solvendæ (Cf. Ferraris, verbo *Taxa Innocentiana*, et decr. S. C. Conc. 10 jun. 1896).

442. — 2° Jura honorifica. — Cum Episcopi sint principes Ecclesiæ, dignitatem episcopalem decent tum *indicia reverentiæ*, tum *insignia*, tum *privilegia*.

I. *Indicia* reverentiæ Episcopo exhibenda sunt: 1. *præcedentia*, qua tum cæteros clericos episcopali Ordine non insignitos generatim, tum intra diœcesim in functionibus episcopalibus alios Episcopos antecedunt, excepto Metropolitano, licet ex urbanitate debeant advenas honorare ; — 2. *ritus solemnis* quo Episcopus visitans ecclesias recipiendus est ; — 3° *prima sedes* eidem assignanda in choro, capitulo, etc. (3) ; — 4. *Tituli* quibus compellari solent Episcopi.

II. *Insignia* dignitatis episcopalis sunt *ornamenta pontificalia*, quibus in solemnibus functionibus utuntur. — Hæc sunt insignia Episcoporum propria : caligæ, sandalia, crux pectoralis, tunicella, dalmatica, chirothecæ, annulus, mitra, baculus pastoralis, thronus, et biretum violaceum (quod eis exclusive concessit Leo XIII, 3 febr. 1888).

III. Inter *privilegia* Episcopis a canonibus concessa, hæc præcipua esse videntur : — 1° Possunt divina celebrare, sive extra ecclesiam ope altaris portatilis, sive intra suum oratorium privatum, etiam tempore inter-

(1) Sess. XXIV, cap. III. *de Reform.* — (2) Ferraris, v° *Cathedraticum*. — (3) Ex decret S. C. Rit., 9 maii 1899, episcopus diœcesanus jure gaudet cedendi thronum suum alteri episcopo.

dicti; — 2° Soli gaudent facultate exercendi pontificalia in tota sua diœcesi, ita ut alius Episcopus ea exercens sine Ordinarii expressa licentia, incurreret ipso jure suspensionem ab exercitio pontificalium (1); — 3° Suspensiones et interdicta jure lata non incurrunt, nisi Episcoporum expressa mentio fiat; — 4° Ipsorum nomen in canone Missæ recitatur; dies tum electionis, tum consecrationis, quotannis recolitur sive missa votiva speciali, sive saltem orationibus ex eadem missa desumptis; et quotannis a successore anniversarium eorum depositionis celebratur (2).

CAPUT II

DE CURIA EPISCOPALI (3)

443. — Curia episcopalis constituitur principaliter capitulo cathedrali et vicario generali : Capitulum consilio, Vicarius autem generalis in gubernanda diœcesi Episcopo opera assistit. De utroque nunc agendum.

ARTICULUS I

DE CAPITULO CATHEDRALI

Seorsim : 1° tradetur notio capituli, præsertim cathedralis; — 2° declarabitur auctoritas capituli cathedralis.

§ 1. — *De notione capituli.*

444. — Capitulum est collegium clericorum, ad auxiliandum Episcopo aut etiam ei supplendum in diœcesis regimine institutum, ac eidem pontificalia exercenti assistendum et inserviendum, atque divinum officium in choro persolvendum, sub uno capite.

Est 1° vel *cathedrale* vel *collegiale*, prout ecclesiæ cathedrali, vel alii inferiori adscriptum est; — 2° *exemptum* vel *non exemptum*, prout eximitur, vel non, a jurisdictione Episcopi; — 3° *numeratum* vel *non numeratum*, prout certus numerus canonicorum determinatus est in actu fundationis, ita ut aliæ præbendæ canoniales institui nequeant, vel talis institutio libera remansit; — 4° *sæculare* vel *regulare*, prout constat clericis sæcularibus vel regularibus.

De capitulis cathedralibus duplex expenditur quæstio : 1ª de eorum institutione; — 2ª de illorum constitutione.

I. — De institutione capitulorum.

Exponenda est : 1° ratio hujus institutionis in genere; — 2° disciplina vigens circa capituli erectionem et collationem canonicatuum.

(1) Trid., sess. VI, cap. V, *de Reform.* — (2) Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II. — Bened. XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. II, cap. VI. — *Cæremoniale Episcoporum* et *Missale romanum.* — (3) Cf. n. 805.

1. — *Ratio institutionis capitulorum.*

Hæc ratio innotescit ex *origine* et *fine* capitulorum.

445. — I. *Origo capituli cathedralis* (1). — Jam in primæva Ecclesia, 12 presbyteri et 7 diaconi civitatis episcopalis efformabant senatum, cujus consilio et opera Episcopus in diœcesi regenda utebatur. Sede vacante, regimen diœcesis ad clerum ecclesiæ cathedralis ab ætate apostolica devolvi consuevit. *Presbyterium* dicebatur ille cœtus majoribus clericis constans, qui cum Episcopo unum corpus constituebat, et ab ipso in partem sollicitudinis vocabatur.

Jamvero capitulum ducit originem ab antiquo presbyterio; nam idem fuit officium tum istius primævi senatus episcopalis, tum collegiorum quæ postea capitula dicta sunt; semperque exstitit collegium quo Episcopus adjuvaretur, et diœcesis regeretur sede vacante (2).

Discrimen inter canonicos et parochos in eo consistit, quod capitulum semper fuerit clerus primarius diœcesis; nimirum jam a temporibus apostolicis in clero urbis episcopalis, ecclesiæ cathedrali addicto, senatus Episcopi exhibetur. Parochi vero rurales circa sæculum IV^m^ constitui cœperunt, iique non tantum Episcopo, sed et capitulo inferiores fuerunt.

446. — De nomine *canonicorum* et *capituli* hæc notanda sunt :

1. Prioribus Ecclesiæ sæculis, nomen *canonicorum* omnibus clericis commune fuit, tum quia canoni seu matriculæ Ecclesiæ inscribebantur, tum quia ex bonis ecclesiasticis accipiebant canonem seu certam portionem, tum quia sub canone seu regula vitam agebant.

Media ætate, *canonici* vocati sunt ii soli qui communem vitam sectabantur. Hoc sensu Chrodogangus, episcopus Metensis, in sæculo IX° canonicos instituisse dicitur, dum collegia clericorum ad vitam regularem adduxit. Vitæ communis institutum coluerunt fere omnia collegia canonicorum ; sed plurima sensim illud deseruerunt. — Inde duplex emersit ordo canonicorum : aliqui statum clericalem cum vita monastica conjungunt, v. g. juxta regulam S. Augustini, et propterea *canonici regulares* appellantur. Cæteri autem qui, abjecta vita communi, in domibus suis singuli vivunt, dicuntur *canonici sæculares*. In hoc sensu litteras sæcularizationis pluribus capitulis regularibus concesserunt SS. Pontifices, canonicos deinceps a statu et vita regularium dispensantes, manentibus capituli essentialibus obligationibus.

2. Nomen *capituli* derivatur, vel ex monasticis institutis, quorum formam et vocabula canonici usurparunt, vel ex eo quod ipsi unum cum Episcopo corpus, quasi potiora membra cum capite, constituunt. Sicut enim Episcopus *caput* seu princeps Ecclesiæ dicebatur, ita collegium canonicorum dici potuit *capitulum*, quasi caput secundi ordinis, et post Episcopum supra cæteros clericos excellens.

(1) Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. III — (2) Nobilissimum illud collegium Episcopo assistens et Dei laudes concinens, mystice descripserat S. Joannes (Apoc., IV, 4) : « Et in circuitu sedis (in qua sedebat Agnus occisus) sedilia viginti quatuor, et super thronos 24 seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis. »

447. — II. *Finis capitulorum cathedralium* (1). — Primarium eorum finem esse ut Episcopum adjuvent, et sede vacante regimini diœcesis provideant, constat tum ex veteri, tum ex recenti Ecclesiæ disciplina. Nisi enim capitula in hunc præcipuum finem existerent, dicendum esset illa fuisse instituta vel ut vitam communem ducerent, vel ut officium divinum celebrarent.

Rejicienda est prior hypothesis. Olim quippe exstabat Episcopi consilium, presbyteris et diaconis Ecclesiæ cathedralis constans, licet isti nondum in eadem domo communitatem efformarent. Vita communis, cum postea fuerit introducta et remota, profecto est aliquid capitulis accidentale.

Altera hypothesis de celebratione divini officii, nihil probat. Equidem capitula hoc munere semper functa sunt; sed antiquitus statutis diebus cum populo, sicut hodie fit in parochiis, matutinæ tantum et vespertinæ Dei laudes ab eis solvebantur. Solum in sæculo IX° invaluit mos, a cœnobiis mutuatus, ut collegium cathedrale teneretur quotidie statutis horis choro adesse, septemque officii partes in ecclesia persolvere. Hæc obligatio propria, quæ capitulis jamdiu existentibus accessit, fuit eorum finis secundarius.

Idem ex jure novo evincitur. Etenim 1. Concilium Tridentinum mandat ab Episcopis requiri consilium capituli, et vocat capitulum Ecclesiæ senatum (2). — 2. Congregatio Concilii declaravit : « Ecclesiæ mentem esse ut Episcopus consilio capituli utatur, et capitula esse consiliaros natos Episcoporum (3). »

448. — Capitula autem collegiata cultui divino primario addicuntur, neque sua institutione destinantur ad juvandum Episcopum in regimine diœcesis.

2. — *Erectio capituli et collatio canonicatuum.*

1. — Erectio capituli.

Duo expendentur : 1° potestas erigendi capitulum; — 2° creatio dignitatum et canonicatuum.

449. — *Potestas erigendi capitulum.* — 1. Jus erigendi capitulum cathedrale exclusive spectat ad R. Pontificem, quia connectitur hujusmodi erectio cum erectione cathedralis ecclesiæ. Atqui ad R. Pontificem exclusive spectat jus erigendi novos episcopatus.

2. Facultatem erigendi capitula collegiata exclusive pertinere ad R. Pontificem, nullo quidem textu juris definitur; sed constat ex praxi Ecclesiæ (4), cui suffragatur regula canonica. Etenim constitutio collegii ecclesiastici est causa major, causæ vero majores R. Pontifici a jure generaliter reservantur.

3. Potestatem erigendi capitulum consequitur facultas eligendi et præscribendi habitum canonicorum, illumque mutandi vel augendi. Ideo recur-

(1) Analecta juris pontificii : *des Chapitres cathédraux.* — (2) Sess V, I; XXIII, cap. XVIII; XXIV. cap. XII et XV. — (3) Thesaurus resolutionum Congr. Concilii (1817). — (4) Congr. Conc., 25 dec. 1856,

ritur ad S. Pontificem pro concessione novi habitus vel alicujus paramenti, præter rochettum et cappam vel mozettam, quæ jure communi competunt omnibus canonicis, sed quoad formam et materiam usu vel statutis determinantur, nisi explicite describantur in litteris apostolicis.

4. Ad constituendum capitulum, tres saltem requiruntur canonici, juxta effatum e jure romano desumptum : *tres faciunt capitulum*. Nihilominus, si capituli rite constituti pleraque membra deficiant, unusque supersit canonicus, capitulum adhuc subsistit, suaque jura conservat.

450. — *Creatio dignitatum et canonicatuum.* — 1. Episcopus, consentiente capitulo, potest erigere dignitates usitatas, non vero insuetas. Ratio est, quia creatio dignitatis insuetæ censetur causa major, non item creatio dignitatis communis.

2. Ad canonicatus quod attinet, distinguitur inter capitulum *numeratum* et capitulum *non numeratum*.

Si præfixus fuerit a R. Pontifice numerus canonicorum, decreto apostolico standum est.

Si vero capitulum non sit numeratum, Episcopus potest, eo assentiente, novos canonicatus erigere, modo tamen singulis præbendam sufficientem assignet.

3. Quando præbendæ canonicorum congruæ eorum sustentationi non sufficiunt, nec ex beneficiis simplicibus unitis augeri possunt, licet Episcopo quosdam canonicatus supprimere, quorum proventus cæteris accrescant (1).

II. — Collatio canonicatuum.

Investigandum est 1° cuinam competat jus conferendi canonicatus; — 2° quænam sint dotes requisitæ ad obtinendum canonicatum.

A. *Jus conferendi canonicatus.*

451. — I. *R. Pontifices* possunt quasdam collationes sibi reservare. Jamvero per regulas Cancellariæ sibi reservant primam dignitatem Ecclesiarum cathedralium, præbendas certis mensibus vacantes, præbendas Romæ sive obitu sive sententia vacantes, et quasdam alias.

Reservationes vigent ubi per concordata eis non derogatum est. In Gallia, Concordatum anni 1801 illis quoad parochias derogavit, non vero quoad canonicatus. Hujus reservationis observantiam Sancta Sedes non urget ex prudentia et indulgentia, salvo jure, ait Bouix; alii autem asserunt consuetudinem legitime præscriptam huic juri derogasse, saltem in plerisque diœcesibus.

II. Seposita reservatione, quæritur an collatio canonicatuum et dignitatum Ecclesiæ cathedralis ad Episcopum et capitulum conjunctim pertineat?

1. Ista collatio spectare potest vel ad solum Episcopum, vel ad Epis-

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, c. XV, *de Reform.*

copum requisito capituli consilio, vel simul ad Episcopum et capitulum, vel etiam ad solum capitulum. Igitur attendenda sunt *statuta et consuetudines Ecclesiarum.*

Ex origine aut consuetudine, jus conferendi præbendas vel in solo Episcopo vel in solo capitulo firmari potest. Si R. Pontifex, erigendo capitulum, nihil statuerit de canonicatuum collatione, regula petenda est a legitima consuetudine, quæ in hac materia prescribit. Si nulla consuetudo specialis et probata existat, standum est juri communi (1).

In Gallia, a tempore Concordati (1801) generatim solus collator est Episcopus, sive consulto, sive inconsulto capitulo ; sed mos invaluit ut collatio a Gubernio probetur et decreto firmetur (sicut collatio parœciarum in perpetuum titulum), ratione oneris ab eo assumpti congruum canonicis præbendi stipendium (2).

2. *Ex jure communi*, collatio canonicatuum ecclesiæ cathedralis ad Episcopum et capitulum simul pertinet, ita ut Episcopus æqualem vocem cum capitulo habeat, vel alternis vicibus conferat juxta ordinem statutum. Hæc forma collationis dicitur jus commune, non quidem eo quod in sacris canonibus expresse præcipiatur, sed quia unanimis doctorum interpretatio et praxis Curiæ romanæ istam regulam induxerunt.

Jus simultaneæ collationis ex ratione logica et historica ortum est : 1. *Ratione logica.* Propter unionem quæ intercedit inter Episcopum et capitulum, decet nominationem canonicorum communi assensu fieri, ne personæ vel capitulo vel Episcopo invisæ assumantur ; quod omnes respicit, ab omnibus approbari debet. — 2. *Ratione historica.* Primitus communes erant reditus Episcopi et capituli ; ideo non æquum erat ut clericus eorum particeps fieret, nisi consentiente utroque, scilicet Episcopo et capitulo. Quamvis massa primordialis postea fuerit inter Episcopum et capitulum divisa, et in multis locis ipsa massa capitularis distributa in portiones distinctas singulis canonicis tradendas seu *præbendas*, tamen perseveravit collatio simultanea. — Jus ejusmodi deductum est ex veteri principio, nempe collationem beneficiorum pertinere ad eos de quorum bonis fundata sunt id est, ad Episcopum si ex *mensa episcopali ;* ad capitulum, si ex *mensa capitulari ;* ad utrumque, si ex bonis communibus præbendæ fuerint constitutæ. Quoties neque documentis neque possessione liquet quibus ex bonis fundatæ fuerint præbendæ canoniales, præsumuntur ex bonis communibus fundatæ.

B. *Dotes ad obtinendum canonicatum.*

452. — In canonicis requiruntur status clericalis, certa ætas, honestas et scientia.

(1) Schmalzgrueber, tit. *de Præbendis.* — (2) S. Congregatio negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis præposita, jussu Leonis XIII adunata ad dirimendas nonnullas controversias inter episcopum Tarbiensem et capitulum cathedrale exortas, decrevit (14 julii 1888) ad Tarbiensem episcopum et minime ad capitulum competere jus sive conferendi canonicatus in cathedrali ecclesia, sive nominandi archipresbyterum cui onus curæ animarum incumbit. Pariter vicariis generalibus præcedentiam super omnes dignitates et canonicos, tam in choro quam in processionibus, competere judicavit.

I. *Status clericalis.* — Nullum beneficium conferri potest nisi clerico ; imo in capitulis cathedralibus *certus ordo* requiritur, ex decreto Concil. Trid. : « In omnibus ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus... Dimidia saltem pars presbyteri sint... ; ubi vero consuetudo laudabilior habet ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observatur (1). »

II. *Ætas.* — In ecclesiis cathedralibus, requiritur ut provisus possit saltem infra annum suscipere ordinem sacrum præbendæ annexum. Igitur pro subdiaconatu sufficiunt 20 anni completi, pro diaconatu 21, pro presbyteratu 23. Canonicatus curam animarum habentes vigesimum quartum ætatis annum postulant.

In collegiatis, ætas 14 annorum sufficit, nisi certus ordo canonicatui sit adjunctus.

III. *Morum honestas* relucere debet in canonicis, siquidem eorum munus est Episcopum adjuvare et laudes divinas persolvere. Unde Concilium Tridentinum ibidem ait : « Ea integritate morum polleant, ut merito Ecclesiæ senatus dici possint. »

IV. *Scientia* theologiæ et canonum. — Cum canonici ecclesiæ cathedralis sint Episcopi consilium, eo ipso necessarium est eos præcellere tum doctrina fidei et morum, tum notitia juris ecclesiastici.

II. — De constitutione capitulorum.

Canonici considerantur vel singulatim, vel universim ; quare dicendum 1° de membris capituli ; — 2° de corpore capitulari.

1. — *De membris capituli.*

Huc spectant : 1. Diversi honoris gradus in capitulo ; — 2. canonicorum præbendæ et obligationes.

I. — Diversi honoris gradus in capitulo (2).

453. — I. *Gradus in genere.* — Inter canonicos eminent qui *dignitatem*, aut *officium*, aut *personatum* obtinent. *Dignitas* est prærogativa honoris, cum jurisdictione aut administratione. *Officium* est administratio sine jurisdictione et præcedentia. *Personatus* est præcedentia sine jurisdictione.

1. His gradibus insigniti sunt, præter archidiaconum et archipresbyterum, præpositus, decanus, primicerius, præcentor, thesaurarius, scholasticus, syndicus, camerarius, etc.

Olim curam capituli internam et externam gerebat *præpositus*, internam tantum *decanus*. *Primicerius*, ita dictus ex eo quod in cereis tabulis primus inscriberetur, chorum dirigebat ; alio nomine appellatus est *præcentor*, ex officio ipsi incumbente ut divinæ laudes ordinate persolverentur. *Sacrista* seu *thesaurarius* et *custos* reliquias, vasa sacra, etc.,

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XII, *de Reform.* — (2) Bouix, *de Capitulo.*

curabant ; sæpius eorum idem erat officium. Hæc nomina plerumque nunc inania sunt, diversa pro diversis locis, nec retinent nisi vestigium pristinæ potestatis.

2. Juxta vigentem disciplinam, in capitulis distingui solent dignitates et simplices canonicatus. Attendenda est Ecclesiarum consuetudo, et videndum quid jurisdictionis, vel muneris, vel honoris cuique conferatur. Prima dignitas in diversis diœcesibus est vel archidiaconus, vel decanus, vel præpositus, vel alius nominis præses.

Dignitates hodie generatim nullam jurisdictionem habent annexam, ac proinde rectius eas dixeris personatus quam dignitates. Attamen in praxi dignitates dicuntur tum eæ quibus olim annexa erat jurisdictio, tum tituli beneficiales qui ex statuto vel consuetudine dignitatibus adscribuntur.

Inde duo inferuntur : 1° Dignitates sunt tum Archidiaconus et Archipresbyter, eo ipso quod hoc nomine insigniuntur a jure in ecclesiis cathedralibus ; tum canonicus qui est caput et præses capituli. At sacri canones minime patiuntur ut in eadem ecclesia eodemque collegio ab Ordinario constituantur duæ dignitates eumdem habentes titulum, easdemque functiones exercentes, omni præbenda destitutæ et ad nutum amovibiles, quemadmodum in multis Galliæ capitulis factum est. Ideo episcopo Tarbiensi mandatum fuit ut aboleret omnia quæ spectant ad titulum et officia archidiaconatus vicariis generalibus commissa (14 jul. 1888). — 2° Nulli alii sunt dignitates nisi tales probentur, vel per decretum erectionis tituli ipsorum in dignitatem, vel per consuetudinem et existimationem loci, vel per jurisdictionem perpetuo titulo annexam.

454. — II. *Officia in capitulo.* — Concilium Lateranense IV instituit in capitulis cathedralibus duplex officium, nempe Theologalis et Pœnitentiarii. Hæc saluberrima institutio stabiliorem formam a Concilio Tridentino accepit. Exinde canonicatum theologalem et pœnitentialem erigere debuerunt Episcopi, præbendas primo vacaturas his muneribus stabiliter afficiendo (1).

1. *Canonici theologalis* officium est S. Scripturam clero et populo explanare extra missarum solemnia, diebus et horis ab Episcopo præstitutis (2).

2. *Canonici pœnitentiarii* officium est fidelium confessiones audire. Apud ecclesiam cathedralem instituitur quasi parochus totius diœcesis, et a jure communi jurisdictionem ordinariam in foro interno consequitur. Attamen a peccatis reservatis non absolvit sine delegatione.

Uterque, dum munere suo fungitur, censetur choro interesse.

455. — III. *Canonici supernumerarii.* — Supernumerarii dicuntur canonici qui sunt extra numerum actu vigentem in capitulo.

Triplex istorum species distinguitur. — *Prima* est eorum qui creati sunt a R. Pontifice cum *exspectativa*, nimirum quibus Papa contulit canonicatum et præbendam primo vacaturam. — *Altera*, eorum qui ultra

(1) Concilium Tridentinum, sess. V, cap. I ; sess. XXIV, cap. XVIII. — (2) Benedictus XIV, *de synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. IX.

numerum antiquum per erectionem novæ præbendæ recipiuntur in canonicos. — *Tertia*, eorum qui sine præbenda vel exspectativa creantur ad honores, et *honorarii* nuncupantur.

Prima species non attendenda videtur ; etenim non est amplius in usu, cum Tridentinum Concilium hujusmodi gratias exspectativas prohibuerit (1). — Secunda etiam eliminari potest ; nam, accedente nova fundatione, canonicus ista præbenda provisus vere est de numero actuali canonicorum, nec nisi ratione antiqui numeri dicitur supernumerarius.

Superest tertia species, cujus legitima institutio et privilegia sunt declaranda.

1. *Creationem* canonicorum honorariorum esse *legitimam* constat ex auctoritate et ratione. Ad auctoritatem quod attinet, hodie viget in diœcesibus universis usus creandi canonicos honorarios. Accedunt declarationes quibus Congregatio Concilii hanc Ecclesiarum praxim probat, etiamsi canonicus honorarius non inserviat Ecclesiæ cui adscribitur (2).

Suffragatur ratio convenientiæ ; nam utile est Ecclesiæ viros de religione bene meritos publico honoris testimonio per Episcopum et capitulum condecorari.

Equidem prohibetur institutio canonicorum sine præbenda ; sed illa prohibitio intelligitur de canonicis proprie dictis.

2. *Modus eos creandi.* — Episcopus illos eligit cum vel sine assensu capituli, pro usu locorum. Sufficiens vero assensus exhibetur, ubi usu requiritur, dummodo capitulum nominationem approbet, et canonicos honorarios in suis stallis admittat, eosque tabulis inscribat.

Nonnisi ex causa legitima fieri debet creatio canonicorum ad honores ; nec numerus eorum ultra certos limites debet protrahi (3). Unde S. Cong. Concilii, de mandato Leonis XIII, ad omnes episcopos rescripsit (16 sept. 1884) *ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia clericis suis impertiant, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis ; clericis vero alienis nullum unquam conferant honoris signum vel titulum, inscio et invito Ordinario cujus potestati subduntur* (4).

3. *Privilegia* ipsorum reducuntur ad stallum (cujus concessio non est universalis), nomen et quædam insignia canonicorum.

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, c. XIX, *de Ref.* — (2) « Episcopus utatur jure suo nominando canonicos honorarios de consensu capituli, ita tamen ut honorariorum numerus titularium medietatem non excedat. » (S. Cong. Conc., 21 maii 1892) — (3) Cf. Litt. S. Cong. Conc., 16 sept. 1884. — (4) Breve Leonis XIII (29 januarii 1894) sancit 1. ut Episcopus alienæ diœceseos clericum nominaturus canonicum ad honores, obtineat sui capituli consensum atque notitiam et votum ordinarii cui nominandus subjicitur, eumdemque ordinarium doceat insignia et privilegia quorum usus nominando tribueretur ; — 2. ut canonici ad honores extra diœcesim degentes numero non excedant duas tertias partes canonicorum ecclesiæ cui cooptantur ; — 3. ut canonici ad honores suis privilegiis et insignibus utantur tantum in diœcesi ubi nominati sunt ; — 4. ut hæc omnia serventur quoque a canonicis ad honores usque ad hanc diem nominatis.

II. — Canonicorum præbendæ et obligationes.

A. *De præbendis.*

Bona temporalia quibus capitulum sustentatur, considerantur vel in genere, vel in specie quoad Galliam.

456. — 1. Ad capitula spectant *præbendæ* et *distributiones* quotidianæ.

1. *Præbendæ.* — Olim communes erant reditus Episcopi et capituli, communisque victus. Sensim frigescente caritate et regulari observantia, communis massa redituum divisa est inter Episcopum et capitulum ; deinde singulis de capitulo proportionata bonorum portio concessa est, et *præbenda* nuncupata est.

Præbenda canonicalis definitur : Jus percipiendi certos proventus ecclesiasticos, competens uni de collegio capitulari.

In canonicatu duo diversa jura concurrunt, nempe *canonia* et *præbenda*. Canonia est titulus juris, quo clericus fit collegii membrum et consequitur stallum in choro, vocem in capitulo et jus ad præbendam. Præbenda vero est beneficium canoniæ subordinate annexum ; quæ si deficiat, aut tollatur vel minuatur, integra manet canonia, licet necessitas aut æquitas tunc postulet moderationem onerum et officiorum canonicalium, a S. Pontifice vel ab Episcopo determinandam.

2. *Distributiones* quotidianas primus excogitavit Ivo, Carnutensis Episcopus (XI° sæculo), ut canonici fierent divinis officiis magis assidui. Hæc institutio transiit in jus Decretalium, eamque concilium Tridentinum confirmavit (1).

Ex ea lege, tertia pars fructuum præbendarum debet separari, et in quotidianas distributiones converti, ab absentibus amissas, præsentibus vero accrescentes ac inter ipsos dividendas juxta modum ab Episcopo determinatum. Idem statuit, quoad pensiones Gubernii, Conc. Aquense (1850).

457. — II. *Pensiones canonicorum in Gallia, Hispania, etc., præbendis æquiparantur.*

Ratio est, quia eis convenit definitio beneficii. Etenim pensiones ejusmodi sunt portio bonorum Ecclesiæ in reditus commutatorum. Hæc autem portio ab auctoritate ecclesiastica singulis canonicis assignatur in perpetuum, ratione officii spiritualis.

Accedit responsio S. Pœnitentiariæ (1819) : « Pensiones quæ canonicis solvuntur, induunt naturam beneficiorum, et annexam habent obligationem inhærentem bonis ecclesiasticis. »

B. *De obligationibus canonicorum.*

Aliæ sunt obligationes capituli erga Episcopum, aliæ obligationes canonicorum erga Ecclesiam.

(1) Sess. XXI, cap. III ; XXII, cap. III ; XXIV, cap. XII.

458. — I. *Obligationes capituli erga Episcopum* sunt honor et obedientia.

1. Capitulum Episcopo exhibet honorem, primo quoad *locum* : « Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis, sit prima sedes et locus quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas (1).»

Secundo, quoad *assistentiam* : «Canonici compellantur Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire (2). »

Tertio, quoad *associationem* : « Cum Episcopus, rei divinæ peragendæ causa, ad ecclesiam venturus est, debent canonici eum comitari (3). »

Quarto, quoad *ornamenta* : Cum Episcopus vult pontificalia exercere, a capitulo subministranda sunt ei paramenta e sacristia cathedrali. Vicissim, plurima ornamenta Episcopi morientis ad capitulum pertinent, ex dispositione quam Pius IX confirmavit (4). Insuper, jussu Leonis XIII (25 martii 1889) præceptum est Episcopis ut successoribus suis transmittant, studio et opera capituli cathedralis, vel alterius gerentis vices episcopi, vacante sede, particulas ligni sanctæ Crucis Domini, quas thecis inclusas pectore præ se ferunt.

2. Capitulum Episcopo præstat obedientiam. Etenim Episcopus potest capitulo præcipere, modo tamen ea tantum præcipiat, ad quæ præstanda de jure tenentur canonici. Ratio est, quia Episcopus jurisdictionem habet non tantum in singulos diœcesanos, sed in ipsum capitulum ; imo potest Episcopus illud judicare ratione status clericalis, officii et beneficii.

Ratio limitationis est, quia jurisdictio Episcoporum a R. Pontifice pendet in assignatione materiæ et subditorum. Atqui R. Pontifex ad Episcopum ait in *Decretalibus* : « Tu his juribus contentus existens, non amplius ab eis exigas (5). »

Proinde non exigenda sunt servitia in jure non expressa. Verum in dubio an aliquid possit ab Episcopo mandari, præsumptio stat pro mandato Episcopi.

459. — II. *Obligationes erga Ecclesiam* sunt professio fidei, divinum officium, missa conventualis et residentia.

1. *Obligatio profitendi fidem.* — Decernit Concilium Tridentinum : « Provisi de canonicatibus et dignitatibus *in ecclesiis cathedralibus*, a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in capitulo, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem teneantur, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent ; alioquin fructus non faciant suos (6). » Sufficit una professio, si in capitulo præsens adsit Episcopus, vel ejus vicarius generalis.

2. *Officium divinum in choro.* — Initio Ecclesiæ, clerus et populus

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. VI. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XII. — (3) *Cæremoniale Episcoporum*, lib. I. cap. XV. — (4) Pii IX litteræ apostolicæ *Cum illud plurimi*, 1a jan. 1847. — (5) Tit. *de Officio judicis ordinarii*, cap. *Conquerente*. — (6) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XII.

simul in ecclesia laudes Dei celebrabant. Postea selecti sunt clerici, qui publice et quotidie horas canerent. Exinde capitulo incumbit obligatio celebrandi divinum officium seu *horas canonicas* publice, assidue et integre, per psalmodiam.

Horarum canonicarum recitatio debet esse *solemnis* : « Omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare (1). »

Cum officium divinum collegialiter celebrari non possit nisi adsint canonici, requiritur *assidua* singulorum assistentia. Causæ tamen a servitio chori excusantes quandoque dantur ; etenim, quamvis singuli canonici regulariter teneantur assistere, collegium a pluribus membris repræsentatur. Jamvero istæ causæ sunt duplicis generis : aliæ ita excusant ut absens lucretur, non tantum fructus præbendæ, sed etiam distributiones, v. g. infirmus, vicarius capitularis, canonici assistentes Episcopo celebranti, theologalis eo die quo lectiones habet, et pœnitentiarius dum audit confessiones ; aliæ ita excusant ut absens lucretur quidem fructus præbendæ, non autem distributiones, v. g. eo modo excusantur duo canonici quos Episcopus in suo servitio retinet, magistri theologiæ in scholis publicis (2), etc.

Officium divinum capitulariter celebrandum est *integre ;* nam canonicus, vi sui muneris, nisi legitime dispensetur, illud in choro persolvit quod privatim recitat clericus in sacris. Ubi capitulum paucis canonicis constat, non desunt exempla dispensationis ; v. g. pleraque Galliæ capitula ex indulto non tenentur quotidie Matutinum cum Laudibus in ecclesia persolvere.

Canonici officium persolvunt *psallentes* in choro. Ut muneri suo satisfaciant, non sufficit eos præsentes esse, nisi canant ; contrariam sententiam Benedictus XIV profligavit. Attamen canonici compelli non debent ad horas semper celebrandas cum cantu proprie dicto ; satis est, si alta voce recitent.

Ad efficiacius procurandam assiduitatem canonicorum in choro, deligi consueverunt duo canonici vel alii beneficiarii *punctatores*, quibus onus incumbit notandi quotquot absunt a choro, et quibus nominatim diebus, aut a qua divini officii parte hic aut ille se subducat (3).

Mos etiam invaluit ut canonici qui assiduum et continuum servitium chori per quadraginta annos fideliter obierunt, a S. Sede postulent et obtineant dispensationem ab obligatione chori, absque ulla redituum diminutione. Hi canonici dicuntur *jubilati*.

De obligatione restituendi beneficii fructus, quos canonici, propter officium omissum, non faciunt suos, Cf. S. Alph., lib. III, n. 663-676.

3. *Celebratio missæ conventualis.* — Ex jure communi, capitula regulariter tenentur ad missam conventualem quotidie celebrandam pro benefactoribus.

(1) Sess. XXIV, cap. XII. — (2) *Decret.* lib. III, tit. 4, c. XV. — (3) Bened. XIV, *de Syn. diœc.* lib. IV, c. IV.

Hæc missa *conventualis*, id est, præsente capitulo et ipsius nomine ab uno canonico celebranda, ex jure debet esse solemnis aut saltem cantata. Unde Honorius III ait : « Missarum solemnia conventualiter celebretis. »

Missa capitularis *quotidie* celebratur (*bis* certis diebus), eo quod capitulum singulis diebus persolvit divinum officium, cujus sacrificium est pars præcipua.

Missa capitularis *benefactoribus applicanda est*. Hæc obligatio certo constat, præsertim ex quo Benedictus XIV auctoritate apostolica confirmavit varias Congregationis Concilii resolutiones, quibus, non obstante contraria consuetudine, e medio sublatæ fuerunt excusationes ad declinandam hujusmodi applicationem. Ex indulto tamen plura capitula dispensatur ab obligatione applicandi quotidie benefactoribus missam conventualem (1).

4. *Residentia*. — Cum officia canonicorum personalia sint atque continua, postulant residentiam, cujus obligationem Concilium Tridentinum sic statuit : « Obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis canonicatus non liceat, vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt (2). »

2. — *De corpore capitulari*.

Canonici, universim considerati, efficiunt corpus seu personam moralem, ad quam spectant *conventus* capitularis et *statuta* capitularia.

I. — Conventus capitularis (3).

460. — Aliæ regulæ respiciunt capituli *convocationem*, aliæ vero *actum capitularem*.

I. *De convocatione capituli* quæritur : 1° penes quem sit potestas convocandi capitulum ; 2° quinam sint vocandi.

1. Capitulum sub duplici aspectu consideratur, nempe vel ut Episcopi consilium, vel ut collegium.

Quatenus illud est *consilium* Episcopi, ab ipso Præsule aut a Vicario generali convocatur.

Quatenus est *collegium*, ei competit jus autonomiæ ; quamobrem a proprio capite convocari potest.

Ex regula generali, capitula congregantur sine licentia Episcopi. Attamen hæc regula exceptiones patitur, tum ex eo quod adesse potest contraria consuetudo, tum ex eo quod non prohibetur Episcopus convocationem capituli proper gravem causam aliquando suspendere.

2. Capitulum est ordinarium vel extraordinarium. — Ad capitulum *ordinarium* canonici sufficienter convocati censentur per notitiam temporis et loci conventus celebrandi.

(1) Analecta juris pontificii : *des Chapitres cathédraux*. — (2) Sess. XXIV, cap. XII. — Cf. S. Alph., lib. IV, 129-132. — (3) *Decretalium* lib. III, tit. X, *De his quæ fiunt a majore parte capituli*.

Ad capitulum *extraordinarium* vocari debent omnes canonici in civitate præsentes, aut non procul absentes. Imo absentes convocandi sunt, ubi agitur de rebus majoris momenti, v. g. de electione vicarii capitularis.

II. *Actus capitularis.* — 1. *Præses* capituli est ille cui competit jus illud convocandi.

2. Necesse est ut convocentur omnes qui vocem in capitulo habent, vel de præsenti habere possunt. Si aliqui non sint vocati, nec adsint duæ tertiæ partes capitularium, actus est eo ipso irritus.

3. Vocem habent generaliter illi solum qui sunt *de numero* canonicorum ; sed canonicis impeditis licet constituere procuratorem, e gremio capituli sumendum, qui suffragium ferat ipsorum nomine.

4. Suffragia *libera* esse debent. Attamen modus illa emittendi non ruit jure communi determinatus, electionibus exceptis.

5. Pro exitu negotii, regulariter requiritur et sufficit consensus *majoris* et *sanioris* partis præsentium, quos sufficit tres esse, si reliqui rite convocati non comparent (1). Major autem pars censetur sanior, nisi de pravo illius animo probatio fieri possit coram superiore.

II. — Statuta capitularia.

Trademus primo jus commune circa statuta capitulorum ; dein jus capitulare in Gallia.

A. *Jus commune circa statuta capitulorum.*

461. — I. *Capitulum potest aliqua statuta sibi condere.* Ratio est, quia capitula sunt collegia legitime constituta ; atqui omne corpus morale habet facultatem sibi providendi per statuta quibus finem suum consequatur.

Accedit auctoritas canonistarum et tribunalium Sanctæ Sedis, ex qua « explorati juris est capitulum posse statuere super his quæ ad ipsum pertinent (2). »

II. *Objectum statutorum.* — 1. Capitulum statuit generatim in minoribus, id est, circa *suum regimen internum*, non autem circa ea quæ vel statum generalem Ecclesiæ, vel ipsum Episcopum respiciunt.

Ex hoc principio plura inferuntur : 1. Episcopus invigilat ne capitulum aliquid statuat vel nocivum, vel juri communi contrarium, vel propriam potestatem excedens. — 2. Statuta a capitulo condita de rebus arduis non valent, donec accesserit Episcopi consensus. — 3. Administratio ecclesiæ cathedralis spectat simul ad Episcopum et capitulum.

2. Capitulum potest etiam pœnalia statuta condere, modo pœnæ non excedant disciplinam domesticam.

Hujusmodi statuta, præsertim a superiore approbata, obligant singulos canonicos, etiam successores eorum qui statuta condiderunt. Etenim illa

(1) Bouix, *de Capitulis*, p. I, sect. IV, c. I, n. 4. — (2) Decisio Rotæ romanæ (1585).

obligant donec revocentur, si naturam legis induant; atqui rationem legis induunt, sive quia capitulum videtur habere jurisdictionem legislativam, ad leviora restrictam, sive saltem quia statuta capitulorum ab Episcopo confirmari solent.

III. Ad eosdem pertinet *statutorum correctio*, ad quos de jure communi spectat eorum confectio (1).

Capitulum potest sua statuta, etiam ab Episcopo confirmata, mutare, modo illa sint de rebus ad capitulum pertinentibus, et confirmatio sit *accidentalis*. Jamvero accidentalis præsumitur confirmatio in favorem statuentium concessa; essentialis autem, confirmatio quæ ad bonum publicum refertur.

B. *Jus capitulare in Gallia.*

462. — Ut istûd jus innotescat, duo sunt expendenda : 1. prior confectio statutorum capitularium in Gallia; 2. eorum revisio.

I. *Quibus modis condita fuerint prima statuta.* — 1. Sancta Sedes juri communi derogavit, et Episcopis jus transitorium concessit ad Concordatum anni 1801 exequendum. Etenim Cardinalis Legatus a Pio VII accepit « amplissimas facultates, etiam subdelegandas, ad probanda statuta capitulorum (2); » quarum vi statuit : « Hujus facultatis vigore, Episcopis Galliarum primo futuris concedimus, ut capitulum in cathedralibus ecclesiis suis erigere ipsi possint, juxta formam a canonibus præscriptam, cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem expedire judicabunt... Iisdem Episcopis primo futuris curæ erit, ut quæ pertinent ad capitulorum regimen, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis earumque choro servandos, pro suo arbitrio et prudentia definiantur et constituantur, relicta tamen eorum successoribus statutorum immutandorum facultate, requisito prius capitulorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint. In ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis, religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, *usuumque ac consuetudinum laudabilium antea vigentium*, præsentibusque circumstantiis accommodatarum, ratio habeatur (3). »

Hæc derogatio juri communi facta fuit, eo quod ad religionem in Galliis instaurandam plurimi interesset ut citius absolveretur ecclesiarum et capitulorum ordinatio.

Verum quod decrevit Legatus de successoribus primorum Episcoporum, videtur intelligendum de successoribus proximis. Etenim concessiones a jure communi exorbitantes stricte interpretandæ sunt; atqui Legatus non dixit : *successoribus in perpetuum*. Equidem voluit ordinationi capitulorum sine mora providere, et ad hunc finem licitum fuit Episcopis proxime succedentibus necessarias mutationes inducere. Legatus vero

(1) Schmalzgrueber, *de Cessatione legum*. — (2) Bulla *Qui Christi Domini* (1801). — (3) Cardinalis Legati decretum (1802).

non debuit, neque potuit juris communis observantiam impedire in perpetuum.

Juxta hanc sententiam, capitula vi Concordati anno 1802 instituta, hodie juri communi subjiciuntur, quoad potestatem conficiendi et mutandi statuta capitularia.

Alia tamen sententia, juxta quam indefinite Episcopis competit facultas immutandi satuta capitulorum, probabilis est, eo quod Legatus sine ulla distinctione *successores* subdelegavit, et teneri potest.

3. In Ecclesiis anno 1822 erectis, omne jus condendi statuta capitulorum Episcopis ab Apostolica Sede concessum est. Equidem in Concordato anni 1817, Pius VII mandat Episcopis « ut a singulis canonicorum collegiis statuta decerni curent, sibique probanda proponi (1). » Verum ut res expeditius perficeretur, Summus Pontifex anno 1822 statuit : « Episcopi pro singulis canonicorum collegiis statuta decernent, et ab ipsis observari curabunt (2).

In his Ecclesiis, statuta capitulorum mutari nequeunt, nisi juxta jus commune ; nam Pius VII juri communi derogavit tantum quoad statutorum confectionem, et circa illorum mutationem nullum jus particulare Episcopis successoribus attributum est.

II. *Statutorum revisio.* — 1. Ad illam proceditur, ut statuta capitulorum ad normam juris canonici reducantur.

2. Episcopi Galliarum, revisionen ejusmodi aggredientes, duplicem viam secuti sunt : alii sibi vindicarunt facultatem immutandi statuta capitulorum, ex delegatione suorum prædecessorum a S. Sede (3) ; alii, re mature perpensa ad normam juris, capitulis dimiserunt curam revisendi sua statuta, sibi reservato jure ea probandi (4).

§ 2. — *De auctoritate capituli cathedralis.*

Auctoritas capituli aliter sede plena, aliter sede vacante circumscribitur.

I. — De potestate capituli sede plena (5).

463. — Auctoritas capituli consistit in eo quod aliquando requiratur illius consilium vel consensus.

1. *Discrimen inter consilium et consensum.* — Ubi requiritur consensus capituli, Episcopus non tantum tenetur illud exquirere, sed etiam sequi. At ubi requiritur consilium, oportet illud audire ; necessitatem vero non infert. Non tamen superfluum est consilium ; postulatur enim ne quid Episcopus inconsiderate agat.

Cæterum, actus sine requisito consilio factus valet, nisi consilium præcipiatur per modum conditionis necessariæ, v. g. in statutis synodalibus.

(1) Bulla *Commissa divinitus.* — (2) Bulla *Paternæ pietatis.* — (3) Concilia provinciæ Parisiensis, Remensis, Turonensis. — (4) Concilia Burdigalense, Senonense, Tolosanum, Auscitanum, Aquense. — (5) *Decretalium* lib. III, tit. X, *De iis quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli.*

II. *De requisito capituli consilio.* — Ex regula generali, debet Episcopus in omnibus arduis negotiis consilium capituli exquirere. Ratio est, quia canonici sunt consiliarii nati Episcoporum.

Dantur speciales casus in quibus leges expresse decernunt ab Episcopo requirendum esse capituli consilium, v. g. in condendis statutis synodalibus.

III. *De requisito capituli consensu.* — Consensus capituli non requiritur nisi in casibus a jure expressis. Ratio est, quia ordinarium regimen diœcesis soli Episcopo committitur.

Jamvero duplex distinguitur species negotiorum in quibus ex jure necessarius est capituli consensus, scilicet, negotia quæ vel *ecclesiæ* vel *capitulo* præjudicium afferunt. Ad priorem speciem pertinent divisio et dismembratio parœciæ ac unio parœciarum, perpetua cura parœciæ regularibus tradenda, gravis obligatio ecclesiæ per contractum inducenda, diminutio mensæ episcopalis, alienatio rei pretiosæ vel hypotheca, etc. Ad alteram speciem spectant mutatio in numero canonicorum, unio plurium præbendarum, etc.

IV. *Consuetudo* plurimum valet in hac materia, et Episcopum in quibusdam causis eximere potest ab obligatione requirendi consilium vel consensum capituli.

Attamen præscribere nequit consuetudo nunquam exquirendi consilium vel consensum capituli. Ratio est, tum quia consuetudo ejusmodi cederet in grave detrimentum Ecclesiæ, tum quia præcipuum finem suum non assequerentur capitula, quæ ab Ecclesia fuerunt instituta tanquam senatus Episcoporum (1).

II. — De potestate capituli sede vacante.

Disserendum est 1° in genere, de capitulo sede vacante ; 2° in specie, de Vicario capitulari.

1. — De capitulo sede vacante.

464. — I. *Multiplici modo sedes vacat.* — 1. *Proprie* vacat per mortem, vel renuntiationem, vel translationem, vel depositionem Episcopi, vel ejus lapsum in hæresim notoriam.

2. Sedes dicitur *impedita*, quando Episcopus vi externa impeditur ne munus suum exerceat. Pro diverso casu, servandæ sunt regulæ sequentes :

1° Jurisdictio ad capitulum devolvitur, cum Episcopus a paganis, vel hæreticis, vel schismaticis captus est, ita ut fieri nequeat communicatio inter ipsum et diœcesanos ; neque reliquit Vicarium generalem qui interim diœcesim administret.

2° Id non est intelligendum de casu in quo Episcopus a potestate civili in carcerem conjiceretur, juxta sententiam Romæ practice adoptatam (2).

(1) In diœcesibus capitulo canonicorum carentibus, omnino optandum ut consultores seu assessores sibi adsciscant Episcopi ; imo quatuor aut saltem duos ad triennium eligendos esse a singulis Episcopis decrevit Conc. plenarium Americæ latinæ (1899, Romæ). — (2) Ita rem decidunt Pius VII et Gregorius XIV erga Episcopos violenter expulsos.

3° Si moriatur unicus Vicarius generalis, Episcopo in remotis agente, ad Sedem Apostolicam recurrendum est.

4° Episcopo suspenso, capitulum non administrat diœcesim ; sed Sancta Sedes Administratorem seu Vicarium apostolicum constituit.

465. — II. Sede proprie vacante, ex Decretalibus et Conc. Tridentino *jus administrandæ diœcesis* et eligendi episcopum ad capitulum devolvitur, nisi vivente Episcopo deputatus sit *administrator apostolicus*, cujus officium durat quamdiu sedes vacat (1) ; sed juri eligendi Episcopum fere ubique derogatum est per concordata aut per constitutiones apostolicas.

Quod spectat administrationem diœcesis, tempus attendendum est. Equidem jurisdictio transit in capitulum ipso momento quo Episcopus moritur, aut ad aliam sedem transfertur, aut sententia depositionis contra illum pronuntiatur. Verum, ad potestatem licite exercendam, capitulum tenetur exspectare notitiam certam mortis, vel translationis aut depositionis canonicæ præsulis.

466. — III. *Sede vacante, ad capitulum pertinet jurisdictio episcopalis ordinaria*, exceptis quæ ex jure specialiter ipsi Episcopo reservantur. Ratio est, quia, juxta Decretales, Ordinarii nomine venit tum Episcopus sede plena, tum capitulum sede vacante.

Igitur capitulum potest statuta condere et ab eis dispensare, causas judicare et pœnas infligere, confessarios approbare, imo diœcesim visitare et synodum celebrare ; et ea generatim sibi sumit, quæ sine damno non differuntur.

Excipiuntur a jurisdictione capitulari quæ sequuntur : — 1. Capitulum non peragit ea quæ sunt ordinis episcopalis, licet recte possit quemlibet Episcopum catholicum advocare ad exercenda pontificalia.

2. Litteras dimissorias ad ordinum susceptionem non concedit, sub pœna interdicti latæ sententiæ, nisi elapso anno, vel clericis arctatis, scilicet, qui ratione beneficii recepti vel recipiendi prius ordines suscipere tenentur. In hac prohibitione non comprehenditur prima tonsura, ad quam libere dat dimissorias (2). Et quoties dimissorias concedere valet, potest et dispensare ab interstitiis.

3. Non exercet ea per quæ status prior Ecclesiæ vel diœcesis mutatur, aut futuro prælato præjudicium infertur, v. g. non potest alienare bona et jura Ecclesiæ (3), nec dimittere clericos per *excardinationem*, vulgo *exeat*, quæ species est alienationis ; nec ea quæ Episcopo jure tantum extraordinario, aut ratione dignitatis episcopalis competunt, v. g. facultatem concedendi indulgentiam 40 dierum ; nec ea quæ Episcopo specialiter reservantur, qualia sunt beneficia ad liberam solius Episcopi collationem spectantia. Merito igitur capitula Galliæ consueverunt nominationem parochiarum proprie dictarum futuro Episcopo reservare (4).

4. Regulares approbati ad confessiones sæcularium non possunt iterum examinari a capitulo aut ejus vicario ; nec licet eorum approbationem et

(1) *De majoritate et obedientia*, c. XI et XIV. — (2) Cong. Conc., 10 febr. 1594. — Decr. Conc. Americæ latinæ (1899), art. 215. — (3) *Decretalium* lib. III, tit. 9, *Ne sede vacante aliquid innovetur*. — (4) Cf. *Decret.*, lib III, tit. 9 c. II.

facultates revocare, ob privilegium a Clemente IV eis concessum. Unde, data necessitate hujusmodi revocationis, recurrendum est ad Cong. Episc. et Regularium.

2. — *De Vicario capitulari.*

Dicetur I° de vicarii capitularis electione; — 2° de ejus potestate.

1. — Electio Vicarii capitularis.

467. — I. *Necessitas hujus electionis.* — Quamvis Ecclesiæ viduatæ regimen ad universum capitulum spectet, ejus tamen administratio singulari personæ committenda est.

Equidem ista jurisdictio capitulorum olim per canonicos in communi gerebatur, donec successor episcopus, ab ipsis ex jure Decretalium eligendus, et a metropolita vel a Rom. Pontifice confirmandus, ecclesiæ vacantis regimen suscepisset. Verum sapienter Concilium Tridentinum statuit : « Capitulum, sede vacante, officialem seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur (ipsum supplente capitulo metropolitano, si sedes vacet). Et, si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta œconomum et vicarium idoneos possit constituere (1). » Octo illi dies computantur ab habita vacationis certa notitia.

Ad plura vitanda incommoda, consultius est deputationem vicarii capitularis fieri per suffragia secreta; sed non prohibetur alia electionis forma.

Si contingat electionem impugnari apud Metropolitam aut S. Sedem, appellatio non est suspensiva, ob instantem administrandæ diœcesis necessitatem.

Ex decreto Tridentino, capitulum, ubi cura temporalium ei incumbit, œconomum unum vel plures simili modo capitulariter eligit, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant et rationem reddant novo Episcopo.

468. — II. *Numerus Vicariorum capitularium.* — 1. Ubi non viget alia consuetudo, præsertim immemorialis, non potest capitulum constituere nisi unum vicarium. Ratio est, quia lex Tridentina, quæ regiminis unitatem inducit, eluderetur, si ex jure communi liceret plures Vicarios eligere; omnes enim canonici constitui possent Vicarii capitulares, quod idem esset ac nullum eligi.

Concilium loquitur in singulari (*officialem seu vicarium*), dicit vero *œconomum unum vel plures*. Unde Congregatio Concilii declaravit hunc esse Tridentini decreti sensum, ut non possit eligi nisi unicus Vicarius, excepto casu consuetudinis immemorialis (2).

(1) Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, c. XVI. — (2) Decisio in causa Panormitana (1592).

2. Quoad praxim in Gallia vigentem plures Vicarios capitulares eligendi, hoc decretum edidit Concilium provinciæ Remensis (1) : « Quoniam apud Galliarum Ecclesias, propter diœcesium extensionem, Episcopus duos habet Vicarios generales a gubernio stipendium recipientes, ex diuturna consuetudine capitulum potest aut eosdem eligere sub Vicariorum capitularium nomine, aut alios ipsis adjungere vel etiam substituere. Numerus autem eorum non progrediatur ultra modum, ne recedatur a mente Concilii Tridentini, aut forte videatur capitulum seipsum actualem diœcesis administratorem constituere, et sic irritam legem Tridentinam reddere. »

Istud decretum a Congregatione Concilii correctum non fuit. Attamen anno 1858, Præfectus Congregationis ad Archiepiscopum Remensem de relatione status diœcesis respondit : « Quod innuis, sede vacante, tres Vicarios capitulares eligi solere, animadvertunt Patres capitula cathedralium unum Vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere. Monebis itaque capitulum ut huic disciplinæ adhæreat, cum præsertim non impediatur vicario alium virum adsciscere, qui opem adjutricem eidem præbeat. »

Exinde quædam capitula unum Vicarium elegerunt. Verum anno 1863, Congregatio Concilii, a canonicis ecclesiæ Cadurcensis interrogata, « nominationem duorum Vicariorum, sede vacante, respondit *posse tolerari*, » Hæc responsio confimata est, anno 1872.

469. — III. *Dotes Vicarii capitularis.* — 1. Recte Vicarius eligitur ex canonicis Ecclesiæ cathedralis, sed capitulum non prohibetur alium idoneum eligere, etiam diœcesi extraneum.

In Vicarium capitularem constitui nequit parochus habens curam animarum extra civitatem episcopalem, ob residentiæ legem; valida vero esset electio parochi urbani.

2. Conc. Trid. mandat ut deputetur in Vicarium capitularem clericus saltem in jure canonico doctor vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus. Cæteris paribus, debet ergo anteponi laureatus in jure canonico; sed, illo neglecto, merito deputaretur non laureatus, aliunde magis idoneus (Sess. XXIV, c. XVI, *de Reform.*).

3. Nominatus ad episcopatum non eligendus est in Vicarium capitularem, cum ante confirmationem apostolicam nequeat ullo titulo administrationem diœcesis suscipere (2). Eum eligentes incurrerent excommunicationem speciali modo reservatam Sum. Pontifici, et privationem omnium redituum ecclesiasticorum; taliter vero electus, præter similem excommunicationem, privaretur omni jure prius per nominationem acquisito. (Const. *Romanus Pontifex*, 5 sept. 1873.) Si autem Vicarius capitularis in episcopum eligatur, nulla lege prohibetur exercere, donec canonice instituatur, munus sibi prius commissum a capitulo.

(1) Concilium Suessionense (1849), tit. 14, cap. II. — (2) Concilium Lugdunense II, *de Electione*, in VI°; Alexandri V const. *Ex injuncto;* Julii II const. *Romani Pontificis*; Pii VII litteræ ad Vicarios capitulares Ecclesiæ Florentinæ et Ecclesiæ Parisiensis.

II. — Potestas Vicarii capitularis.

470. — I. Rite constituto Vicario capitulari, *integra capituli potestas in eum transfertur*. Equidem olim vigebat opinio permittens capitulo aliquam jurisdictionis partem sibi reservare. Sed sententia prævaluit, decreto Pii IX confirmata, (anno 1873), non licere, nec valere limitationes potestati Vicarii capitularis appositas.

II. Vicarius nullatenus potest a capitulo revocari. Ratio est, quia in capitulo non remanet jurisdictio actualis, prout novissime a S. Sede declaratum est.

III. Potestas Vicarii capitularis exspirat quando novus Episcopus capitulo litteras apostolicas suæ institutionis ostendit; et statim Episcopus potest a Vicario rationem exigere administrationis suæ, quæ *syndicatus* appellatur apud canonistas (1).

ARTICULUS II

DE VICARIO GENERALI

Tria hic exponenda veniunt: 1° Vicariatus generalis origo, quæ petitur ab archidiaconatu; — 2° Vicariatus generalis notio et institutio; — 3° Potestas Vicarii generalis.

§ 1. — *Origo Vicariatus generalis ab Archidiaconatu* (2).

471. — Vicarii generales originem ducunt ab Archidiaconis, quibus succedunt.

I. Archidiaconi considerantur tum ut principes diaconorum, tum ut Vicarii episcopales. Quemadmodum Archipresbyter civitatis episcopalis in muneribus ordinis sacerdotalis, ita Archidiaconus in administratione temporali primum, et deinde in externa jurisdictione Episcopis subsidio erat. Ad hæc munera ex ordine diaconorum eligebatur qui cæteris rerum gerendarum dexteritate præstabat.

Olim amplissima fuit Archidiaconorum potestas, cum omnia fere negotia ecclesiastica ipsorum ministerio peragerentur. Archidiaconus enim non solum Episcopo celebranti aderat, et officia diaconorum propria exequebatur; verum etiam diaconis et inferioribus clericis suum cuique officium assignabat, Ecclesiæ reditus administrabat, et ratam portionem in clericos, in pauperes, et in ecclesiæ fabricam partiebatur. Insuper, parochos aliosque beneficiatos corporaliter instituebat, et juniores idoneos ad ordines Episcopo offerebat.

II. Archidiaconatus spectari potest respectu presbyterorum, Vicarii generalis et Episcopi.

1. Archidiaconus, licet ordine *presbyteris* inferior, dignitate tamen superior mox habitus est. Etenim, cum esset minister Episcopi, præ se fe-

(1) Conc. Trid, sess. XXIV, c. XVI, *de Reform.* — (2) *Decretalium* lib. I, tit. *de Officio Archidiaconi.* — Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II.

rebat dignitatem episcopalem sacerdotali præeminentem, sicut cardinales presbyteri et diaconi superant episcopos, quia Summum Pontificem repræsentant. Imo presbyteros judicabat Archidiaconus tanquam officialis.

2. Archidiaconi, sicut postea *Vicarii generales*, instituti sunt ad jurisdictionem generaliter exercendam. Verum inter eos duplex discrimen agnoscitur : 1° munus archidiaconale erat perpetuum, dum Vicarius generalis est revocabilis ; — 2° diversum ab episcopali fuit Archidiaconorum tribunal; ideoque ab illorum sententiis appellabatur ad Episcopum, dum actus Vicarii generalis censentur actus ipsius Episcopi.

3. Ab initio potestas archidiaconalis erat delegata, et a mandato Episcopi pendebat; deinde vero abiit in potestatem ordinariam et in perpetuam dignitatem titulo beneficiali annexam. Archidiaconi, perpetuitate freti, sua elatione et acerbitate devenerunt in exitiales abusus, eousque progressi, ut invaderent jura propria Episcoporum. Quapropter, ad minuendam molestam eorum potestatem, Episcopi instituerunt Vicarios generales *ad nutum* revocabiles, et paulatim in Conciliis restricta fuit Archidiaconorum auctoritas, donec in Ecclesiis cathedralibus remansit solus titulus et nomen archidiaconatus, vel ipse titulus suppressus est.

§ 2. — *Vicariatus generalis notio et institutio.*

472. — Vicarius generalis definitur : *Clericus deputatus ad exercendam generaliter ordinariam jurisdictionem episcopalem vice Episcopi, ita ut actus ipsius censeantur actus Episcopi.*

I. *Institutio.* — Vicarii generalis institutionem plerique adscribunt Concilio Lateranensi IV, ubi Innocentius III Episcopos hortatus est ut, si totam episcopatus sarcinam ipsi nequirent sustinere, adjutores sibi adsciscerent, quibuscum diœcesim reste administrarent.

Ætate Gregorii IX, Vicarii generales apud omnes Ecclesias nondum existebant, nam in Decretalibus Gregorianis nulla eorum vestigia reperiuntur. Tempore vero Bonifacii VIII invaluerant; nam in libro sexto Decretalium distincte proponuntur ipsorum munera (1).

II. *Dotes Vicarii generalis.* — 1. Requiritur et sufficit quod Vicarius generalis sit clericus; nec ullus ordo, præter tonsuram, jure communi postulatur, quia simplex clericus capax est cujuscumque jurisdictionis ecclesiasticæ.

2. Requiritur 25^{us} ætatis annus inceptus, eo quod hæc ætas exigitur pro omnibus officiis quibus cura animarum annexa est (2).

3. Scientia sacra non mediocris ex jure naturali necessaria est ad participandum diœcesis regimen; sed nullo canone expresse requiritur aliqua laurea academica. Unde omnino decet, non tamen stricte præcipitur quod Vicarius generalis sit doctor aut licentiatus in theologia aut in jure canonico.

(1) Bouix, *de Judiciis*, t. I. — Leurenius, *de Vicario episcopali*. — (2) *De electione*, c. Licet. — Conc. Trid., sess. XXIV, c. XII, *de Reform.*

4. Plura proferuntur decreta SS. Congr. romanarum, ex quibus in Vicarium generalem eligendus non esset parochus, nec alius clericus diœcesanus, nec canonicus Pœnitentiarius, nec frater aut nepos Episcopi ; sed illa decreta non solent servari, quia ob particularia incommoda pro singularibus casibus lata sunt, nec ideo includunt generalem et invariabilem prohibitionem. Regularis vero non assumitur sine venia S. Congr. Episcoporum et Regularium (1).

473. — III. *Diversitas disciplinæ.* — Equidem, ex regula universali, Vicarii generales Archidiaconis succedunt. Verum jus commune non determinavit Episcopi *obligationem* assumendi Vicarios generales, neque *numerum* eorum, neque *modum regulandi* exercitium vicariatus (2).

1. Vicarium generalem a singulis Episcopis constituendum esse, nullo jure reperitur præceptum. Si vero adsit necessitas, v. g. si Episcopus per se solum causis expediendis non sufficiat, aut interdum non resideat, iste ob bonum diœcesis cujus curam habet tenetur Vicarium generalem adhibere, et a S. Pontifice cogi potest.

2. Numerus Vicariorum generalium ab Episcopo pendere videtur. Propterea diœceses Italiæ fere omnes unum habent Vicarium generalem ; dum alibi multi episcopi constituunt plures vicarios generales, sive propter extensionem suarum diœcesium, sive quia, dissentientibus canonistis, non constat facultatem constituendi Vicarios generales restringendam esse ad unicum. Servari ergo potest consuetudo localis.

3. Ubi constituuntur plures Vicarii generales, inter ipsos ab Episcopo variis modis regulatur exercitium jurisdictionis. Aliquando singulis mandatur *utraque potestas*, nempe voluntaria et contentiosa *in totam* diœcesim, quam in solidum exercent: ille tamen præfertur qui prior negotium occupavit. Aliquando vero eorum officium vicariale limitatur sive quoad *territorium*, assignatis in diœcesi finibus intra quos quilibet Vicarius debet se continere, sive quoad *indolem auctoritatis*, id est, assignato alteri exercitio voluntariæ jurisdictionis, alteri exercitio jurisdictionis contentiosæ. Jamvero, in diœcesibus ubi obtinet hæc ultima dispositio, distinguitur Vicarius voluntariæ et Vicarius contentiosæ jurisdictionis ; ille dicitur *Vicarius generalis*, hic appellatur *Officialis*.

Igitur ex jure constat identitas vicariatus generalis et officialitatis, tum quia canonice synonyma sunt nomina Vicarii generalis et Officialis, et uterque vicariatu fungitur; tum quia in quibusdam diœcesibus Vicarius generalis ab Officiali non distinguitur, in aliis vero discrimen inter utrumque provenit tantum ex ratione qua regulatur ab Episcopo exercitium jurisdictionis.

§ 3. — *Potestas Vicarii generalis* (3).

474. — 1. *Indoles istius potestatis* innotescit sequentibus regulis :

Regula 1ª. — Hæc auctoritas est *vicaria* seu ministerialis. Dum enim

(1) Cf. de Angelis, Santi, *de Officio vicarii.* — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. V. — (3) Schmalzgrueber, Giraldi, Maschat, Pirhing, ad *Decretalium* lib. I, tit. *de Officio Vicarii.*

Episcopus proprio nomine diœcesim gubernat, Vicarius generalis non agit proprio nomine, sed tanquam minister et vices gerens Episcopi potestatem habet. Ideo nomen *Prælati* ei non congruit.

Regula 2ª. — Nihilominus Vicarii generalis juridictio est *ordinaria*, non delegata. Etenim 1° jurisdictio Vicarii generalis est eadem cum jurisdictione Episcopi, quæ est ordinaria; — 2° ordinaria est jurisdictio quæ per legem officio annectitur; atqui jurisdictio Vicarii generalis a lege determinatur, nam eo ipso quod quis Vicarius generalis constituitur, eidem competit jurisdictio moraliter universalis. Quapropter nomine *Ordinarii* designatur sicut ipse Episcopus.

Regula 3ª. — Vicarius generalis jurisdictionem *generaliter* exercet, id est, ad vicariatum generalem requiritur ut generalitas locorum et causarum ipsi committatur. Equidem non necessaria est jurisdictionis universalitas absoluta, quæ nullam patitur exceptionem; sufficit vero universalitas moraliter sumpta, quæ aliquas reservationes quoad loca et causas admittit.

Regula 4ª. — Officium Vicarii generalis determinat essentialis illa proprietas, quod *actus Vicarii Episcopus facit suos quoad juris effectus*. Etenim certum est Vicarium generalem a mere delegato differre, siquidem Vicarius constituit idem tribunal cum Episcopo, et ab ipso ad Episcopum non appellatur. Atqui, nisi actus illius haberentur tanquam ab Episcopo gesti, ipse non differret a delegato, diversum esset tribunal Episcopi et Vicarii, neque daretur ratio cur a sententia Vicarii ad Episcopum non appellaretur.

Regula 5ª. — Exspirat Vicarii jurisdictio tribus præsertim modis, scilicet, per revocationem ab Episcopo intimatam, per renuntiationem, et per Episcopi mortem, remotionem aut translationem. Pariter suspenditur, si per censuram suspendatur jurisdictio Episcopi (1).

Regula 6ª. — Vicariatus generalis non est titulus beneficialis, cum non sit perpetuus. Attamen est *dignitas*, quatenus cum jurisdictione habet præcedentiam; imo *prima dignitas*, ratione regiminis participati totius diœcesis.

475. — II. *Objectum potestatis Vicariorum generalium* sic definitur:

Regula 1ª. — Vicarius potest generatim expedire negotia quæ ad jurisdictionem episcopalem ordinariam pertinent, exceptis iis quæ jus excepta esse voluit, vel Episcopus expresse sibi reservavit. Ratio est, quia Vicarius in iis quæ jurisdictionis sunt Ordinarius censetur, atque unum et idem tribunal cum Episcopo constituit. Attamen, nihil impedit quominus Episcopus Vicarii potestatem restringat et multa sibi reservet.

Regula 2ª. — Triplicis generis sunt ea quæ a generali Vicariorum potestate eximuntur: — 1° Vicarius ea præstare nequit quæ ad potestatem ordinis spectant, etiamsi episcopali charactere insignitus sit; — 2° nequit iis rebus se immiscere quæ ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum pertinent, v. g. clausuræ monialum, et multo minus iis quæ spe-

(1) Ferraris, verbo *Vicarius generalis*, art. III, n. 30.

cialiter soli Episcopo conceduntur; — 3° plurima ob rei gravitatem Episcopo reservantur sive explicite sive implicite ex regula 81 juris, in-6°, v. g. sine speciali mandato Vicarius beneficia non confert, non visitat diœcesim, non congregat synodum, non concedit litteras dimissoriales ordinandis, non explorat voluntatem puellæ habitum regularem suscipientis aut professionem emissuræ, non erigit confraternitates, non dat licentiam fundandi nova monasteria seu conventus religiosorum in diœcesi, causas criminales non cognoscit (1).

Ratione officii et participationis in regimine totius diœcesis, vicariis generalibus competit præcedentia super omnem clerum, etiam super omnes dignitates et canonicos, tam in choro quam in processionibus. (*Decisio S. Congreg. negotiis eccles. extraord. præpositæ*, 14 jul. 1888.) Non possunt tamen indui habitu et insignibus canonicorum propriis, nisi simul sint canonici, saltem honorarii.

CAPUT III

DE EPISCOPI ADJUTORIBUS IN MUNERE PASTORALI

476. — Adjutores Episcopi jure constituti, quorumque sollicitudini portio gregis committitur, sunt parochi, qui, sive per se, sive per vicarios, juxta Ecclesiæ disciplinam fideles gubernant. Ipsis invigilant selecti ab Episcopo presbyteri, qui, diversis temporibus et locis, diversa nomina obtinuere, nempe *chorepiscopi*, *vicarii foranei*, *archipresbyteri* et *decani*. — De his primo; dein, de parocho et *vicariis parochialibus* agemus.

ARTICULUS I

DE CHOREPISCOPIS, VICARIIS FORANEIS, ARCHIPRESBYTERIS ET DECANIS

Isti Episcoporum adjutores medium tenent locum inter Vicarios generales et parochos. Differunt a Vicariis generalibus, siquidem in aliqua tantum parte diœcesis Episcopum adjuvant, dum Vicario generali competit jurisdictio moraliter universalis. Differunt vero a parocho, quatenus pluribus parochiis invigilant.

§ 1. — *De Chorepiscopis* (2).

477. — Chorepiscopi seu *ruris Episcopi* ante sæculum x^m^ fuerunt in vicis adjutores Episcoporum. — Agendum est de illorum ordine et auctoritate.

I. *De illorum ordine* quæri solet num Episcopi, vel presbyteri tantum fuerint. Difficultas oritur ex eo quod veterum monumenta modo illos exhibent episcopatu insignitos, modo sacerdotio tantum initiatos.

(1) In 6 decret., lib. I, tit. 13, *de Officio Vicarii*. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. I, tit. 3. — Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II.

Nonnulli existimant Chorepiscopos fuisse Episcopos ; at communior est sententia eorum qui dicunt plerosque fuisse presbyteros, tum quia Chorepiscopi generatim a solo civitatis Episcopo ordinabantur, dum Episcopi a tribus præsulibus consecrabantur ; tum quia in vicis tantum constituebantur, in quibus canones vetabant Episcopos constituere. Interdum vero ad officium Chorepiscoporum admittebantur Episcopi a sua diœcesi ob persecutionem exulantes, vel ea privati legitima auctoritate, quos videntur spectare Conciliorum canones quibus permittitur Chorepiscopis, cum venia Episcopi, functiones episcopales peragere.

II. *Dignitas eorum.* — Singuli Chorepiscopi præerant ruris presbyteris et pluribus ecclesiis, easque visitabant ; clericis ruralibus in aliam ecclesiam abeuntibus dabant litteras dimissorias : minores Ordines conferebant ; quin etiam, si episcopali charactere insigniti erant, presbyteros quoque et diacanos ordinabant, ex delegatione Episcopi cui subjiciebantur.

Jamvero cum Chorepiscopi tot muneribus decorati inter limites suæ potestatis non se continerent, et invaderent jura Episcoporum ; cumque nec canones Conciliorum, neque Decretales SS. Pontificum satis fuissent ad ambitionem illorum coercendam, Ecclesiæ visum est dignitatem ejusmodi abolere. A tempore Concilii Metensis (888), vix ulla illorum occurrit mentio in regimine diœcesium ; in Hibernia tamen diutius duraverunt, nempe donec concilium apud Kenanas celebratum (1152) prohiberet decedentibus Chorepiscopis successores substitui.

§ 2. — *De Vicariis foraneis* (1).

478. — I. *Eorum origo.* — Extinctis chorepiscopis, instituti sunt alii Episcoporum adjutores rurales, qui dicti sunt *Vicarii foranei* vel *Archipresbyteri* aut *Decani*, quatenus præ se ferunt imaginem Vicarii generalis vel Archipresbyteri urbani.

Vicarii foranei definiri possunt : Clerici permanenter deputati ut quasdam levioris momenti causas in certa diœcesis parte expediant. — Sic dicti sunt, quia *foras* seu extra civitatem episcopalem constituuntur.

II. *Ad illorum auctoritatem* referuntur regulæ sequentes :

1. Discrimen existit inter Vicarios foraneos et Vicarium generalem. *Primo*, eorum auctoritas est particularis, non tantum quoad loca, sed etiam quoad causas ; Vicarius vero generalis exercet jurisdictionem moraliter universalem. *Secundo*, Vicarii foranei habent tribunal ab Episcopo separatum, et ab illorum sententia fieri potest appellatio ad Episcopum. Distinguuntur a cæteris delegatis, ex eo quod *permanenter* deputantur.

2. Eorum auctoritas, cum jure communi non determinetur, tanta est quantam Episcopus mandavit ; nam pro arbitrio Episcopi constituuntur, sive per specialem delegationem, sive per legem diœcesanam, qua definiuntur eorum jura et facultates.

(1) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. III, cap. III. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. V

3. Episcopum in levioribus causis adjuvant. Illorum consuetum munus est Episcopo renuntiare mores clericorum (præsertim ordinandorum), et in eorum crimina inquirere ; observantiam statutorum synodalium et decretorum Episcopi sicut *testes synodales*, quorum vices gerunt, promovere ; Episcopum admonere, si qua forte in suis oppidis adversus religionem perpetrentur ; congregare clerum ad collationes casuum moralium ; dispensare cum privatis, in jejuniis et festis, etc. Causas non criminales parvi momenti judicare possunt, v. g. transgressiones festorum.

§ 3. — *De Archipresbyteris et Decanis* (1).

479. — Antiquum est Archipresbyteri nomen, quo primus sacerdotum intelligitur. Archipresbyteri vero sunt duplicis generis : unus *urbanus*, alii autem *rurales*.

I. *Archipresbyter urbanus.* — Unus olim fuit in singulis diœcesibus Archipresbyter, in civitate episcopali constitutus. Presbyteris Ecclesiæ cathedralis præerat, et primus post Episcopum interveniebat in iis quæ ad sacrum ministerium pertinent, v. g. divinis officiis dabat operam, impedito Episcopo missam celebrabat.

Attenta ipsius institutione, erat prima post Episcopum dignitas. Sed, etsi ordine superior Archidiacono, jure tamen Decretalium ipso inferior erat ; nam functiones ordinis aut fori interni peragebat tantum in civitate, dum Archidiaconi jurisdictio erat externa et se extendebat in totam diœcesim.

Archipresbyter urbanus solam retinet antiqui splendoris imaginem, scilicet est dignitas, et habet aliquam præeminentiam. Statuta diœcesana et praxis locorum sunt regulæ quibus prerogativæ illius determinantur. Proinde, si quædam potestas ei competit, ex consuetudine et jure particulari desumenda est ; nam, spectato jure communi, jurisdictione destituitur.

II. *Archipresbyteri rurales* seu *Decani.* — Cum Episcopus solus omnibus presbyteris satis attendere non possit, jam a sæculo x° consueverunt Episcopi suas diœceses dividere in varios districtus seu *decanias*, quibus singulis singuli Archipresbyteri rurales sub nomine Decanorum præficiuntur. Qualicumque nomine vocentur, eorum auctoritas magis ex statutis localibus quam ex jure communi colligenda est.

Ad praxim quod attinet, unum animadvertendum est. Decani sub *duplici aspectu* considerari possunt : — vel enim ad quædam negotia levis momenti expedienda et judicanda veram jurisdictionem exercent, et Vicariis foraneis æquiparantur ; — vel presbyteris cujusdam districtus præsunt sine jurisdictione proprie dicta, et præ se ferunt imaginem Archipresbyteri urbani, quin sint Vicarii Episcoporum.

(1) *Decretalium* lib I, tit. 24 *de Officio Archipresbyteri.*

ARTICULUS II

DE PAROCHO ET VICARIIS PAROCHIALIBUS

§ 1. — *De parocho.*

480. — Nomen *parochus* derivatur a voce græca παροικέω *(incolo)*; parochi enim, incolatum seu stabilem sedem occupantes in determinato districtu, subsidia vitæ christianæ populo fideli subministrant. Parochus dicitur etiam *plebanus*, *rector*, *curatus*, a plebe quam regit, et ab animarum cura quam suscipit.

Definitur parochus : *Clericus legitime deputatus ad administrandum, ex obligatione et proprio nomine, verbum Dei et sacramenta certo numero diœcesanorum, qui ab ipso vicissim sacra recipere aliquatenus tenentur.*

Vox *parochia* sive *parœcia* olim ad designandam diœcesim adhibita fuit. A multis sæculis significat vel parochianorum collectionem, vel ecclesiam cui adscriptus est populus parocho subditus.

Agemus : 1° de parochorum origine ; — 2° de illorum munere.

I. — De parochorum origine (1).

481. — I. *Parochiarum institutio.* — Per tria fere priora Ecclesiæ sæcula, nulli exstiterunt parochi proprie dicti, stabilem curam obtinentes in proprium populum. Etenim prioribus sæculis constans disciplina fuit quod fideles, tum intra tum extra civitatem episcopalem degentes, nonnisi cum Episcopo missarum solemnia statis diebus celebrarent. Hanc legem viguisse testantur scriptores (2), illam memorant Patres (3), eamque confirmant plura Concilia (4), in quibus omnino prohibitum fuit ne presbyteri sacros conventus facerent ubi non adesset Episcopus, vel aliud altare constituerent. — Jamvero, ista disciplina de sacris conventibus a totius diœcesis fidelibus apud Episcopum celebrandis, probat parochiarum institutionem eo tempore nondum inductam fuisse ; nam, si exstitissent parochiæ distinctæ et parochi, sive intra sive extra civitatem episcopalem, licitum fuisset fidelibus in singulis parœciis sacram liturgiam celebrare et sacramenta recipere.

Episcopus erat unicus diœcesis pastor et veluti parochus, solebatque curam animarum per se ipsum exercere. Ubi impeditus erat, ad sustinendum laborem utebatur opera presbyterorum ; ex eis modo hunc, modo illum ad explendas vices deputabat ad tempus. Pro libitu eos mittens et revocans, nulli committebat per modum stabilis officii curam animarum in certa diœcesis parte, sicut hodiernis temporibus fit in Missionibus apud infideles.

(1) Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. II. — Devoti, *Institutionum canònicarum* lib. I, tit. III. — (2) Petavius, Morin., Thomassin., Lupus, Pagi. — (3) S. Ignatius, S. Justinus. S. Cyprianus, Tertullianus. S. Ignatius ait : « Omnes in unum templum Dei concurrite ; unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyteris et diaconis... Non licet sine Episcopo baptizare, nec agapem celebrare. » — (4) Concilium Antiochenum et Conc. Carthaginense.

Parochiæ rurales quarto circiter sæculo constitutæ sunt. Crescente fidelium numero, cum una ecclesia congregandis omnibus non sufficeret, plures erectæ sunt ecclesiæ in quas paulatim territorium diœcesis distributum est. Primum Episcopi deputarunt, nondum tamen stabiliter, quosdam presbyteros qui certæ portioni gregis deservirent. Ex consuetudine istud munus temporarium evasit *stabile et parochiale*. Hunc usum commendarunt Concilia, et tandem retinendum decreverunt canones Ecclesiæ. Sic Conc. Tridentinum Episcopis injunxit, ut in iis civitatibus ac locis ubi nullæ essent parochiales ecclesiæ, quamprimum erigi curarent; in iis quoque civitatibus ac locis ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue sacramenta petentibus administrant, ut, distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent (1). Hinc est quod Congr. Concilii et Propag. Fidei, in responsionibus ad relationes Episcoporum, instant pro observantia legis Tridentinæ.

Igitur institutio parochorum inducta est potestate ecclesiastica, et quidem ruri multo ante quam in civitatibus episcopalibus.

482. — II. Inde infertur *parochos non esse institutionis divinæ.* — 1. Dum inquiritur origo parochorum, non agitur de ordine presbyteratus, nam Concilium Tridentinum definivit « esse in ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, *presbyteris* et ministris; neque *de officio pastorali*, quod in episcopatu continetur; neque *de ministerio* sacerdotum, a quibus, ex voluntate Christi, Episcopi adjuvantur.

Proposita quæstio respicit tantum parochos *proprie dictos*, quatenus curam animarum in certa diœcesis parte stabiliter et proprio nomine exercent. Sub isto respectu, parochiatus diversus est ab officio Episcopi, vicarii et presbyteri adjutoris. Munus parochiale differt : 1° *ab officio pastorali Episcoporum ;* etenim Episcopus, quamvis antiquitus donatus fuerit nomine sacerdotis, presbyteri et pastoris, est ordine et jurisdictione superior, et curam animarum in universam diœcesim consequitur; — 2° *ab officio vicarii* ; nam vicarius suo munere fungitur nomine alterius, parochus vero proprio nomine ; — 3° *ab officio presbyteri adjutoris*, qui verbum divinum et sacramenta transitorie ministrat, dum parochus fideles sibi commissos stabiliter regit.

Jamvero, si parochi essent institutionis divinæ, profecto exstitissent ab initio Ecclesiæ. Atqui probari nequit parochos proprie dictos prioribus sæculis exstitisse. Etenim antiqua documenta, deficientibus conditionibus ad curam parochialem requisitis, intelliguntur alia de Episcopis, alia de presbyteris.

2. Qui parochos divinitus institutos esse opinati sunt, eorum originem a 72 Christi discipulis repetebant. Atqui neque Scriptura neque Traditione probatur parochos a Christo institutos fuisse tanquam successores 72 discipulorum, hosque discipulos vere parochos fuisse.

(1) Trid., sess. XXIV, c. 13, *de Reform.*

Ratio est, quia isti discipuli missi quidem sunt in omnem locum et civitatem quo Christus erat venturus, ad animas ejus adventui præparandas. Sed neque erant charactere sacerdotali insigniti, siquidem nemo presbyteratum ante cœnam dominicam accepit, et ex ipsis electi sunt quos Apostoli diaconos ordinarunt; neque illis tributa erat potestas regendi populos, vel facultas ministrandi sacramenta, cum potestatem clavium nonnisi post resurrectionem suam Christus Apostolis actu tradiderit. Itaque procul aberant discipuli ab iis quæ proprie parochum constituunt.

Attamen, juxta monumenta Traditionis, v. g. Pontificale, quædam similitudo desumitur ex inferiori gradu quem respectu Apostolorum obtinuerunt 72 discipuli; nimirum discipuli exhibent typum presbyteratus. Sicut inter eos quorum opera Christus utebatur, priori loco conspiciuntur Apostoli, inferiori autem discipuli, ita summum sacerdotium in Episcopis, sacerdotium autem secundi ordinis in presbyteris reperitur. Ista similitudo respicit presbyteratum, non parochiale officium.

Merito igitur opinio de divina Parochorum origine a celeberrimis theologis et canonistis jamdiu profligata est. Propterea parochi non constituunt tertium gradum in hierarchia jurisdictionis divinitus instituta.

II. — De parochorum munere.

Exponenda veniunt : 1° Parochiale munus in genere; — 2° Parochorum jura et officia in specie.

1. — *Parochiale munus in genere.*

483. — *Parochus curam animarum per verbi divini et sacramentorum administrationem, seu jurisdictionem fori interni, ordinariam et Episcopo subjectam, in populum territorii legitime circumscripti stabiliter exercet* (1). — Hæc genuina muneris parochialis notio sequentibus principiis evolvitur :

484. — I. *Parochus curam animarum exercet per verbi divini et sacramentorum administrationem*

Auctoritas parochorum consentanea est naturæ societatis cui præficiuntur. Atqui parochia est societas domestica, in qua repræsentatur officium paternum Episcopi. Proinde tantum possunt parochi quoad suos subditos, quantum potest pater in ordine naturali quoad filios suos.

Jamvero, patris officium est prolem generare, illam sustentare et in bonis moribus instituere. Igitur parochianorum familia spiritualis nascitur per *Baptismum*, alitur per alia *sacramenta*, et in bonis moribus servatur per *prædicationem*. — Hæc officia muneris pastoralis dicuntur *cura animarum*.

Unde 1. Parochiatus secum infert jurisdictionem *fori interni ordinariam ;* nam, vi juris communis, ex officio suo, parochus constituitur minister ordinarius prædicationis et sacramentorum quæ Episcopo non reservantur.

(1) Cf. Conc. Trid., sess. XXIV, cap. XIII.

2. Parocho non competit *jurisdictio externa* seu legislativa et judicatoria. Ipse dispensare nequit, nisi privatos et ad tempus, quoad jejunia, opera servilia et festa, ratione consuetudinis, quæ diversa est in diversis locis (1).

485. — II. *Auctoritas parochialis exercetur in populum certis finibus limitatum.* Inde inferuntur quatuor corollaria :

1. Ad Episcopum spectat parochias erigere et illarum limites definire ; nec jure intervenit potestas civilis, nisi ex concessione Sanctæ Sedis, quam explicite continet Concordatum cum Gallia (1801).

2. Parochus ex obligatione et proprio nomine curam exercet in fideles sibi commissos.

3. Nemo, præter Episcopum aut ejus delegatos, in ecclesia parochiali munus sacrum obire potest sine parochi licentia.

4. Parochiani nonnisi a parocho plura sacramenta recipere possunt.

486. — III. *Parochus munere suo stabiliter fungitur.*

Officium parochiale requirit stabilitatem ; confertur enim vel ad vitam, vel saltem ad tempus indefinitum. Ideo duplex distinguitur stabilitas, scilicet *perpetuitas et amovibilitas.*

1. Discrimen inter *perpetuitatem* et *amovibilitatem.* — Perpetuitas est stabilitas parochorum qui non removentur, nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis. — Amovibilitas est imperfecta stabilitas parochorum qui possunt sine judicio removeri, quando id postulat bonum diœcesis.

Perpetuitas *sequitur titulum*, id est, beneficium stricte sumptum seu titulus beneficialis confertur in perpetuum. Propterea parochus intitulatus, nimirum ille qui per institutionem canonicam adeptus est beneficii titulum, fit perpetuus. Jamvero, plerique parochi sæculares accipiunt titulum beneficialem ; unde parochus sæcularis præsumitur perpetuus.

Clericus amovibilis non instituitur canonice, sed deputatur *ad bene placitum ;* cura ipsi non confertur in titulum stricte beneficialem Verum, quoad curam animarum exercendam, nulla datur differentia inter parochos amovibiles et perpetuos.

2. *De amovibilitate* quæritur *in genere*, utrum amovibilitas quorumdam parochorum adversetur legibus Ecclesiæ ; *in specie*, quid sentiendum sit de statu parochorum Galliæ.

Regulariter ecclesiæ parochiales conferri debent *in perpetuum*, siquidem beneficia sæcularia præsumuntur perpetua. Quapropter Episcopi parochiis præficiunt rectores inamovibiles, nisi aliter jure speciali dispositum fuerit.

Attamen Ecclesia quosdam parochos amovibiles admittit (2). Etsi isti possint amoveri absque processu juridico, attendere debet Episcopus ut de facto inviti non removeantur sine legitima causa ; nam mens pluries significata S. Sedis non fuit dispensare a causis canonicis remotionis, sed a solo processu juridico, quo difficile nimis efficeretur regimen diœcesium (3). Hinc Congr. Concilli amovibilitatem parochorum *succursalis-*

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. I, tit. 31, § 6. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. VI. — (2) Concilium Tridentinum, sess. VII, cap. VII. — Giraldi, *de Parocho*, appendix II. — (3) Cf. Conc. Turon., Remense et Avenion. (1849), Algeriense (1873). — S Cong. Conc. *in Virdun.*, 23 *martii* 1873.

tarum in Belgio et Gallia approbavit, sub conditione quod *Episcopi hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter, ac nonnisi prudenter ac paterne utantur, adeo ut sacri ministerii stabilitati quantum fieri potest consultum videatur* (anno 1845).

Rectores ecclesiarum *succursalium* in Gallia et Belgio sunt amovibiles ex earum prima institutione absque titulo parochiali (anno 1802), et ex decisione mox citata Congregationis Concilii (1).

2. — Jura et officia parochorum in specie.

I. — Jura parochorum.

487 — Munus parochiale complectitur tum jus administrandi sacramenta, tum jura honorifica et utilia.

1. *Jus administrandi sacramenta.* — 1. Legitimus Baptismi minister est parochus, vel alius sacerdos a parocho deputatus. (*Rituale roman.*)

2. Ad parochum pertinet jus fori pœnitentialis. Proinde parochus potestate ordinaria parochianos suos absolvit, etiam ubique locorum; alienorum autem confessiones in sua parochia licite audit, vi consuetudinis generalis nunc vigentis. Ex eadem autem consuetudine, permittitur peccata confiteri cuilibet sacerdoti approbato ubi jurisdictionem habet (2).

3. Prima communio et paschalis proprio parocho reservatæ sunt.

4. Parochus per se vel per alium assistit matrimoniis, et nuptiis benedicit.

5. Ad ipsum spectat jus ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem (3); item jus detinendi clavem Tabernaculi, olea sacra, et ea omnia quæ pertinent ad sacramenta.

488. — II. *Jura honorifica et utilia.* — 1. Inter jura honorifica recensentur *functiones parochiales* et *præcedentia.*

A functionibus mere sacerdotalibus, quales sunt benedictiones aquæ, candelarum, cinerum et palmarum, mulieris post partum (S. C. R. 13 jul. 1893), differunt *functiones parochiales*, id est, quæ a parocho fieri consueverunt, v. g. benedictio fontis baptismalis, funera parochianorum, benedictio domorum et animalium. — Ad discernendas functiones quas Capellani Confraternitatum nequeunt peragere, standum est decreto generali S. Congregrtionis Rituum, 12 januarii 1704 (4).

Parochus in propria ecclesia præcedit alios etiam in dignitate constitutos. Extra propriam ecclesiam, parochi sedent post clerum Ecclesiæ cathedralis, et inter se præcedunt prioritate assumptionis; sed parochus perpetuus præcedit amovibilem.

(1) « Ex audientia Sanctissimi die prima maii 1845 : Sanctissimus Dominus noster, « universa rei ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus, « *benigne annuit* ut in regimine ecclesiarum succursalium nulla immutatio fiat, donec aliter a « sancta Apostolica Sede statutum fuerit. » — Conc. Americæ latinæ statuit parochos, ubi lex concursus servari nequit, deinceps ex indulto S. Sedis amovibiles fore. — (2) S. Alph., lib. VI, 546 et 574. — (3) Suspenduntur qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt. Conc. Trid., sess. XXIV, c. I, *de Reform.* — (4) *Decr. auth.*, n. 2123.

2. Jura *utilia* sunt 1° jus sepeliendi; — 2° jura stolæ, quorum vi percipitur taxa ab Episcopo vel consuetudine determinata pro variis functionibus parochialibus; — 3° jus accipiendi oblationes fieri solitas, v. g. in celebratione matrimonii, in missis defunctorum, in solemnitate primæ communionis; — 4° jus percipiendi primitias et decimas, ubi adhuc sunt in usu. — Plura de his in libro II°, n. 629, 740-746.

II. — Officia parochorum (1).

Præcipua sunt professio fidei, residentia, vigilantia, obligatio docendi et missam offerendi, cultus divinus, bonorum temporalium cura, et assistentia conventibus ecclesiasticis.

489. — I. *Professio fidei* (2). — Parochus, ex decreto Conc. Trid., intra duos menses a die adeptæ possessionis, tenetur per seipsum professionem publicam fidei emittere, in manibus ipsius Episcopi aut coram ejus Vicario generali, juxta formulam a Pio IV et Pio IX præscriptam; eamque omittens, præterquam graviter peccat, non facit fructus beneficii suos. Porro, ad eam emittendam tenentur non solum parochi inamovibiles, sed etiam amovibiles, imo et omnes curam animarum habentes, sub quocumque titulo. (Concil. Burdig. et Conc. Aquen., ann. 1850.) Illa professio fieri nequit sine indulto coram presbytero deputato ab Episcopo, vel a vicario generali; et iteranda est, quoties idem parochus alteri parochiæ præficitur (S. Congr. Conc., 15 dec. 1866, 14 april. 1890.)

490. — II. *Residentia* (3). — Præcipitur parochis etiam amovibilibus, formaliter, id est, laboriose, et personaliter diu noctuque residere in parochia (in digniori, si duas parochias unitas habeant), et quidem domum parochialem, si adsit, incolere; secus domum viciniorem in parochiæ finibus.

Non residentes vero ultra bimestre sive continuum sive interruptum, non faciunt suos fructus tempori absentiæ respondentes; sed eos, ante omnem sententiam vel declarationem (habito tamen respectu ad alia onera fideliter adimpleta), restituere et in pias causas erogare tenentur. Insuper, potest Episcopus contumaces compellere per censuras ecclesiasticas, sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque remedia, usque ad beneficii privationem; nec executio illius sententiæ suspendi potest.

Parochis etiam præcipit Conc. Trid. (4) « ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. » Hujusmodi causæ excusantes sunt: « Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas (5). »

A residentia autem parochos non excusat, ultra bimestre, infirma vale-

(1) S. Alph., *Homo apost.*, tract. VII, 14-46. — Inst. mor. Alph., n. 2265 et seqq. — (2) Trid., sess. XXIV, cap. XII, *de Reform.* — (3) Trid., sess. XXIII c. I, *de Reform.*, et S. Pii V const. *Cupientes.* — (4) Trid., sess. XXIII, cap. I, *de Reform.* — (5) Ibid.; Cf. S. Alph., lib. IV, n. 125 et seqq

tudo aut ætas senilis, quamvis ob hujusmodi causa detur eis coadjutor (1). Nec excusat parvus numerus parochianorum aut parochiæ tenuitas ; nec cœli insalubritas, præsertim tempore pestis ; nec demum inimicitia, nisi sit capitalis, et absentia per paucos menses protrahatur (2). »

Quod si Ordinarius licentiam abeundi neget parocho, poterit quidem hic superiorem adire, sed interim parere debet (3).

Cæterum, standum est statutis diœcesanis, quando regulas circa residentiam et absentiam parochorum tradunt.

491. — III. *Vigilantia pastoralis.* — Parochus debet oves suas cognoscere, eisque exemplo præire. Quocirca monet eum Rituale Romanum ut, præter libros baptizatorum, nubentium et mortuorum, librum habeat *de statu animarum*, in quo consignentur nomina et conditio singulorum parochiæ incolarum.

492. — IV. *Obligatio docendi*, id est, prædicandi, catechizandi et scholas invisendi.

1. De obligatione *prædicandi*, Concilium Tridentinum statuit : « Quicumque parochiales ecclesias obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebem sibi commissam, pro sua et ejus capacitate, pascant salutaribus verbis (4). »

2. De obligatione *catechizandi* pueros, idem Concilium decernit : « Episcopi, saltem dominicis et festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt (5). »

3. Ad parochum spectat *scholas* invisere ; Ecclesiam enim repræsentat, « quæ delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque sedulo videre quibus excolatur præceptis institutisve juventus, quæ in ipsius potestate sit..... (6). »

493. — V. Obligatio offerendi *missam* pro populo et ministrandi *sacramenta* definitur a theologis.

Notare tamen convenit quod parochus cui commissa est cura duarum parochiarum, diebus dominicis et festis de præcepto, etiam suppressis, tenetur duas missas pro populo celebrare ; sed propter impossibilitatem bis eadem die celebrandi aliasque causas, a tanto onere facile dispensatur, saltem ad tempus (Cf. decr. S. Congr. Conc., 5 mart. 1887).

494. — IV. Obligationes respectu *cultus divini.* — Parocho competit : 1° Zelus domus Dei et digna celebratio divinorum officiorum ; — 2° munus denuntiandi jejunia, festivitates, indulgentias, mandata Episcopi ; — 3° cura res sacras diligenter servandi, libros parochiales conficiendi aut complendi, etc.

495. — VII. Pars muneris parochialis est *bona ecclesiæ temporalia* sedulo curare, et de illis rationem singulis annis Episcopo reddere. — De hoc et de præcedenti munere vide plura in libro II°, n. 734-751, 798-800.

496. — VIII. Debent omnes parochi, etiam regulares, interesse congre-

(1) Bened. XIV, const. *Inscrutabili*, § 28. — (2) S. Alph., lib. IV, n. 125. — (3) S. C. Concilii, apud Bened. XIV, Not., p 17. — (4) Sess. V, cap. II. — (5) Sess. XXIV, cap. IV, *de Reform.* — (6) Encycl. Leonis XIII, *Nobilissima Gallorum gens*, 8 febr. 1884.

gationi seu collationi casuum conscientiæ et synodo diœcesanæ. Item, quotannis, juxta Benedictum XIV (1), deberent vacare exercitiis spiritualibus ; culpa tamen immunes sunt, si servent statuta ab Episcopo mitius agente.

§ 2. — *De Vicariis parochialibus.*

Vicarius pariochialis est ille qui in cura animarum vices parochi gerit. — Inquirendum venit : 1° Quot sint species vicariorum parochialium ; — 2° quæ sit vera notio vicariorum proprie dictorum.

1. — Variæ species vicariorum.

Alii sunt *vicarii curati perpetui*, qui parochis æquiparantur, alii vero *vicarii temporales*.

1. — *De vicario curato perpetuo.*

497. — I. *Illius notio.* — Vicarius *curatus* est ille qui ab Episcopo canonice instituitur in ecclesia parochiali, cujus accipit curam actualem, a parocho principali independentem. Parochus *principalis* seu *primitivus* dicitur ille qui solum retinet curam habitualem.

Vicarius curatus, ita dictus ad servandum parochi principalis titulum, est reipsa parochus, siquidem actualis cura independenter ad ipsum pertinet. Ei competunt generatim jura et officia parochorum ; ad ipsius tamen deputationem non adhibetur concursus.

II. *Ejus constitutio.* — 1. Vicarius curatus in ecclesiis parochialibus constituitur potissimum ex duplici causa : vel quia ecclesia unita est alteri instituto, vel quia erigitur ecclesia filialis.

2. Concilium Tridentinum statuit (2) : « Beneficia curata quæ cathedralibus vel monasteriis perpetuo unita reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur..., ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur. »

3. Vicarii perpetui ad nominationem illorum in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum Ordinariorum approbatione deputantur (3).

2. — *De vicariis temporalibus.*

498. — Vicarii temporales vel parochi remoti vices gerunt, vel parochum præsentem adjuvant.

I. Vices parochi mortui vel absentis gerunt *administrator* et *substitutus*, qui persæpe *œconomi* aut *vicarii regentes* vocantur.

1. *Administrator* ab Episcopo deputatur ad vacantem parochiam regendam et totum munus parochi exercendum, donec novus rector constituatur (3).

(1) Const. *Ubi primum.* — (2) Sess. VII, cap. VII. — (3) S. Pii V constitutio *Ad exequendum.* — (4) Conc. Trid., sess. XXIV, cap. XVIII.

2. *Substitutus* agit vices parochi absentis, et a parocho nominatur, cum approbatione Episcopi (1).

II. Parochum residentem adjuvant *coadjutores* et *vicarii proprie dicti*, sicut Coadjutor et Vicarius generalis ad Episcopum juvandum deputantur.

1. *Coadjutor* ab Episcopo datur parocho qui perenni infirmitate animi vel corporis detinetur; nam Canones prohibent ne beneficiatus infirmus removeatur, ne vitæ subsidia ei auferantur, et insuper ne coadjutor cum futura successione constituatur nisi a Summo Pontifice.

Coadjutori confertur potestas supplendi parochum in muniis parochialibus. Si parochus omnino inhabilis existat, coadjutor solus regit parochiam. Si vero parochi inhabilitas sit partialis, nequit coadjutor obire omnia quæ coadjutus vult et potest ipsemet explere.

2. Parochis non inhabilibus, sed onus suum portare non sufficientibus, dantur *vicarii proprie dicti*, de quibus in specie agendum est.

II. — Notio vicariorum proprie dictorum.

499. — Vicarius definitur : *Presbyter deputatus, ob ingentem parochianorum numerum, ad juvandum in animarum cura parochum residentem et administrantem.*

I. *Vicariorum nominatio.* — 1. Ad Episcopum pertinet decernere an et quot vicarios debeat parochus sibi adjungere. Etenim Concilium Tridentinum statuit (2) : « Episcopi in omnibus ecclesiis parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores *sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere*, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. »

2. Juxta verba Concilii et Innocentii XIII (3), vicarii ab ipsis parochis eligi consueverunt, postquam ab Episcopo examinati et approbati sunt. Non sufficit tamen eos jam approbatos fuisse ad confessiones, sed necessaria est specialis approbatio ad munus vicarii.

Si parochus vicarios assumere negligat, vicarii deputantur ab Episcopo. Imo ob penuriam ministrorum sacrorum et necessitatem approbationis ad confessiones audiendas et cætera munia a vicariis exercenda, eorum deputatio et remotio in multis locis hodie ad Episcopum spectant, v. g. in tota Gallia, et S. Sedes consulta indulsit ut servetur ille usus (S. Cong. Conc., citata in litteris Episcopi Aturensis, 22 febr. 1865) (4).

3. Episcopi determinant convenientem eorum sustentationem, eamque præstari provident et mandant, sive ex reditibus ecclesiarum, sive ex oblationibus parochialibus, sive ex aliis quæ præsto sunt subsidiis (Conc. Trid., sess. XXI, c. 4, *de Reform.*; Const. Innoc. XIII, *Apostolici minis-*

(1) Conc. Trid., sess. XXIII, cap. I. — (2) Sess. XXI, cap. IV, *de Reform.* — (3) Const. *Apostolici ministerii.* — (4) Consulta ab Episcopo Aturensi : « An nominatio vicariorum, a fortiori capellanorum, prout res se habent in Gallia et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad parochum? » S. Congr. respondit ; « De jure spectare ad parochum, cum approbatione Episcopi, attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in cæteris Galliarum diœcesibus obtinentem, usquedum aliter fuerit a S. Sede declaratum. »

terii). In hunc finem et alias ob causas, in multis diœcesibus vicarii jubentur cum parocho habitare.

500. — II. *Jurisdictio vicariorum.* — Ad audiendas confessiones *ordinarie* vicarii pro tota diœcesi approbantur, ideoque possunt illas audire sine parochorum licentia; sed in alienis ecclesiis omnino decet rectoris consensum petere. Præterea, approbatio ad confessiones et alia munia non potest sine causa licite revocari, id est, nisi constet vicarium factum fuisse indignum; non est enim favor, sed declaratio juridica et ex justitia debita de illius idoneitate.

Ad cæteras functiones quod attinet, vicarius sive a parocho, sive ab ipso Episcopo sit constitutus, curam exercet nomine parochi et instar ipsius. Cum ei committatur in genere administratio sacramentorum, manifestum est illum ad universalitatem causarum delegatum esse. Inde infertur vicarios etiam matrimoniis valide assistere et subdelegare posse, nisi illud sibi prohibeatur statuto contrario. — Cæterum, cum potestas vicarii prorsus oriatur et pendeat e superioris delegatione, illius extensio determinatur ex litteris deputationis, ex statutis diœcesanis et ex praxi seu consuetudine, quibus significatur superioris voluntas.

501. — III. *Mutua relatio parochi et vicariorum* non tam jure quam caritate ordinari debet. Duo potissimum sunt officia vicariorum : Primum est *diligens subsidium* in cura animarum, quod sic intelligitur, ut parochus possit semper quoscumque actus ministeriales, si velit, ipse peragere; — alterum officium est *obedientia*, qua non seorsum, sed conjunctim cum parocho sub illius directione curam animarum exercent, memores se inferiores esse, et parochorum adjutores ac discipulos (1).

SCHOLION

DE CAPELLANIS

502. — Capellani sunt sacerdotes ad sacrum ministerium exercendum deputati apud certas ac determinatas personas, v. g. moniales, milites, infirmos in nosocomiis existentes, prout illæ opus habent.

Sicut parochorum, ita capellanorum nominatio, salvo privilegio aut legitima consuetudine, ad Episcopos pertinet, quorum est uniuscujusque capellani facultates et jura, pro locis et institutorum natura, determinare.

Cum eorum jurisdictio sit *delegata*, pendet omnino a voluntate concedentis. Communiter vero eis conceditur jurisdictio *quasi parochialis* ad conferenda sacramenta, etiam in articulo mortis, omnibus personis intra septa instituti, hospitalis, carceris, præsidii, castri, navis, monasterii, etc., degentibus; item ad earumdem funus ducendum. Facultas tamen assistendi matrimonio non censetur concessa, nisi expressis verbis in delegatione comprehendatur (2).

Quod spectat ad facultates capellanorum militarium, standum est terminis indulti apostolici, quod concedi solet nationibus catholicis, ad præ-

(1) Analecta juris pontificii : *Traité des vicaires paroissiaux.* — (2) Cf. Craisson, *Manuale juris can.*, n. 1529 et seqq.

cavendas difficultates (1). Deficiente vero hujusmodi indulto, capellani accipiunt facultates suas ab Ordinario loci in quo actu existunt milites.

Attamen, *in itinere et castris*, ex consuetudine universali et tacito Episcoporum consensu, capellani rite constituti possunt milites absolvere extra diœcesim Episcopi a quo approbati sunt.

Quod spectat navigantes, vi decreti S. Officii (*4 april. 1900*), quilibet sacerdos approbatus in sua diœcesi valet excipere confessiones fidelium secum navigantium, nec indiget approbatione alterius Ordinarii, etiam quando navis in aliqua statione moratur.

DISSERTATIO III

DE CONCILIIS (2)

Exponenda veniunt : 1° Notio Conciliorum; — 2° Regulæ de Conciliorum convocatione, celebratione et confirmatione; — 3° Auctoritas Conciliorum.

CAPUT I

NOTIO CONCILIORUM

Ad rectam Conciliorum notionem referuntur tum eorum *definitio et species*, tum eorum *origo* et *utilitas*.

ARTICULUS I

CONCILIORUM DEFINITIO ET SPECIES (3)

503. — I. *Definitio.* — Concilia ecclesiastica sunt *cœtus pastorum ad judicandas et ordinandas res ecclesiasticas legitime congregatorum.* — Dicitur 1° *Cœtus pastorum*, siquidem Concilia præsertim Episcopis componuntur. — 2° *Ad res judicandas et ordinandas*, quia Patres Concilii non consilium tantum emittunt, sed revera judicant; unde patet synodum diœcesanam, in qua solus Episcopus leges statuit, non esse proprie dictum Concilium. — 3° *Res ecclesiasticas;* quibus verbis exprimitur Conciliorum objectum, quod spectat fidem, disciplinam, Ecclesiæ unitatem, aliaque spiritualia aut spiritualibus connexa. — 4° *Legitime congregatorum*, nam conventus contra canones celebratus non est Concilium, sed conciliabulum.

Juxta hanc definitionem, tum ex personis convenientibus, tum ex negotiis ordinandis, omnino a *cœtu civili* differt Concilium ecclesiasticum. Tertium genus, nempe Episcoporum et laicorum *comitia mixta*, in quibus olim leges ecclesiasticæ et civiles conditæ sunt, ad utramque speciem reducitur, sive quia negotia Ecclesiæ a solis Prælatis decernebantur,

(1) Breve *Quæ catholico*, pro Gallia (1875). — (2) Vincent, *de Ecclesia*, 4° éd., n° 180-192. — (3) Jacobatius, *Tractatus de Concilio*. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, tom. I, dissert. I. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. I.

sive quia Episcopi velut regni proceres cum laicis res politicas definiebant, ut v. g. in capitularibus Caroli Magni (edictis in *capitula* seu *brevia capita* divisis), et in Conciliis Toletanis, stante Gothorum regno.

504. — II. *Species Conciliorum*. — Cum singula Episcoporum collegia in Concilia convenire possint, statim perspicitur tot esse species Conciliorum quot habentur legitimi pastorum conventus. Igitur Concilia dividuntur in *generalia* et *particularia*.

Conventus omnium Episcoporum efformat *Concilium œcumenicum* seu *generale*, quo repræsentatur Ecclesia universalis.

Concilium *particulare* est vel nationale, vel provinciale, prout Ecclesias unius nationis aut provinciæ repræsentat. — Concilium *nationale* sive *plenarium* ex Episcopis unius nationis coalescit, sub Patriarcha, vel Primate, vel alio Prælato a S. Sede delegato. — Concilium *provinciale* constat ex Episcopis unius provinciæ ecclesiasticæ, præsidente Metropolita, congregatis.

Synodus *diœcesana* est legitimus conventus cleri unius diœcesis, imprimis parochorum, in quo Episcopus res suæ diœcesis ordinat. Hæc nunquam nuncupatur Concilium, dum Concilia sæpe synodi nomine designantur.

ARTICULUS II

ORIGO ET UTILITAS CONCILIORUM

§ 1. — *Conciliorum origo* (1).

505. — I. *Origo Concilii generalis*. — Collegia Episcoporum in unam voluntatem convenire possunt, vel *habitualiter*, nempe legibus sui capitis obsequendo, vel *actualiter*, videlicet in Conciliis. Proinde Christus, constituendo corpus episcopale, eo ipso Ecclesiæ dedit facultatem celebrandi Concilia generalia. Imo divinam assistentiam ab ipso promissam fuisse Conciliis, probare videtur argumentum *a minori ad majus*, deductum ex verbis Christi : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. (Matth., XVIII, 20.) Ipsi Apostoli, praxim Conciliorum inducentes, conciliariter dixerunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis*... (Act., XV, 28.) Cætera vero quæ spectant tempus et modum celebrandi Concilia, nonnisi ab Ecclesia determinata sunt. Quapropter in celebratione Conciliorum disciplina canonica formam expressit juris divini : sicut enim ex voluntate Christi corpus episcopale Romano Pontifici semper adhæret saltem habituali consensu, ita quandoque ex Ecclesiæ arbitrio convocantur Concilia, ut Episcopi actualiter in unanimem sententiam conveniant.

Itaque a jure divino derivatur facultas celebrandi Concilia; istius autem facultatis exercitium ab Ecclesia pendet. Hæc est ratio cur controversum fuit utrum Concilium generale sit institutionis divinæ vel ecclesiasticæ.

(1) Bellarmin., *de Conciliis*. — Bouix, *du Concile provincial*, 1re partie, chap. VI

506. — II. *Oriyo Conciliorum particularium.* — Jus commune, Ecclesiarum particularium collegia instituens, velut typum habuit corpus episcopale. Etenim, quemadmodum omnes Episcopi cum R. Pontifice constituunt Ecclesiam regentem, ita Episcopi nationis cum Patriarcha vel Primate, Episcopi provinciæ cum Metropolita, presbyteri dœcesani cum Episcopo, tanquam membra cum capite unum corpus efficiunt. Jamvero collegium omnium Episcoporum efformavit Concilia generalia; et simili ratione in Ecclesiis particularibus collegia pastorum convocantur ad Concilium nationale vel provinciale, vel ad synodum diœcesanam.

§ 2. — *Utilitas Conciliorum* (1).

507. — I. Nulla existit *absoluta necessitas* Conciliorum generalium. Id probatur quadruplici ratione : *primo*, neque e Scriptura neque e Traditione affertur positivum et determinatum Christi præceptum. — *Secundo*, per plura sæcula absque conciliis Ecclesia recte gubernata fuit, ejusque libero arbitrio Concilia sunt convocata. — *Tertio*, Ecclesia dispersa, per S. Pontificem loquens, infallibilis est, et ordinariis difficultatibus providet. — *Quarto*, Concilia non sunt potestas distincta a corpore episcopali, sed tantum adhibentur ut habitualis voluntatum consensus fiat actualis.

Verum Concilia præ se ferunt medium extraordinarium ecclesiastici regiminis ; imo, in necessitatibus extremis, quæ arbitrio Ecclesiæ æstimantur, sunt moraliter necessaria, siquidem unitatem internam exprimunt externamque firmant.

Utilitatem Conciliorum generalium probant : 1° *Laudes* quibus a *Patribus* celebrantur ;

2° *Praxis Ecclesiæ*, quæ, in majoribus discriminibus, ubi commode potuit, Conciliis feliciter usa est ; per ea quippe sæpius hæreses exstirpavit, schismata extinxit, suam libertatem vindicavit, abusus eliminavit, atque disciplinam restituit ;

3° *Rationes intrinsecæ*. In Conciliis, ob frequentiam Prælatorum, splendidior apparet corporis episcopalis et Summi Pontificatus majestas. Præterea, diligentior existit sollicitudo, inquisitio rerum profundior adhibetur, maturius profertur sententia. Insuper, subditorum obedientia promptius et suavius obtinetur. Demum, contumacia novatorum efficacius frangitur.

508. — II. *Conciliorum particularium utilitas* jam constat, proportione data, ex ipsis rationibus quibus probatum est Concilia generalia regimini Ecclesiæ prodesse. Verum in specie æstimanda est convenientia Concilii nationalis, Concilii provincialis et synodi diœcesanæ.

1. *Concilia nationalia*, etsi minime necessaria, tamen utilia sunt in casibus arbitrio S. Pontificis determinandis ; ratio est, quia in eis res sacræ totius gentis maturiori consilio et majori auctoritate ordinantur. Verum

(1) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, § 83. — Salmon, *de l'Etude des Conciles*. — Sibour, *Institutions diocésaines*.

fatendum est minorem esse generatim illorum utilitatem, a tempore quo Sancta Sedes multa inter causas majores reposuit et ipsa cognoscit, quæ olim Conciliis nationalibus committebantur.

2. Utilitatem *Conciliorum provincialium* exprimit Concilium Coloniense (1549) : « In synodis redintegratur unitas; studetur corpori in sua integritate conservando; ubi ea quæ in visitatione non dabatur exsequi, executionem studiis communibus assequuntur; ubi de omnibus ad bene christianeque vivendum necessariis statuitur, ut verissime dicatur : salus Ecclesiæ, terror hostium ejus et fidei catholicæ stabilimentum sunt synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiæ nervos dixerimus. Neglectis enim synodis, non aliter ecclesiasticus ordo diffluit, quam si corpus humanum nervis solvatur. »

3. *Synodus diœcesana* multipliciter utilis est, sive respectu cleri, sive respectu disciplinæ. Respectu *cleri*, synodus zelum parochorum fovet, et unitatem Episcopi cum presbyteris diœcesanis firmat. Respectu *disciplinæ*, synodus est medium efficax ad eam instaurandam, tum quia per synodum Episcopus uno intuitu statum totius diœcesis complectitur, et leges convenientes melius præparantur; tum quia synodus observentiam legum promovet, dum illis venerationem et assensum conciliat. Proinde exercitia spiritualia parochorum non supplent synodum, quæ tamen congrue et facilius eorum occasione celebratur.

CAPUT II

REGULÆ DE CONCILIORUM CONVOCATIONE, CELEBRATIONE ET CONFIRMATIONE

Diversæ sunt, prout agitur : 1. de Concilio generali; — 2. de Concilio nationali; — 3. de Concilio provinciali; — 4. de synodo diœcesana.

ARTICULUS I

DE CONCILIO GENERALI (1)

509. — Concilium generale est conventus majorum totius Ecclesiæ prælatorum, ad deliberandum super communibus Ecclesiæ negotiis, et ea definienda sub confirmatione Romani Pontificis.

Ut Concilia sint legitima, requiruntur solemnitates triplicis generis, nempe prævia *convocatio*, ipsa Concilii *celebratio*, et subsequens *confirmatio*. De singulis nunc agendum.

§ 1. — *De convocatione Concilii generalis* (2).

510. — Convocatio Conciliorum in genere est actus solemnis, quo pastor collegio præpositus publicam Concilii celebrationem indicit omnibus

(1) Thomassin., *Dissertationes in Concilia.* — Biner., *Apparatus ad jurisprudentiam ecclesiasticam.* — (2) Ballerini, *de Potestate Pontificum et Conciliorum generalium.*

ejusdem collegii pastoribus. Proinde convocatio Concilii generalis est actus quo Summus Pontifex, caput corporis episcopalis, omnes Episcopos vocat ad Concilium celebrandum. — Hinc duplex quæstio : 1. Cujus sit Concilium convocare ? — 2. Quinam sint vocandi.

511. — 1° *Cujus sit Concilium generale convocare ?* — I. Potestas convocandi Concilium pertinet ad illum qui auctoritatem habet in collegium congregandum. Atqui Pontifex Romanus est caput corporis episcopalis. Igitur solus jure potest omnibus Episcopis præcipere ut conveniant.

II. Ipsi Summi Pontifices indixerunt Concilia occidentalia. Ad Concilia orientalia quod attinet, eorum indictio fuit saltem a SS. Pontificibus *probata* vel *firmata*.

His verbis explicatur ratio agendi imperatorum qui Concilia generalia convocasse dicuntur. Etenim, quamvis principes non habeant jus convocandi episcopos ad Ecclesiam gubernandam, tamen negari nequit quosdam imperatores fecisse *materialem* Conciliorum convocationem. Illud vero fecerunt, non quidem jure proprio, sed de mandato vel consilio, aut cum approbatione saltem subsequenti Romani Pontificis, a quo pendet convocatio formalis.

III. Sede Romana vacante, generatim Concilium non convocatur, siquidem Cardinales non habent jus proprium gubernandi Ecclesiam.

Attamen, si convocatio illius ad gubernium Ecclesiæ sit necessaria, tunc electio novi Pontificis primum fiat, et deinde Pontificis erit Concilium convocare.

Si vero necessitas urgeat, v. g. cum in schismate Occidentis persona veri Pontificis incerta erat, Cardinales, quorum est eligere S. Pontificem, proindeque illius personam certo designare, pro bono Ecclesiæ sibi tribuunt convocandi Concilium, quod tunc vices agit amplioris conclavis, donec ipsi præsideat Pontifex electus.

512. — 2° *Quinam sint vocandi* (1)? — I. Membra Concilii convocantur vel *ex regula generali*, vel *ex privilegio*.

1. Ex regula generali, convocantur omnes pastores qui actuale regimen alicujus Ecclesiæ seu diœcesis obtinent. Proinde ad Concilium œcumenicum convocari debent, tanquam judices, omnes Episcopi orbis; nam corpus episcopale, Summo Pontifice et Episcopis constans, Ecclesiam regit et repræsentat. — Vocantur etiam Episcopi titulares, resignantes, et electi confirmati nondum consecrati; qui omnes jure vel privilegio habent suffragium decisivum.

Procuratores episcoporum venire impeditorum jure non convocantur; unde in Conc. Tridentino admissi fuerunt cum suffragio mere consultativo, in Conc. vero Vaticano non admissi.

2. Ex privilegio, vocandi sunt Cardinales presbyteri et diaconi, abbates generales exempti, Ordinumque religiosorum Præpositi generales, qui nec per se qualitatem requisitam habent, nec semper vocati sunt, nunc

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, dissert. *Prœmialis*.

tamen velut judices admittuntur, propter jurisdictionem quasiepiscopalem quam in suos subditos exercent.

II. Præter Patres, quorum est judicare, nemo habet jus comparendi, nisi expresse vocetur. — Attamen alii diverso titulo vocari consueverunt :

1. Theologi et canonistæ vocantur tanquam *consultores*, ut deliberationes præparent, res discutiant, difficultates expendant, definienda rationibus illustrent ; sed non sedent in ipso Concilio.

2. Alii vocantur ut *ministri* Conciliorum, v. g. notarii, officiales, tachygraphi.

3. Invitari et honorabili loco sedere solent oratores Statuum catholicorum, qui suffragium non ferunt, sed filialem obedientiam præstant et protectionem spondent. Admitti etiam possunt, et aliquando admissi sunt, alii illustres viri laici, sive genere, sive doctrinæ laude conspicui.

§ 2. — *De celebratione Concilii generalis* (1).

513. — I. *Præsidentia.* — Jus præsidendi pertinet ad illum qui Concilium convocavit, scilicet, ad illum qui præest collegio congregato. Atqui jure divino S. Pontifex omnibus Episcopis præficitur. Ergo jure divino Conciliis generalibus præsidet. — Ex historia constat summos Pontifices præfuisse Conciliis œcumenicis vel per se, vel per suos legatos ; vel nullo modo præfuisse, sed decreta Concilii approbasse.

Si quosdam imperatores Conciliis præfuisse legimus, v. g. Constantinum Pogonatum Constantinopolitano III, manifestum est id nonnisi ad tuendum ordinem, minime vero ad præsidentiam directivam spectasse. Difficultas inde objecta solvitur hac distinctione : principes quidem præfuerunt ut defensores Conciliorum, non ut judices ; præsidebant materialiter, non formaliter.

514. — II. *Numerus requisitus membrorum* (2). — Concilium generale repræsentat Ecclesiam per congregationem corporis episcopalis. Jamvero distinguitur duplex illius universalitas, nempe *formalis* et *materialis*. Universalitas *formalis* consistit in unione membrorum sub capite, siquidem collegium episcopale constat capite et membris. Universalitas *materialis* consistit in eo quod omnes Episcopi conveniunt.

Necesse non est ut omnes omnino adsint ; quod fieri nequit. Satis est aliquot e pluribus provinciis Episcopos interesse, ita ut eorum conventus, inspectis locorum et personarum adjunctis, dici possit moraliter repræsentatio totius Ecclesiæ catholicæ et integrum corpus episcopale.

Si deficeret universalitas materialis, concilium non esset proprie œcumenicum ; sed ejus decreta pariter valerent et obligarent, ob auctoritatem R. Pontificis ea ferentis aut confirmatione facientis sua.

515. — III. *Objectum deliberationis* (3) est vel causa fidei, vel disciplina universalis ; et decreta conciliorum sunt leges a Conciliis editæ circa utrumque genus causarum. Concilium Tridentinum doctrinam fidei *capi-*

(1) Duranti, *de Modo celebrandi Concilium.* — (2) Soglia, *Institutione juris publici*, pars I, cap. II. — (3) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, dissert. I

tibus et *canonibus* declaravit et definivit, disciplinam vero ordinavit *decretis* in capita distributis, quorum fere omnia inscribuntur *de reformatione*.

Summus Pontifex, dum Concilio præest, proprio nomine decreta edit, adjecta formula : *sacro approbante Concilio*, quam legere est in actis Conciliorum Lateranensium et Lugdunensium, et novissime in actis concilii Vaticani.

Decreta subscribenda sunt ab omnibus Patribus. Patres subscribunt : *Ego N. judicans subscripsi.* Theologi et canonistæ, oratores Statuum, etc., subscribunt diversa formula, nempe : *Ego N. consentiens subscripsi.*

516. — IV. *Formam deliberationis* determinant regulæ duplicis generis, aliæ necessariæ, aliæ tantum utiles.

1. *Regulæ necessariæ.* — *Primo*, requiritur *libertas* in judiciis; acta enim per vim et metum ipso jure sunt irrita.

Secundo, fraus omnis abesse debet; quam ob causam, nullam auctoritatem habet Concilium Ariminense.

Tertio, præmittitur sufficiens examen. Quod enim ad fidem catholicam attinet, non fiunt novæ revelationes, sed Deus pollicitus est Ecclesiæ assistentiam suam, ne unquam in veritatibus fidei investigandis atque definiendis in errorem laberetur. At vero, postquam Concilium definivit, nullus dubitandi locus relinquitur quin Concilium diligentiam debitam adhibuerit, siquidem Deus simul prospicit finem et media ad finem necessaria (1). Quod spectat disciplinam, manifestum est opportunitatem et utilitatem decretorum rationem habere ex circumstantiis locorum, temporum et personarum, quas sine diligenti relatione et consideratione perpendere impossibile est.

2. *Ad alias regulas* quod attinet, distinguendæ sunt *congregationes* et *sessiones publicæ.*

In congregationibus tum particularibus tum generalibus, res tractandæ prævie discutiuntur et accurate examinantur, ut jam omnia parata sint pro sententia decisiva in sessionibus publicis proferenda.

Decreta conciliaria majori suffragiorum parte feruntur; imo generatim Concilia non decernunt nisi ea quæ sententia Patrum moraliter unanimi approbantur.

Suffragia viritim et publice dari solent per verba *placet* vel *non placet.* Rationem ferendi suffragia secundum nationes, a Conciliis Constantiensi et Basileensi inductam, Concilium Tridentinum reprobavit.

§ 3. — *De confirmatione Concilii generalis.*

Probata confirmationis necessitate, exponetur modus confirmationis et subjungetur notitia Conciliorum confirmatorum.

I. — Necessitas confirmationis (2).

517. — Confirmatio est actus quo R. Pontifex approbat ea quæ in

(1) Conc. Vaticanum.. Sess. IV, cap. 4. § *Huic...* — (2) Ballerini, *de Potestate Pontificum et Conciliorum.* — Bellarmin., *de Conciliis.*

Concilio decreta sunt, illisque tribuit vim legis in universam Ecclesiam. Ista legalis approbatio nunquam potest suppleri; aliæ vero solemnitates aliquando per ipsam confirmationem supplentur. Proinde confirmatio est Concilii prima pars in ordine juris, quamvis sit ultima in ordine temporis.

Ejus necessitas probatur 1. *auctoritate*. Eugenius IV, in decreto super unione Jacobitarum, ait : « Suscipit sancta romana Ecclesia omnes universales synodos, auctoritate R. Pontificis legitime congregatas ac celebratas, et confirmatas. » Dixit *et confirmatas*, ut ostenderet Concilia generalia esse illegitima, neque auctoritatem habere, nisi confirmentur a Romano Pontifice, in quo resident infallibile magisterium et supremum regimen Ecclesiæ.

Accedit auctoritas ipsorum Conciliorum. Etenim Concilia generalia hactenus celebrata confirmationem a Summis Pontificibus petierunt; atque Ecclesia catholica ea Concilia tantum tanquam legitima recepit quæ Summi Pontifices probaverunt; rejicit vero ut illegitima ea quæ ab ipsis Pontificibus reprobata fuisse noscuntur.

Probatur 2. *ratione*, ex natura Conciliorum. Concilium generale non habet propriam auctoritatem, nisi quatenus exercet supremum magisterium et regimen Ecclesiæ. Atqui, nisi confirmetur, non obtinet illud magisterium et regimen supremum, quod in Rom. Pontifice residet, et ab eo derivatur in eos quos sibi adsciscit ad causas fidei et disciplinæ generalis ordinandas.

Itaque confirmatio R. Pontificis et judicium Episcoporum sunt duo actus relativi; uterque necessarius est ad perfectionem Concilii generalis. Sicut decisio pontificia, quamvis suprema et obligatoria pro omnibus, per se non habet indolem decreti conciliaris, ita judicium Episcoporum est incompletum et vi obligandi destitutum, donec confirmetur. — Istud judicium episcopale refertur ad judicium subsequens illius qui est caput Ecclesiæ, cujus confirmatio velut complementum accedit et firmitatem tribuit iis quæ in Concilio decreta fuerunt.

II. — Modus confirmationis.

518. — Vel S. Pontifex personaliter adest Concilio, vel illi præsidet per Legatos suos.

In primo casu, confirmationem impertitur decretis, sive accedendo ad Patrum judicium, sive illud proponendo, aut approbando, aut promulgando ut legitimum; his enim modis sententiam suam tanquam Pastor supremus enuntiat.

Cæterum, ut luculenter omnibus appareat S. Pontificem statim sua facere decreta Concilii cui ipse præest, hæc inscribuntur nomine ejus, et tanquam constitutiones pontificiæ promulgantur. Sic decreta Conc. Vaticani edita sunt in constitutionibus Pii IX *Dei Filius*, et *Pastor æternus*.

In secondo casu, Legati aliquando mittuntur *cum instructione determinata*, scilicet, ut S. Pontificis judicium intiment et acceptandum proponant. Tunc, sicut omne decretum voluntati S. Pontificis repugnans eo

ipso irritum esset, ita decreta huic voluntati consentanea pleno robore gaudent, nec ulteriori indigent confirmatione, nisi forte ad cautelam, videlicet, ut Ecclesiæ constet omnia in Concilio rite fuisse peracta, juxta S. Pontificis mentem et instructionem.

Quando vero Legati præsident absque hujusmodi instructione, v. g. in Conc. Tridentino, decreta Concilii, etsi consentientibus Legatis lata, necessario subsequenti confirmatione ratihaberi debent, eo quod sententia Legatorum non est sententia capitis Ecclesiæ. Imo, si decreta sint definitiones dogmaticæ, S. Pontifex non posset delegare facultatem ea confirmandi, quia infallibilitas ejus omnino personalis est et incommunicabilis.

III. — Notitia Conciliorum confirmatorum.

Distinguuntur: 1. Concilia confirmata; — 2. Concilia partim approbata, partim reprobata; — 3. Concilia reprobata.

1. — Concilia confirmata (1).

519. — Concilia confirmata numerantur 19, quorum 8 priora in Oriente, reliqua in Occidente habita sunt.

Concilia orientalia : I^m^, *Nicænum* 1^m^ sub S. Sylvestro, celebratum est anno 325. Causa illius triplex : hæresis Arii negantis divinitatem Verbi, controversia de die paschatis, et schisma Meletii in Ægypto.

II^m^, *Constantinopolitanum* 1^m^, sub S. Damaso, anno 381 celebratum, divinitatem Spiritus Sancti contra Macedonium definivit.

III^m^, *Ephesinum*, sub S. Cœlestino I, anno 431 celebratum, contra Nestorium definivit in Christo esse unicam Verbi personam, et B. Virginem Mariam esse matrem Dei.

IV^m^, *Chalcedonense*, sub S. Leone I, anno 451 celebratum, damnavit Eutychetem, asserentem in Christo unicam naturam. Quoad disciplinam plura statuit, quæ partim approbavit, partim reprobavit Sedes Apostolica.

V^m^, *Constantinopolitanum* 2^m^, sub Vigilio, anno 555, damnavit errores Origenis et tria capitula.

VI^m^, *Constantinopolitanum* 3^m^, sub S. Agathone, anno 680 celebratum est, contra Monothelitas, unam in Christo voluntatem asserentes.

VII^m^, *Nicænum* 2^m^, sub Adriano I, anno 787 celebratum contra Iconoclastas, cultum sacrarum Imaginum vindicavit.

VIII^m^, *Constantinopolitanum* 4^m^, sub Adriano II, anno 869, Photium deposuit.

Concilia occidentalia : IX^m^, *Lateranense* 1^m^, sub Callixto II, Romæ anno 1123 celebratum, investituras abrogavit, expeditionem cruciatam contra Saracenos decrevit, et disciplinæ per simoniam labenti consuluit.

X^m^, *Lateranense* 2^m^, sub Innocentio II, anno 1139 celebratum, schisma Petri Leonis extinxit, errores Arnaldi de Brixia damnavit, ac plures disciplinæ canones edidit.

(1) Mansi, *Conciliorum collectio.* — Catalani, *Concilia commentariis illustrata.*

XI^m, *Lateranense* 3^m, sub Alexandro III, anno 1179 celebratum fuit contra Valdenses et Albigenses.

XII^m, *Lateranense* 4^m, sub Innocentio III, anno 1215 congregatum, appellatur *magnum Concilium Lateranense*. Hujus causa fuit triplex : Terra sancta a tyrannide liberanda, hæresis Albigensium, et disciplina instauranda.

XIII^m, *Lugdunense* 1^m, sub Innocentio IV, anno 1245 celebratum, Fredericum II, excommunicatum et contumacem, imperatoria dignitate dejecit, et de Terra sancta liberanda statuit.

XIV^m, *Lugdunense* 2^m, sub B. Gregorio X, anno 1274 celebratum, Græcos in unitatem Ecclesiæ recepit, et subsidium Terræ sanctæ morumque reformationem commendavit.

XV^m, *Viennense*, sub Clemente V, anno 1311 celebratum est. Hujus quadruplex causa fuit : abolitio Templariorum, fides variis erroribus impugnata, subsidium Terræ sanctæ, et disciplinæ instauratio.

XVI^m, *Florentinum*, sub Eugenio IV, anno 1439 celebratum, Orientales iterum ad unitatem Ecclesiæ revocavit.

XVII^m, *Lateranense* 5^m, sub Julio II et Leone X, anno 1512 et sequentibus celebratum, conciliabulum Pisanum damnavit, et Pragmaticam Sanctionem abolevit, quæ in Galliis a tempore Concilii Basileensis obtinebat.

XVIII^m, *Tridentinum*, sub Paulo III, Julio III et Pio IV, annis 1545-1563 celebratum, veritates fidei a Protestantibus impugnatas definivit, et pro reformanda disciplina simul multa edidit decreta.

XIX^m, *Vaticanum*, die 8 decembris 1869 cœptum, sub Pio IX, *rationalistarum* et *traditionalistarum* errores profligavit, et Romani Pontificis infallibilitatem definivit. Ob temporum vicissitudines, suspensum fuit decreto Pontificio, 20 octobris 1870.

2. — *Concilia partim approbata, partim reprobata* (1).

520. — Quatuor Concilia partim approbata, partim reprobata, sunt : *Sardicense* sub S. Julio I, anno 351 celebratum, in quo 300 Episcopi fidem catholicam propugnaverunt, Arianismum 80; — *Quinisextum* seu *Trullanum*, ita dictum e loco palatii imperialis in quo sub Sergio, anno 692 celebratum est; quintæ et sextæ synodo Constantinopolitanæ canones addidit, ex quibus plurima reprobata, quædam a SS. Pontificibus recepta sunt; — *Constantiense*, anno 1414 et subsequentibus, sub tribus Pontificibus dubiis primum celebratum, deinde sub Martino V, a se electo, absolutum. Hujus causa fuerunt schisma Occidentis extinguendum, reformatio facienda et fides confirmanda. Martinus V illud approbavit quoad omnia *decreta in materiis fidei conciliariter, non aliter, nec alio modo*, id est, quoad decreta contra errores Wiclefi et Hussitarum. Decreta vero sessionis IV^æ et V^æ, in quibus asseritur Concilium esse supra Pontificem, non

(1) Biner., *Apparatus ad jurisprudentiam canonicam.* — Ballerini, *de Potestate Pontificum et Conciliorum.* — Schelstrate, *de Sensu et Auctoritate decretorum Constantiensis Concilii.*

sunt conciliariter facta, neque approbata. Schisma extinctum fuit sive per promissionem Joannis XXIII et desertionem Benedicti XIII, sive potissimum per abdicationem Gregorii XII et electionem Martini V; — *Basileense*, anno 1431 celebratum, cujus nonnisi paucas de beneficiis dispositiones approbavit Nicolaus V.

3. — Concilia reprobata

Quatuor Concilia ex toto reprobata sunt : *Ariminense*, anni 363, in quo vox *consubstantialis* e Nicæno symbolo expuncta est; — *Ephesinum latrocinium*, anni 449, ita dictum quia ibi S. Flavianus occisus, et legati S. Pontificis fugati sunt, ad *Eutychianam* hæresim stabiliendam; — *Constantinopolitanum* duplex, annis 730 et 735, contra sacras imagines celebratum; — *Pisanum*, anno 1511, schismatice habitum contra Julium II.

ARTICULUS II

DE CONCILIO NATIONALI

521. — Concilium nationale, seu plenarium alicujus nationis, est legitima congregatio Episcoporum integræ gentis, celebrata sub præsidentia Patriarchæ aut Primatis, vel Delegati Apostolici, ad negotia ecclesiastica hujus nationis ordinanda.

I. *Convocatio.* — Conciliorum hujusmodi usus fuit olim frequens in Africa, Italia, Gallia et Hispania. A multis sæculis rarius celebrantur, ex quo deficere incœpit Primatum potestas; attamen, mediante sæculo XIX°, convocari cœpit Baltimoræ Concilium plenarium Statuum fœderatorum Americæ septentrionalis, singulis decenniis deinceps celebrandum; item, in Hibernia habitum est concilium nationale Thurlense; in Syria Sciarfense, pro Syris catholicis (1888); imo totius Americæ latinæ concilium Romæ convenit anno 1899.

Eorum convocatio non præcipitur a Concilio Tridentino. Imo fieri nequit sine licentia Sedis Apostolicæ, prout Pius IX Episcopis Galliæ concilium nationale petentibus respondit (1).

Jus convocandi Concilium nationale ad Patriarcham aut Primatem olim pertinebat, de consensu R. Pontificis. Nunc vero, cum non existant generatim Patriarchæ vel Primates jurisdictionem in ecclesias suæ nationis obtinentes, ejusmodi Concilium a R. Pontifice vel ab illius Delegato indiceretur.

II. *Celebratio.* — Jus præsidendi competit ei qui convocat. Proinde præsidentia Concilii nationalis ad Patriarcham, Primatem, vel Delegatum R. Pontificis spectat.

III. *Recognitio.* — Si R. Pontifex ipse Concilio nationali præfuerit, decretorum approbatio non est necessaria. Si vero alius ei præsideat, requiritur pontificia recognitio; nam decreta Consilii nationalis inter causas majores numerantur, ideoque ad Sanctam Sedem referenda sunt.

(1) Breve Pii IX *Ad Archiepiscopum Parisensem*, datum Cajetæ (1849).

ARTICULUS III

DE CONCILIO PROVINCIALI

Concilium provinciale est legitimus conventus in quo, præsidente Metropolita, Episcopi unius provinciæ jure ordinario tractant negotia ecclesiastica hujus provinciæ. — Dicemus de ejus *convocatione, celebratione* et *recognitione.*

§ 1. — *De convocatione Concilii provincialis.*

522. — I. *Obligatio celebrandi Consilia provincialia jam a prioribus sæculis exstitit*, et confirmata fuit a Concilio Tridentino, quod statuit (1) : « Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, renoventur. Quare Metropolitani, quolibet saltem triennio, non prætermittant synodum in provincia sua cogere ; quo Episcopi omnes, et alii, qui de jure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur. »

Ob diuturnam intermissionem horum conciliorum, consuetudinem contrariam fere ubique obtinentem, et temporum circumstantias, excusantur Metropolitæ qui ea celebrare omittunt. Imo S. Sedes, non urgendo legis Tridentinæ observantiam, huic intermissioni indulgere videtur, præsertim quia praxis inducta est Congr. Romanis referendi multa negotia quæ prius in conciliis tractabantur. At simul fovet conventus seu *congressus*, in quibus Episcopi, sive soli, sive cum clericis et laicis, tractant de præsentibus Ecclesiæ negotiis, finem conciliorum sub alia forma prosequuntur, iisque viam sternunt (2).

II. *Convocatio* fit generatim a Metropolita, qui jure ecclesiastico præest provinciæ. Vacante sede metropolitana, vel Metropolita impedito, coepiscopus suffraganeus ordinatione antiquior Concilium indicit. Concilium intra provinciam celebrari debet, ordinarie in ecclesia metropolitana.

III. Triplex distinguitur species eorum qui convocantur.

Vocandi sunt, accedere tenentur et vocem decisivam habent : — 1. Omnes Episcopi suffraganei, etiam Episcopus nondum consecratus, possessionem tamen adeptus. Episcopi impediti mittunt *procuratores* suos, qui vocem decisivam habere possunt, si Concilio placuerit. — 2. Episcopi exempti, qui vicinam provinciam elegerunt. — 3. Administratores apostolici, Vicarii capitulares et coadjutores Episcoporum regendæ suæ diœcesi imparium. — 4. Prælati seu abbates *nullius*, populum et jurisdictionem quasiepiscopalem habentes.

Alii Episcopi et Prælati generatim non sunt vocandi, tum quia Metropolita non habet potestatem in eos, tum quia ipsi jurisdictionem in provincia non obtinent. Attamen, dum existunt in urbe Concilii, rite invitari et adesse possunt, præsertim si vox tantum consultativa eis concedatur.

Invitantur ex jure, accedere non tenentur, ac vocem consultativam habent : — 1. Abbates simplices, seu monasteriorum superiores, qui juris-

(1) Sess. XXIV, cap. II, *de Reform.* — (2) Cf. Litteras Leonis XIII, *Pastoralis vigilantiæ*, ad Episc. Lusitaniæ (25 jun. 1891).

dictionem in monachos obtinent sine populo. — 2. Capitula cathedralia, quæ possunt interesse per deputatos.

Admittuntur etiam quidam alii : — 1. Singuli Patres unum aut plures sibi adsciscunt presbyteros velut theologos et canonistas, quorum doctrina utantur ad res discutiendas. — 2. Admittuntur etiam plures clerici, qui a Patribus constituuntur Concilii *officiales*, puta, Secretarius, Promotor, Notarii, etc. — 3. Laici quorum merita sunt spectabilia et interventus foret opportunus, admitti possunt. Attamen, inquit Benedictus XIV, caute in hoc se gerant Episcopi, neque nimis faciles se præbeant in laicis invitandis, ne quod ab initio ex urbanitate procedit, tractu temporis fiat necessitas.

§ 2. — *De celebratione Concilii provincialis.*

523. — I. *Præsidentia.* — Metropolita præsidet eodem jure quo ad illum spectat convocatio Concilii. Cum jure tantum ecclesiastico præsit Episcopis provinciæ, ideo ipsius potestas limitibus restringitur ; sic ejus votum non præponderat cæteris, nonnisi de assensu Episcoporum potest silentium alicui indicere, et Concilium dissolvere. — Episcopi autem sedent juxta ordinem suæ consecrationis, nulla habita ratione præeminentiæ suarum Ecclesiarum.

II. *Negotia Concilio provinciali competentia.* — Concilium provinciale non definit res fidei controversas. Potest vero punire hæreticos ; judicare errorem reprobatum in Scripturis, ab Ecclesia, vel sententia communi doctorum ; etiam res fidei definire, ex delegatione Sanctæ Sedis, ut fecit Conc. Arausicanum II^m^, in quo Episcopi et illustres laici subscripserunt 25 capitula dogmatica auctoritate apostolica transmissa in Galliam, ad retundendos errores Semipelagianorum.

Pariter non judicat res disciplinæ generalis, neque causas majores, quæ Sanctæ Sedi reservantur ; ejus enim scopus est ea statuere quæ provinciam respiciunt.

Ad concilium provinciale spectat tum observantia et applicatio juris dogmatici et disciplinæ universalis, tum particularis disciplina provinciæ.

III. *Ordo celebrationis.* — Effusis in provincia precibus, prima sessio celebratur in ecclesia. In ea Concilium incipit per *triplex decretum* de aperienda synodo, de modo vivendi in Concilio et de professione fidei ; ac designantur Concilii officiales. — Ritus adhibendi describuntur in Pontificali romano, in Cæremoniali Episcoporum et in actis Conciliorum præcedentium.

Ex consuetudine, Patres et consultores distribuuntur in *congregationes particulares*, quibus singulis diversæ materiæ committuntur discutiendæ, In *congregationibus generalibus*, eadem negotia denuo examinantur, atque ultimo disponuntur decreta quæ in sessione ferenda sunt.

Sub Concilii fine, decreta in sessione solemni acceptantur et subscribuntur.

§ 3. — *De recognitione decretorum.*

524. — I. Juxta disciplinam antiquam, Concilia provincialia non condebant nova statuta sine consensu R. Pontificis. Nunc Concilium tenetur sua decreta subjicere examini et correctioni Sanctæ Sedis, ante eorum promulgationem. Id constat ex constitutione Sixti V ad Congregationem Concilii (1).

II. Ista recognitio, qua Congregatio corrigit in decretis ea quæ nimis rigida aut juri minus consentanea sunt, dicitur approbatio *in forma communi;* in ea simpliciter dicitur acta Concilii promulgari posse, quin ulla vis eis addatur.

Aliquando, Metropolitis postulantibus, Concilia non tantum emendantur, verum etiam a Summo Pontifice per apostolicas litteras confirmantur *in forma specifica*, et exinde tantam vim accipiunt, ut in provincia prævaleant juri communi contrario, nec sine R. Pontificis licentia corrigi aut mutari deinceps possint.

III. Decreta Concilii provincialis rite recognita et correcta sunt promulganda a singulis Episcopis in synodis diœcesanis, infra semestre; vel quamprimum extra synodum, si celebrari nequeat. Factà autem promulgatione, obligant universam provinciam, ipsumque Metropolitam; nec abrogari possunt, nisi ab alio concilio provinciali, vel auctoritate S. Pontificis. Cum autem aliquando expediat concedi dispensationem a decretis provincialibus, nec in singulis casibus commode intervenire possit S. Pontifex, tenent communiter canonistæ singulis Episcopis in sua diœcesi competere facultatem super iis dispensandi, qua legitime utuntur, saltem vi consuetudinis præscriptæ (2).

ARTICULUS IV

DE SYNODO DIŒCESANA (3)

525. — Ab initio Ecclesiæ, clerus civitatis episcopalis efformavit consilium, cujus opera utebatur Episcopus in diœcesis regimine; et Presbyterium dicebatur cleri diœcesani congregatio.

Duo instituta, nempe capitulum et synodus, ab antiquo presbyterio ducunt originem. Capitulum vero semper habitum fuit tanquam Episcopi senatus.

Crescentibus diœcesibus, cura parochiarum stabiliter presbyteris commissa fuit. Isti, extra urbem episcopalem commorantes, ab Episcopo in generalem conventum, scilicet in synodum, convocari consueverunt, primum bis in anno, postea semel quotannis. — Eodem ordine quo de Conciliis, dicendum est de synodi *convocatione*, *celebratione* et *confirmatione*.

§ 1. — *De convocatione synodi.*

526. — *Jus et officium convocandi synodum.* — Synodi convocationem

(1) Constitutio *Immensa*, 1587. — (2) S. Lig. l. I, n. 90. — (3) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*. — S. Carolus, *Acta Ecclesiæ Medionalensis*.

præcipiunt antiqui canones et decretales. Concilium Tridentinum statuit(1) : « Synodi diœcesanæ quotannis celebrentur..., quibus, ratione parochialium aut aliarum sæcularium ecclesiarum etiam annexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, interesse. »

Synodum convocare potest : 1° Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus ; nam iste jurisdictionis actus ad regimen diœcesis pertinet ; 2° Vicarius generalis, ex speciali mandato Episcopi impediti ; 3° Vicarius capitularis, dummodo effluxerit annus ab ultima synodo.

II. *Quinam sint vocandi.* — Accedere tenentur : 1° Canonici et Dignitates ; 2° Vicarius generalis et Decani ; 3° Parochi etiam regulares, rectores missionum creditam habentes curam animarum, et quicumque ecclesiarum sæcularium curam gerunt. Sed, ob moralem impossibilitatem simul omnes parochos congregandi, præsertim in amplissimis diœcesibus, in Gallia et in Belgio introductus est mos convocandi tantum partem parochorum ; quem morem pluries saltem ad tempus approbavit S. Congregatio Concilii (2).

Præter illos, 1° regulariter cæteri sacerdotes adesse non tenentur, nisi ex consuetudine id fuerit observatum, vel agendum sit de reformatione cleri. — 2° Laici non convocantur ex jure, sed convocari possunt. Caveant tamen Episcopi ne sine gravi causa laicos admittant, qui paulatim sibi tribuerent jus interveniendi.

§ 2. — *De celebratione synodi* (3).

527. — I. *Præsidentia* pertinet ad Episcopum, cujus est sessiones indicere, causas proponere, singula moderari. Synodi celebratione non immutatur relatio quæ inter Episcopum et clerum intercedit ; Episcopus enim manet solus legislator, ipsius auctoritas in moderamine synodi est fere summa, cæterique sunt tantum consiliarii quibus utitur.

Itaque synodus non est conventus deliberans in quo fit tumultuosa discussio, et major pars fert legem. Ideo suffragia colligi non solent.

Omnia peraguntur nomine Episcopi, qui eligit modum quo clerum consulat.

II. *Negotia et decreta synodi.* — 1. Generatim Episcopus in synodo decernit ea quæ necessaria vel utilia sunt, et spectant abusus corrigendos, virtutes promovendas, ac disciplinam instaurandam.

Ad synodum spectat decreta Concilii provincialis publicare, aliasque leges in effectum deducere ; judices synodales designare, quos S. Pontifex possit delegare ad litium instructionem ; item confirmare examinatores synodales, qui in concursu ad beneficia assistant episcopo aut vicario generali.

2. *Leges synodales* debent esse utiles, claris verbis concinnatæ, loco et tempori convenientes, haud multiplices, sed quarum necessitas probata sit.

(1) Sess. XXIV, cap. II, *de Reform.* — (2) Episcopis americanis saltem plerisque indultum est singulis vicibus aut dimidiam partem rectorum convocare, aut illos quos vocandos opportunius in Domino judicabunt. — (3) Pontificale romanum, *Ordo ad Synodum.* — Gavanti, *Praxis Synodi diœcesanæ*

Episcopus consilium capituli requirit, etsi non teneatur illud sequi ; et leges synodales sine consilio capituli editæ non valent, cum deficiant a norma præscripta, ut docet Benedictus XIV.

Solius Episcopi est constitutiones synodales sua subscriptione firmare.

3. A pluribus cavere debet Synodus. Sic non dirimit quæstiones nondum definitas circa fidem et sacramenta ; non judicat causas majores ; non condit statuta juri communi adversantia, quæ nullius forent roboris ; novitates in diœcesim non inducit ; non nisi moderate infligit censuras et casus reservat.

III. *Ordo celebrationis.* — Indicta die synodi, conficitur decretorum specimen sacerdotibus communicandum, diœcesis publice precatur, et Episcopus in prævia congregatione statum diœcesis inquirit.

In synodo eliguntur officiales duplicis generis. Alii ab Episcopo constituuntur officiales synodi, v. g. promotor, secretarius, notarius, etc. ; alii deinceps munus suum obituri sunt, v. g. examinatores synodales.

Ritus, juxta titulum Pontificalis (*Ordo ad Synodum*), imitantur celebrationem Concilii provincialis. Synodus solet absolvi tribus sessionibus, inter quas institui possunt congregationes. Sessionibus solemnitates religiosæ et pia exercitia adjungi consueverunt.

§ 3. — *De confirmatione synodi* (1).

528. — I. Statuta synodalia non egent confirmatione neque revisione S. Congr. Concilii. A fortiori non requiritur approbatio cleri. Etenim Episcopi, cum sint presbyteris superiores, et in diœcesim obtineant jurisdictionem quæ complectitur potestatem legislativam, possunt per seipsos etiam in synodo leges condere, nisi Ecclesia consensum cleri requirat. Atqui nullo canone requiritur cleri consensus, majori suffragiorum parte exhibendus.

Objici nequit quod quædam statuta suffragiis cleri condita fuerint. Equidem nonnulli Episcopi sponte concesserunt clericis facultatem approbandi decreta ; sed ex libera eorum concessione nullum jus inferri potest.

Neque objiciatur Pontificale clero jus suffragii tribuere his verbis : « Leguntur constitutiones per synodum approbandæ ; quæ placent per Patres confirmantur. » Nam iste titulus Pontificalis convenit simul Concilio provinciali et synodo diœcesanæ. Verba objecta non sumuntur in stricto sensu quoad synodum ; intelliguntur vero de Concilio provinciali, in quo plures Episcopi sunt legislatores. Unde congregatio Concilii Tridentini interpres declaravit : « Episcopus potest in synodo diœcesana constitutiones facere, absque consensu et approbatione cleri ; debet tamen requirere consilium capituli, non obstante quod, ex forma *Romani Pontificalis*, constitutiones in synodo publicandæ a Patribus per verbum *placet* confirmentur. »

II. Synodus instituta fuit non ad limitandam, sed ad adjuvandam Episcopi auctoritatem. Cum Jansenistæ spargerent notiones genuinæ synodo-

(1) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. XIII.

rum ideæ alienas et constitutioni Ecclesiæ contrarias, Pius VI, in constitutione *Auctorem fidei*, doctrinam synodi Pistoriensis reprobavit.

CAPUT III

AUCTORITAS CONCILIORUM

Distinguenda sunt Concilia generalia et Concilia particularia.

ARTICULUS I

AUCTORITAS CONCILII GENERALIS (1).

Auctoritas Concilii generalis duplici modo consideratur, nempe *in se* quoad valorem illius legum, et *comparate* ad R. Pontificem.

§ 1. — *Auctoritas legum Concilii generalis.*

529. — Hujusmodi leges sunt vel canones dogmatici, vel leges disciplinares.

I. Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum est infallibile in fidei definitionibus, quæ statim obligant omnes ad credendum. Proinde hæreticus est quicumque Concilio fidem definienti et confirmato non assentitur.

II. — Jus ferendi leges disciplinares in Conciliis generalibus residet. Ista decreta, ratione ejusdem confirmationis, universam Ecclesiam obligant post duos menses a confirmatione, nisi specialis clausula adjecta fuerit (Cf. n. 91).

§ 2. — *Auctoritas Concilii comparate ad R. Pontificem* (2).

530. — A præsenti quæstione exulat casus schismatis, in quo, pluribus de papatu contendentibus, Ecclesia pollet jure sibi eligendi certum caput.

Ante seculum XIV^m^, nemini in mentem venit Summum Pontificem Concili generali subesse. Ipsa ergo novitas aperit falsitatem istius opinionis, quæ contradictionem involvit.

Etenim Concilium consideratur vel cum R. Pontifice conjunctum, vel ab illo sejunctum.

I. Si Episcopi in Concilio congregati considerentur cum R. Pontifice, tunc quidem Ecclesiam universam repræsentant; verum R. Pontifex in eo casu neque supra Concilium est, neque infra Concilium, sed in Concilio, ut caput in corpore. Nimirum suprema potestas pariter competit sive R. Pontifici soli, sive R. Pontifici cum collegio Episcoporum.

II. Concilium stare nequit contra R. Pontificem ; nam ratio Concilii non solum Episcopos, sed et ipsum R. Pontificem tanquam Ecclesiæ et Concilii

(1) Ballerini, *de Potestate Pontificum et Conciliorum.* — Schmalzgrueber, dissert. *Proœmialis*, § 8. — (2) Vide S. Alph., lib. I, 121-135, dissert. *de Rom. Pontificis auctoritate.*

caput, complectitur. Episcopi una collecti, nisi illum secum habeant, Ecclesiam repræsentare non possunt, siquidem Ecclesia universa dicitur supra petram ædificata; et ipse universos fratres confirmare debet.

Præterea, ex promissione Christi, contingere nequit ut totum Ecclesiæ ædificium a suo fundamento dimoveatur, id est, ut omnes Episcopi ab unitatis centro recedant. Itaque duo comparationis termini nunquam habendi sunt tanquam oppositi.

ARTICULUS II

AUCTORITAS CONCILII PARTICULARIS (1)

531. — I. Concilium nationale ultra nationem, Concilium provinciale ultra provinciam, synodus diœcesana ultra diœcesim *per se* non habet auctoritatem.

Per accidens, fieri potest ut decreta Concilii particularis extendantur in Ecclesiam universam. Hoc evenit duplici modo, nempe *confirmatione* expressa R. Pontificis, vel illius *consensu tacito*.

II. Decreta Concilii provincialis aliquando a R. Pontifice confirmantur *in forma specifica*, ut supra notatum est, n. 524; hæc autem confirmatio non semper eosdem producit effectus.

1. Decreta dogmatica Concilii particularis, ubi auctoritate Summi Pontificis confirmantur, vim obtinent in universa Ecclesia. Sic errores Pelagii et Priscilliani a Conciliis Africanis et Toletano damnati sunt; pariter errores Semipelagianorum in Concilio Arausicano II anathematizati sunt (anno 524, sub Felice IV); et eorumdem Conciliorum judicium irreformabile habitum est, postquam confirmatio Apostolicæ Sedis eis accessit a Bonifacio II (anno 530).

2. Cum disciplina possit esse diversa pro variis locis et temporibus, decretum disciplinare non extenditur ultra limites Ecclesiæ particularis, nisi aliter statuat R. Pontifex in confirmatione.

Nonnulla Concilia particularia tantam existimationem obtinuerunt, ut eorum decreta, *ex consensu tacito SS. Pontificum*, ab universa Ecclesia reciperentur, ut videre est in Decreto Gratiani.

TITULUS II

De Regularibus.

Sub hoc titulo disseremus : — 1° de natura status religiosi; — 2° de vitæ regularis evolutione historica; — 3° de legibus quibus regulares subjiciuntur.

CAPUT I

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

Hæc tria sunt exponenda : — 1. notio status religiosi; — 2. finis et media vitæ religiosæ; — 3. votorum solemnitas.

(1) Devoti, Soglia, Zallinger, *de Conciliis*.

ARTICULUS I

NOTIO STATUS RELIGIOSI

532. — Vox *Religio* communiter accipitur tum pro virtute speciali, qua Deo exhibetur debitus cultus; tum pro universitate colentium Deum juxta systema doctrinæ religiosæ, sive verum, sive etiam falsum, v. g. religio christiana, religio mahumetana; tum pro congregatione eorum qui se totos dicant Dei obsequio, juxta certam regulam, v. g. religio seu ordo religiosus S. Franscisci. Sic ultimate accepta, religio est certa forma status religiosi.

Status religiosus definitur (1) : Vitæ genus stabile et permanens fidelium ad caritatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuis paupertatis, castitatis et obedientiæ, sub obsequio regulæ communis, ab Ecclesia approbatum. — Edentes hæc vota dicuntur *religiosi* et *regulares :* religiosi, a religione quam profitentur; regulares, a regula sub qua vivunt.

Status religiosus dicitur 1° *Vitæ genus stabile et permanens;* agitur enim de statu vitæ christianæ ab aliis distincto. Porro status in genere est conditio vitæ moralis, certus vivendi modus; et status *proprie dictus* importat quamdam firmitatem, videlicet, stabilitatem ex causa quæ mutationem difficilem reddat, v. g. status peccati vel gratiæ, status clericalis vel conjugalis, professio religionis christianæ.

Dicitur 2° *Fidelium ad caritatis perfectionem tendentium.* Ad hanc perfectionem tria pertinent : 1° caritas, quæ nos unit Deo, fini nostro ultimo, et constituit perfectionem essentialem, ab omnibus requisitam ; 2° peculiaris gradus caritatis et adhæsionis Deo, nam fideles a peccato mortali immunes non sunt omnes perfecti ; 3° caritas ita habitualis et intensa, ut hominem proxime disponat ad agendum prompte, facile, ordinarie et delectabiliter, juxta Dei præcepta *et consilia*, remoto affectu deliberato ad peccata venialia et ipsas imperfectiones. — Hinc in via perfectionis communiter triplex assignatur stadium, nempe *vita purgativa incipientium*, *vita illuminativa proficientium*, et *vita unitiva perfectorum.* Qui tertium attigerunt stadium, in statu *perfectionis acquisitæ* versantur, plene Deo adhærentes et prompta voluntate perficientes omnia quæ pertinent ad illius famulatum; dum cæteri adhuc in statu *perfectionis acquirendæ* consistunt, plus minusve deficientes a plenitudine caritatis.

Dicitur 3° *Editis tribus votis*, etc. — In statu religioso, servantur tria consilia evangelica paupertatis, castitatis et obedientiæ, eo quod istis removentur ea quæ maxime perfectioni obsistunt; ista autem consilia firmantur votis perpetuam obligationem producentibus, ut facilius et tutius perveniatur ad perfectionem, atque voti meritum superaddatur intrinseco operum valori.

Dicitur 4° *Sub obsequio regulæ communis.* Ad statum religiosum opus est aliqua regula et regimine, nam stabilis in communi vivendi modus, nunc jure ecclesiastico requisitus ad statum religiosum publice susceptum, ita comparatus est, ut sine certa regula et regimine non subsistat (2).

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31, *de Regularibus*. — (2) Lib. III *Decret.* tit. 36, cap. IX.

Dicitur 5° *Ab Ecclesia approbatum*, sive quia agitur de statu publico personarum, sive quia norma idonea prosequendi perfectionem tuto eligenda est et efficaciter sancienda.

533. — Ex dictis liquet *quomodo status religiosus distinguatur a cæteris statibus.* — Distinguitur : 1° a statu *clericorum*, qui pertinet ad hierarchiam Ordinis in Ecclesia divinitus institutam ; clerici enim, ratione sui status, bonum commune societatis spiritualis prosequuntur, dum regulares proprio bono principaliter intendunt ; — 2° a statu *sæcularium* seu *laicorum*, qui vitam communem præceptorum agunt, et subsunt communibus Ecclesiæ legibus, dum religiosi vitam perfectam conciliorum ex instituto sectantur, ideoque peculiaribus legibus reguntur. Usus tamen obtinuit *sæculares* appellandi clericos ordini religioso vel congregationi non cooptatos, et *laicos* pariter viros religiosos ad statum clericalem sacra ordinatione non assumptos.

Hæc manifesta sunt, supposita existentia consiliorum evangelicorum. Atqui dari distinctionem inter præcepta et consilia, et consilia esse perfectiora præceptis, probatur tum ex verbis Christi et S. Pauli, tum ex SS. Patribus, qui perfectionem consiliorum unanimiter extollunt. Igitur *professio publica consiliorum* statum distinctum constituit. — Cf. S. Matth., cap. V, VI, VII et XIX ; I Cor. VII.

Consilia sunt quidem innumera, v. g. circa meliorem modum adimplendi quælibet præcepta. Verum auctores ascetici præ cæteris extollunt et autonomastice *evangelica* appellant tria consilia specialia *paupertatis*, *castitatis* et *obedientiæ*, quatenus ista sunt præcipua et cæteris præstantiora media perfectionis evangelicæ acquirendæ, sub quibus cætera ordinantur et aliquatenus comprehenduntur.

ARTICULUS II

FINIS ET MEDIA VITÆ RELIGIOSÆ

534. — *Finis proprius status religiosi est perfectio acquirenda* (1). — Status vitæ christianæ est multiplex : adæquate dividitur in statum vitæ communis, qui non ordinatur ad perfectionem, sed ad solam mandatorum observantiam, et in statum perfectionis. — Status perfectionis subdividitur in statum perfectionis *exercendæ*, id est, acquisitæ et communicandæ (Episcopatum), et in statum perfectionis *acquirendæ* vel *propriæ* (statum religiosum). — Controvertitur de modo quo status clericalis ordinatur ad perfectionem ; nemo tamen dubitat quin, pro diversis suis gradibus et officiis, plus minusve recedat a statu vitæ communis, et accedat ad statum perfectionis acquisitæ episcoporum. Spectato tantum ministerio altaris, omnibus sacerdotibus communi, asserit S. Thomas quod in eis « requiritur major sanctitas *interior*, quam requirit etiam religionis status (2). » Ut recte exponatur illa quæstio, sedulo considerari et discerni debent tum sublimitas munerum, tum difficultas bene conversandi inter mundi peri-

(1) Suarez, *de Religione.* — (2) S. Th., 2ª 2æ, q. 184, a. 8.

cula, tum austeritas externæ conversationis. Munera sacerdotalia erga Corpus Christi tum naturale tum mysticum, *ex se* manifeste præcellunt exercitiis status religiosi ; sed, ratione periculi deficiendi et labendi in via, *ipsi sacerdoti et pastori* minus secura et appetibilia. Unde licet e cura animarum ad religionem transfugere absque Episcopi licentia, maxime cum in religione cum severiori disciplina et efficacioribus salutis et perfectionis subsidiis conjunguntur munera spiritualia erga proximum.

Status perfectionis acquirendæ, etsi primario ad propriam profitentis perfectionem ordinetur, non excludit tamen opera misericordiæ erga proximum, eo quod ista opera augent caritatem, dum gloriam Dei, salutem animarum et levamen afflictorum promovent. Hinc plerique religiosi Ordines ex professo servant consilia misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis. — Igitur fini primario et essentiali superaddi possunt alii fines accidentales, qui non inveniuntur in singulis Ordinibus sive Religionibus, ideoque sunt ratio varietatis Ordinum.

535. — II. *Media vitæ religiosæ sunt consilia evangelica.* — Quocirca hæc notanda sunt :

1. Aliqua *consilia* sunt de essentia status perfectionis. Etenim, ad statum perfectionis, requiritur ut fidelis aliquid boni peragendum intendat, præter præcepta. Ille vero qui nulla consilia servaret, nullum aliud bonum perageret, præter observantiam præceptorum, et eo ipso versaretur in statu vitæ communis. Ergo requiritur aliquod consilium in statu perfectionis servari.

2. Communiter distinguitur status religionis completus seu *stricte* sumptus, a statu religioso incompleto seu *late* sumpto. — Ad constituendum statum religiosum *late sumptum*, sufficit observantia *cujusdam consilii*, firmata voto vel alio vinculo conscientiæ, v. g. juramento, sacra ordinatione, nomine dato piæ sodalitati, contractu, acceptatione muneris. Iste status incompletus perfectionis acquirendæ complectitur omnes qui per aliquod votum aut specialem vivendi modum Dei servitio consecrantur, sive seorsim, sive in communi, sive in perpetuum, sive etiam ad tempus.

2. Ad completum statum perfectionis acquirendæ, *requiruntur et sufficiunt tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ.* Etenim horum consiliorum praxis continua removet omnia perfectionis impedimenta, et insuper habet vim dirigendi omnes hominis actiones ad perfectionem. Ideo status religiosus *stricte sumptus* definitur : status tendentium ad perfectionem per hæc tria consilia voto perpetuo firmata. Variæ autem Regulæ sunt votorum, maxime voti obedientiæ, applicatio et aptatio ad finem specialem cujusque Religionis.

536. — III. *Tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ*, sunt essentialia statui religioso. — Prob. Status religiosus potest considerari tripliciter, nempe quatenus est exercitium perfectionis, vel portus et statio quædam quietans animam a sollicitudinibus sæcularibus, vel perfectum sacrificium seu holocaustum per quod aliquis totaliter se et sua offert Deo. Atqui status religiosus secundum hanc triplicem considerationem exigit tria consilia.

Prob. 1ª *pars minoris*. Ad exercitium quærendi perfectionem caritatis,

requiritur ut fidelis a se removeat illa per quæ possit impediri ne totaliter ejus affectus tendat in Deum. Atqui hujusmodi sunt tria : 1m ,cupiditas bonorum externorum, quæ dimittuntur per paupertatem ; 2m, concupiscentia sensibilium delectationum, quæ removentur præsertim per castitatem; 3m, inordinatio voluntatis, quæ per obedientiam excluditur. — Hæc tria impedimenta designavit S. Joannes his verbis : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (1 Jo. II, 16).

Prob. 2a *pars.* Sollicitudinis sæcularis inquietudo ingeritur homini circa tria : 1o circa dispositionem rerum externarum, quæ in radice per paupertatem aufertur ; 2o circa gubernationem uxoris et liberorum, quæ per consilium castitatis præcluditur ; 3o circa dispensationem propriarum actionum, quæ suppletur per obedientiam.

Prob. 3a *pars.* Holocaustum est, cum aliquis totaliter sua offert Deo. Atqui homo habet triplex bonum, nempe bona fortunæ, corpus et animum. Idcirco, per paupertatem offeruntur Deo bona fortunæ; per castitatem, corpus ; per obedientiam, ipse animus seu propria voluntas et libertas (1).

537. — VI. *Ad essentiam status completi perfectionis acquirendæ, requiritur ut tria consilia firmentur voto, quod nomine Dei ab aliquo homine acceptetur.* — Prob. Status exigit firmitatem ex causa permanente. Cum tria consilia sint de essentia status religiosi, requiritur stabilis eorum observantia. Causa vero inducens obligationem permanendi in consiliorum observatione, non potest esse nisi *promissio* Deo *facta* seu *votum*, quia talis obligatio nonnisi ex motivo religionis et sponte suscipitur. Ergo requiritur ut tria consilia firmentur promissione seu voto perpetuam obligationem producente. — Dicitur *voto*, non votis, quia tria consilia possunt in solo voto obedientiæ contineri, ut videre est in pluribus Institutis. Quod autem *acceptatio* sit necessaria, ex eo patet quod professio religiosa est *traditio* seu *donatio*, per quam homo se Deo penitus mancipat ; donatio autem non est perfecta et indissolubilis, nisi a donatario acceptetur. At vero Deus illam non acceptat immediate per se, sed mediante Ecclesia, per homines ad hoc legitime deputatos.

Præter tria vota essentialia, omnibus institutis religiosis communia, adesse possunt et sæpe adsunt alia vota accidentalia, quibusdam ordinibus particularia, v. g. circa curam infirmorum, redemptionem captivorum.

Summa bonorum status religiosi. — Si conferantur cum fine essentiali fines secundarii status religiosi et regulæ propriæ diversorum institutorum, facile colligitur hæc miranda bonorum summa : *Primo*, cuique salutis et perfectionis studioso status religiosus tutum præbet refugium contra propriam fragilitatem et et inconstantiam, mundi illecebras et deceptiones, atque dæmonis incursus, simul illi parans facilitatem et felicem necessitatem jugiter vacandi sive orationi sive sanctis operibus, sociorum exemplum et adjutorium, præpositorum pium regimen, abundantiam subsidiorum spiritualium, securitatem contra penuriam necessariorum ad vitam corporalem, in quibus consistit centuplum in hoc mundo promissum a Christo sequentibus se, omnibus dimissis, quo læti gaudent, dum certa via pro-

(1) S. Thomas, 2a 2æ, quæstio 186. — Zallinger, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31.

perant ad vitam æternam et copiosam mercedem in cœlo percipiendam. — *Secundo*, universis hominibus religiosi proponunt conspicua sanctioris vitæ exempla, atque suis sacris functionibus et precibus assiduis efficacissimam saluti proximi navant operam, præterquam plurimorum præcipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque misericordiæ operibus insudare, indefessis conatibus scientias sacras et profanas, artes liberales et mechanicas colere et amplificare, in tantum ut eis debeantur conservata ingenii humani præclara monumenta, ipsaque fertilitas terræ in multis regionibus. — Tanta bona non obscurant quidam abusus et paucorum monachorum degener lapsus ; nec ullo modo excusari potest nefanda malitia debacchantium in religiosos, eosque diabolico furore e suis sedibus exturbantium, vel congregari impedientium.

ARTICULUS III

VOTORUM SOLEMNITAS

Vota religiosorum esse *solemnia* vel *simplicia*, constat ex textibus Juris et unanimi sententia Doctorum, qui diversos effectus voto simplici et solemni tribuunt ; sed disputatur quo tempore inducta sit illa distinctio, quæ circa sæculum XI^m^ videtur ubique invaluisse. — Quare pauca de solemnitatis *naturâ* et *necessitate* dicemus.

538. — I. Ad NATURAM solemnitatis quod attinet, tres prodierunt sententiæ (1).

Prima sententia solemnitatem reposuit in aliquo ritu *benedictionis* : « Solemnitas voti, ait S. Thomas, in quadam spirituali benedictione et consecratione consistit, quæ fit per ministerium Ecclesiæ. » (2ª 2æ q. 88, a. 7 et 9) — Porro distinctio votorum non oritur ab aliqua benedictione, sed ab effectu morali quem producit votum solemne ; nam existunt Religiones in quibus emittuntur vota solemnia, quin ulla adhibeatur benedictio, atque olim usitata fuit professio tacita, manifeste quemlibet ritum excludens.

Altera sententia eam reponit in *traditione* a Superiore acceptata, qua vovens Deo et ordini religioso se donat. — Rejicitur ob plures rationes : 1° Si solemnitas consisteret in traditione, non posset esse votum simplex, quando intervenit traditio ; atqui traditio intervenit in votis scholasticorum Societatis Jesu, quæ certe sunt simplicia. — 2° Si solemnitas consisteret in traditione, esset juris naturalis sicut ipsa traditio ; atqui plures textus juris probant eam esse institutionis ecclesiasticæ. — 3° Moralis effectus voti solemnis non procedit a sola voluntate voventis, sicut traditio ; homo enim per se solum nequit se inhabilem reddere ad valide contrahendum sive matrimonium, sive pacta civilia.

Tertia sententia solemnitatem voti reponit in *dispositione Ecclesiæ* ita acceptantis illud, ut, seclusa dispensatione apostolica, inducat conjunctionem indissolubilem voventis cum Religione, hunc que inhabilem reddat ad actus accidentali votorum perfectioni repugnantes. — Hæc sententia unanimis evasit, eo quod nititur verbis Bonifacii VIII dicentis (2) : « Nos attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est in-

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 34, *de Voto*. — Bouix, *de Regularibus*, sect. 3ª. — (2) In 6°, lib. III, tit. 15. — Lib. III Decret., tit. 35, *De statu monachorum*, c. 6.

venta...; » et constitutione Gregor. XIII *Ascendente Domino*, in favorem Societatis Jesu, in qua assertio Bonifacii VIII iisdem verbis iteratur. — Insuper, S. Sedes aliquando tollit inhabilitates per vota solemnia inductas, vel votis simplicibus easdem annectit.

Hinc sequitur votum simplex a solemni *extrinsece* tantum differre (sicut missa lecta a solemni), ex lege Ecclesiæ et independenter a voluntate voventis; atque idem votum fieri posse e simplici solemne, vel e solemni simplex, si velit Ecclesia, cujus est mutare votorum denominationem et effectus solemnitatem consequentes.

Effectus solemnitatis pro singulis votis sunt sequentes: — Votum solemne *paupertatis*, ex jure communi, cui nuper derogatum est pro multis regularibus in Gallia, Belgio, etc., religiosum reddit prorsus incapacem temporalis dominii; dum votum simplex per se obstat solummodo ne, absque licentia legitima, licite acquirat aut possideat. Distinguitur enim quadruplex gradus, quo fideles possunt paupertatem evangelicam vovere : 1us excludit usum rerum superfluarum; 2us excludit usum liberum etiam necessariorum; 3us excludit dominium; 4us excludit capacitatem dominii. — Votum solemne *castitatis* dissolvit matrimonium præcedens regularium (non autem subdiaconorum), si nondum fuit consummatum, et impedit quominus subsequens possit valide iniri; dum votum simplex impedit tantum ne vovens licite nubat aut matrimonio antea contracto utatur. — Votum solemne *obedientiæ* efficit ut religiosus non possit promissionibus erga Deum vel homines se obligare firmiter, etiam in iis quæ non subsunt potestati superioris regularis, nisi dependenter a voluntate ejusdem superioris, qui valet hujusmodi promissiones irritare, sicut pater vota filiorum impuberum; dum votum simplex confert tantum superiori jus præcipiendi juxta Instituti regulas. Hinc patet vota solemnia majorem abnegationem continere, et exinde esse magis meritoria quam simplicia.

539. — Quoniam votum solemne paupertatis voventem omnis dominii incapacem reddit, per se requiritur ut ipsæ communitates possidendi facultatem habeant (1). Hanc autem cum leges civiles modernæ plerumque eis denegent, et simul religiosos sicut cæteros cives habeant ut dominii capaces (utrinque quasi ex professo repugnantes doctrinæ et juribus Ecclesiæ), quæritur utrum talis legum dispositio votorum solemnitatem impedire possit (2)?

Assertio 1a : *Lex civilis, religiosos ut tales non agnoscens, non impedit quominus sint religiosi, cum*, ea non obstante, *emittant triplex votum; — neque impedit quin in communi possidere valeant.*

Probatur secunda pars tantum; nam prima constat experientia quotidiana.

Prob. 1° *Ex natura religiosarum communitatum.* Lex civilis non potest

(1) Ipsi Ordines mendicantes, etsi careant reditibus, quorum eleemosynæ supplent locum, indigent tum dominibus ad habitandum, tum vestibus et multis aliis rebus mobilibus ad varios usus. Ideo necesse est eos in communi necessaria possidere; vel saltem libere frui eorum dominio utili, alii relicto dominio directo. Unde v. g., Sancta Sedes habet dominium directum seu nudam proprietatem conventuum Ordinis Capuccinorum, qui ne quidem in communi possidere potest. — (2) Bouix, *de Regularibus*, pars. III. sect. III.

impedire *jus* quod Ecclesia habet ut fideles consilia evangelica sequantur, ideoque, vitam regularem agentes, in communi possideant. — Neque impedit *factum* seu usum juris. Etenim, ubi religiosa communitas in foro civili non habetur tanquam persona moralis dominii capax, potest tamen dominium acquirere, siquidem *efficaciter* et *licite* disponit : efficaciter, nam deputatur unus religiosus ad contrahendum; licite, nam iste non acquirit proprio nomine, sed, nemine diffitente, contrahit tanquam minister communitatis.

Prob. 2. *Ex Instructione S. Cong. Propagandæ Fidei circa* modum quo *in Statibus Unitis Americæ* transmitti debent bona nomine religiosorum inscripta, et ab ipsis civiliter possessa (15 dec. 1840).

Prob. 3°. *Ex consectariis adversæ sententiæ*, ex qua sequeretur jure suo uti gubernia quæ statuunt nullas communitates religiosas aut ecclesiasticas esse habiles ad possidendum, et bona eorum invadunt.

Assertio 2ª : *Lex civilis non impedit incapacitatem dominii et voti solemnitatem.*

Prob. 1°. *Ex fine Ecclesiæ proprio.* Ecclesia in res temporales potestatem habet, quantum requirit finis ipsius. Atqui, ut Ecclesia valeat statum religiosum perficere, debet votis inducere incapacitatem dominii, qua summum gradum assequitur abnegatio evangelica.

Prob. 2°. *Ex natura causæ.* Ecclesiæ jurisdictioni subjacent causæ ecclesiasticæ, videlicet, quæ spirituales sunt vel spiritualibus annexæ. Atqui agitur de re connexa cum voto paupertatis. — Insuper, lex civilis nequit incapacitatem dominii impedire, sicut nequit solemnitatem voti constituere, quia solemnitas, cujus est effectus, ex voluntate Ecclesiæ oritur.

Prob. 3°. *Ex praxi Ecclesiæ*, quæ per plura sæcula tanquam religiosos dominii incapaces habuit professos diversorum Ordinum, quamvis potestas civilis vota solemnia non agnosceret, v. g. in regionibus infidelium et hæreticorum. Sic a tribus sæculis, ex responsis Sedis Apostolicæ, vota regularium in Anglia sunt solemnia.

Prob. 4° *Ex consectariis adversæ sententiæ.* Incapacitas dominii, ex voto solemni inducta, est universalis ; proinde non pendet a legibus diversorum populorum. Alioquin, 1° a potestate civili penderet ut nulla emitterentur in orbe vota solemnia. — 2° Irritæ essent in quolibet loco solemnes regularium professiones, eo quod v. g. lex Galliæ omnes religiosos, etiam extraneos, habet tanquam habiles ad dominium in Gallia acquirendum. — 3° Extincti essent ordines qui constare debent religiosis solemniter professis. — 4° Errarent S. Pontifex et Episcopi, quibus persuasum est existere veros religiosos cum votis solemnibus.

Prob. 5° Habilitas ad acquirendum in foro civili non obstat quominus observentur canones de paupertate; religiosus enim bona ipsi obvenientia ex testamento vel ex donatione acceptat proprio nomine, ut minister communitatis; fit civiliter possessor, sed reditus conventui cedunt.

Cæterum, ad penitus auferendas difficultates e lege civili petitas, potest S. Sedes, stante solemnitate voti, regulares facere habiles ad acquirendum et possidendum, eo quod solemnitas et illius effectus omnino pendent ab institutione Ecclesiæ, tanquam a sua causa efficiente. — Unde

regularibus omnibus Belgii concessum est (1 dec. 1820 et 31 jul. 1878) ut omnes actus dominii, nempe bona acquirere, retinere et administrare, et de eis disponere, valide ac licite exercere possint etiam asserendo cum jurejurando se ad normam juris civilis verum dominium acquirere aut abdicare, dummodo hoc faciant cum debita a superioribus suis dependentia. In Gallia, similis indulta est facultas multis regularibus, post eorum violentam e suis domibus expulsionem, anno 1880.

Corollaria. — Ex declarata quæstione juris sequitur vota regularium Galliæ, qui profitentur in ordine approbato cum votis solemnibus, esse solemnia, modo nulla in contrarium edita sit declaratio S. Sedis. Igitur solemnia vota emittunt in Gallia *Benedictini*, *Dominicani*, *Carmelitæ*, *Trappenses* seu *Cistercienses reformati*, *Carthusiani*, *Jesuitæ*, *Capuccini*, etc. Hoc etiam constat ex pluribus responsis Sedis Apostolicæ.

Nullos quidem hodie effectus civiles secum trahit voti solemnitas, juxta fere omnium gentium leges ; sed coram Deo et Ecclesia nullam vim habent statuta civilia sacris canonibus repugnantia.

Ex declarationibus S. Sedis, simplicia æstimantur, attentis peculiaribus circumstantiis, vota monialium Galliæ et Belgii, exceptis monialibus Sabaudiæ et Comitatus Nicæensis, ad quas Declarationes pontificiæ non sunt extensæ ; unde non gaudent exemptione, nec subjacent obligationibus regularium, nec S. Sedi reservatum est votum ingrediendi religionem in earum monasteriis.

Vota monialium Galliæ, quæ profitentur Institutum a S. Sede approbatum cum votis solemnibus, solemnitate carent : 1° non ex eo quod eorum conventus fuerint illegitime instaurati ; 2° neque ex dispositione legis civilis, quæ non impedit solemnia vota virorum ; 3° neque ex eo quod votum paupertatis emiserint cum intentione servandi capacitatem dominii. — Igitur vota monialium forent solemnia, nisi intervenisset decisio quæ legi derogat. S. Sedes vota solemnia monialibus in Gallia, Belgio, etc., videtur non concedere, ob graves difficultates inhærentes statui præsenti rerum, ex quibus mulieres non ita facile se expediunt, maxime ob strictissimas conditiones clausuræ papalis. Attamen participant indulgentias, aliasque spirituales gratias concessas monialibus solemniter professis sui ordinis, earumque domus rite nuncupantur monasteria.

540. — II. Ad NECESSITATEM solemnitatis quod attinet, ex dictis hæc tenenda est

Assertio : *Votorum solemnitas non est de essentia status religiosi* (1).

Prob. 1. *Ex natura status religiosi.* Iste status requirit, jure divino, media perfectionis acquirendæ, atque stabilitatem ; jure autem canonico, vitam communem sub regula a Romano Pontifice approbata. Atqui hæc habentur independenter a solemnitate votorum. — 1° Adsunt media quibus removentur impedimenta perfectionis, videlicet vota cum regulis. Majus quidem incitamentum ad pietatem præstatur solemnitate votorum, quæ pleniorem propriæ voluntatis abdicationem efficit ; sed vota simplicia habent etiam vim sufficientem avertendi animum a cupiditatibus, a

(1) S. Alph., *Theol. mor.*, lib. IV, n. 1.

rerum temporalium sollicitudine, a propriæ voluntatis inordinatione. Majus et minus non variant species, ait Suarez. — 2° Idem dicendum de stabilitate. Major est stabilitas in religionibus solemnibus, quia mutua et strictissima est obligatio religiosi et religionis : dum enim vovens se religioni tradit in perpetuum, ipsa religio acceptans traditionem suscipit obligationem illum retinendi. Non semper ita stricte se obligant ad invicem ordo vel congregatio et religiosus, in emissione votorum simplicium; attamen stabilitas est sufficiens, cum professus non possit propria sponte recedere, nec ordo eum, nisi gravi de causa, dimittere.

Prob. 2°. *Ex bullis* Gregorii XIII, quibus statuitur, per derogationem juri communi et privilegium, Jesuitas scholasticos, quamvis emittant vota simplicia, vere religiosos esse. — Sic finita est apostolica auctoritate antea existens controversia (1).

Cæterum, vota simplicia coram Deo non minus quam solemnia obligant, ut declaravit Celestinus III.

541. — Ratione igitur votorum variæ distinguuntur Institutorum species, videlicet : *religiones* seu *ordines religiosi* proprie dicti, *congregationes religiosæ*, et *congregationes* improprie dictæ (2).

1. *Per religiones proprie dictas*, intelliguntur instituta quæ habent status religiosi essentiam cum votis solemnibus; earum alumni, ex jure communi, soli sunt vere regulares in sensu canonico, solique subjacent juri regularium.

2. *Per congregationes religiosas*, intelliguntur instituta quæ essentiam status religiosi habent, cum votis simplicibus quidem, sed perpetuis, v. g. *Congregatio SS. Redemptoris*. Attamen *Congregatio Missionis*, quamvis habeat essentiam status religiosi et vota perpetua, rogante S. Vincentio a Paulo, declarata est ab Alexandro VII pertinere ad corpus cleri sæcularis.

3. *Per congregationes improprie religiosas*, intelliguntur instituta quæ non habent essentiam status religiosi, sed formam illius imitantur, et aliquid ex ipso retinent, v. g. solum castitatis votum, tria aut plura vota temporaria, vel similem modum vivendi sine votis, v. g. Societas *Puellarum caritatis*, Congregatio Oratorii, innumeraque instituta tum virorum tum mulierum, quæ præsertim sæculo XIX° in Gallia et alibi mirabiliter orta sunt et florescunt.

CAPUT II

DE VITÆ REGULARIS EVOLUTIONE HISTORICA

Exponendæ sunt : — 1° origo et institutio status religiosi in genere ; — 2° ratio varietatis Ordinum ; — 3° diversæ eorum periodi.

ARTICULUS I

ORIGO ET INSTITUTIO STATUS RELIGIOSI IN GENERE

542. — Quæritur *primo* : utrum status religiosus sit divini, an humani juris? — Qua de re sit sequens

(1) Gregorii XIII const. *Quanto fructuosius*. — (2) Bouix, *de Regularibus*, pars II, cap. I. — Inst. mor., Alph., n. 2134

Assertio. — *Status religiosus fuit a Christo institutus quoad substantiam, non quoad accidentales formas* (1).

Explicatur. — Formæ accidentales status religiosi non debent cum ipso statu confundi, seu status religiosus non idem est ac ordines religiosi ; unde verus institutor illius non est ille qui formam accidentalem induxit, sed ille qui substantiæ ipsius auctor fuit. Proinde Christus potuit statum religiosum instituere quoad substantiam, relinquendo discipulis suis sub auctoritate Ecclesiæ facultatem eligendi varios modos quibus suscipiatur vita religiosa.

Prob. 1° *Textibus Evangelii*, quibus Christus praxim stabilem et vota consiliorum suorum commendat, v. g. : *si vis perfectus esse, vende quæ habes et da pauperibus, et veni, sequere me.* (Matth., XIX, 21.) Atqui substantia status religiosi consistit in consiliis evangelicis voto firmatis.

2° *Auctoritate Patrum*, quorum alii prædicant Christum nos ad statum religiosum consiliis vocasse ; alii hunc statum appellant *philosophiam a Christo institutam et introductam ;* alii tandem extollunt vitam religiosam ut imitationem vitæ quam Christus duxit cum Apostolis.

3° *Ex nota sanctitatis*, Ecclesiæ catholicæ propria. Sanctitas in Ecclesia *manifestari* debet exercitio omnium virtutum in summo gradu, ita ut consilia evangelica complectatur. Atqui publica professio consiliorum est ipsemet status religiosus. Ergo status religiosus stricte connectitur cum sanctitate Ecclesiæ Christi, et exinde merito appellatur pars integrans Ecclesiæ. Quinimo, historia testatur ad ipsum pertinere plerosque confessores et virgines in sanctorum canonem relatos. — « *Ubicumque est Ecclesiæ catholicæ libertas constituta*, ait Leo XIII, in brevi *Perlectæ*, 22 oct. 1880, *ibi religiosi ordines sponte coalescunt. Ipsi enim tanquam ex stirpe quadam existunt et quasi nascuntur ex Ecclesia, quæ ipsa eos gignit et materna sollicitudine alit ad omne decus virtutis et humanitatis.* »

Igitur status religiosus dici potest juris divini, non quidem præcipientis, sed consulentis. Hæc est doctrina omnium catholicorum recte sentientium, ait Suarez. — Opinio eorum qui dicunt statum religiosum esse tantum institutionis ecclesiasticæ, est periculosa et temeraria : periculosa, nam favet sacrilegis novatoribus qui statum religiosum abrogare moliuntur ; temeraria, nam Pius VI, in Brevi dogmatico *Quod aliquantum* (1791) asserit : *Regularium abolitio, a Conventu nationali decreta, lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum ; lædit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam apostolicæ doctrinæ consentaneam ; lædit ipsos insignes Fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas instituerunt societates.*

In institutione Ordinum, *aliquam* partem concedimus privatis et sanctis viris religiosas familias congregantibus et constituentibus ; *majorem* Ecclesiæ, quæ illas recognoscit et approbat ; *maximam* Christo, religiosi status conditori.

Hinc est quod Ecclesia jure proprio leges condit circa statum religiosum, sicut circa sacros ordines et matrimonium, — pariter statuens impedi-

(1) Suarez, *de Religione*, lib. III. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31.

menta sive mere prohibentia sive irritantia professionem, v. g. ætatis, probationis, conditionis, — pariter judicans de validitate professionis et de quibuscumque causis regularium, — dissolvens professionem singulorum et integrum ordinem religiosum, sicut dissolvit matrimonium infidelium conversorum consummatum et matrimonium ratum christianorum, — solemnitatem votorum cum suis effectibus constituens, sicut solemnitates sponsalium, matrimonii et contractuum circa res ecclesiasticas constituit aut constituere potest cum effectibus determinatis.

543. — Altera quæstio est : utrum prioribus Ecclesiæ sæculis exstiterint veri religiosi? — Huic quæstioni ut rite respondeatur, sequentia prænotanda sunt :

1° Distingui debent religiosi status professio expressa et tacita. *Expressa* dicitur, quando religionem profitens verbis enuntiat formulam votorum. *Tacita* vocatur, quando profitens suam voluntatem verbis non exprimit, aliquo tamen externo et consueto signo sufficienter patefacit, v. g. professorum habitum assumendo. — Quamdiu non est prohibita, professio tacita valet et sufficit. Igitur ex eo quod prioribus Ecclesiæ sæculis non reperiatur usus expressæ professionis, minime sequitur eo tempore religiosos defuisse (Cf. n. 566).

2° *Vita communis* ad statum religiosum pertinet, non ex natura illius status, nam vita solitaria potest esse status perfectionis, sed ex legibus Ecclesiæ, quæ jamdudum non solet vitam solitariam approbare. Igitur ex eo quod prioribus Ecclesiæ sæculis non reperiatur vita communis, asserendum non est eo tempore religiosos defuisse.

3° Negandum non est prioribus sæculis exstitisse religiosos, ex eo quod tunc non exstiterint cœnobitæ neque anachoretæ; nam potuerunt religiosi degere in urbibus atque in propriis ædibus.

4° Religiosos prioribus temporibus exstitisse constabit, si probetur tunc exstitisse homines qui triplex consilium evangelicum vovendo se Deo dicaverint. Porro

544. *Variis argumentis evincitur tribus prioribus sæculis, et ab ipsis Apostolorum temporibus, religiosos exstitisse* (1).

1° Falsum est scriptores ecclesiasticos esse unanimes in neganda status religiosi existentia ante IV^m^ sæculum. Multi sententiam contrariam tenent, v. g. Suarez, S. Thomas, S. Bernardus.

2° Plerique eorum qui credunt Therapeutas ægyptiacos temporis apostolici fuisse christianos, etiam monachos fuisse credunt.

3° Vere religiosi fuerunt, tempore Apostolorum, multi fideles Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Ea erat persuasio Patrum IV^i^ sæculi, v. g. S. Augustini, S. Chrysostomi, S. Hieronymi.

4° Religiosi fuerunt, tribus prioribus sæculis, illi fideles qui vocati sunt *ascetæ*, scilicet, philosophi christiani, qui per praxim trium consiliorum se totos Dei servitio mancipabant et perfectionem *exercebant*.

5° Ante IV^m^ sæculum, et ab ipsis Apostolorum temporibus, vere moniales

(1) Bouix, *de Regularibus*, sect. 4. — Mabillon, *Acta ordinis S. Benedicti.* — Martène, *Commentaria in regulam S. Benedicti.*

exstitisse constat ex Actis Martyrum ; laudantur enim virgines Deo consecratæ perpetuo castitatis voto, quæ bona sua vel abdicantes, vel piis operibus impendentes, speciali obedientiæ vinculo suberant auctoritati Episcoporum.

6° Ex ipsa Ecclesiæ natura, concluditur temporibus apostolicis religiosos exstitisse. Quippe Christus voluit Ecclesiam suam sanctitatis nota perpetuo fulgere. Atqui nota sanctitatis complectitur non solum praxim virtutum quæ ad salutem consequendam sufficiat, sed etiam consiliorum observantiam et publicam professionem, seu statum religiosum. Ergo in Ecclesia, quovis tempore, exstiterunt et existent religiosi.

In errorem inducunt : — 1° illi auctores qui vitæ monasticæ originem repetunt a sanctis Paulo, Antonio et Hilarione ; isti enim sancti, ex verbis S. Athanasii et S. Hieronymi, *primi eremum incoluerunt*, atque novam formam induxerunt vitæ perfectæ, non autem instituerunt vitam religiosam ; 2° quidam moderni falso asserentes statum religiosum non esse in Ecclesia indefectibilem ; nam pertinet ad integritatem Ecclesiæ (1).

ARTICULUS II

RATIO VARIETATIS ORDINUM (2)

545. — I. *Vindicatur illius æquitas.* — Ista varietas fuit conveniens ad decorem Ecclesiæ, utilitatem fidelium, majusque obsequium Dei et proximi.

1. *Ad decorem Ecclesiæ*, quæ incedit tanquam regina *circumdata varietate* Ordinum.

2. *Ad utilitatem fidelium ;* attentis enim diversis hominum indole et complexione, ad perfectionem acquirendam non convenit una omnibus religio. Alii solitudine delectantur, alii communibus exercitiis ; his magis placet vita activa, illis contemplativa ; alii sunt aptiores ad labores corporis, alii ad studia et spiritualia exercitia. Ut omnium saluti et bono communi consulatur, juvat Ordinum varietas, cuique perfectionis studioso opportunum stadium et refugium aperiens.

3° *Ad majus Dei et proximi obsequium ;* nam omnibus religionis, caritatis et cæterarum virtutum eximiis operibus, quibus laudatur et superexaltatur in Ecclesia sanctum Dei nomen, non sufficit una religio. Unde ait Gregorius XIII : *Pro temporum varietate, providit Deus varias religiones, prout occasiones vel necessitates temporum postulabant.* (Const. *Ascendente Domino.*)

546. — II. *Principia distinctionis Ordinum.* — Omnes quidem Ordines conveniunt in fine essentiali et in mediis principalibus, scilicet, in tribus religionis votis, quibus ad perfectionem caritatis tendunt. — Duo vero sunt principia varietatis Ordinum, scilicet, finis proprius, qui dicitur etiam proximus, secundarius et minus principalis ; et diversitas Regulæ et cons-

(1) Cf. Balmès, *Le protestantisme comparé avec le catholicisme*, tom. II, ch. 38-43. — Cauchy, *Consid. sur les ordres religieux.* — Lenormant, *Des associations religieuses dans le catholicisme.* — Segneri, *La cause des religieux devant le tribunal des laïques.* — (2) Zallinger, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31. — Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. I, tit. 9.

titutionum, in quibus continentur et statuuntur media ad finem assequendum aptissima.

1° Ratione finis proprii, Ordines generatim distinguuntur in tres classes, quatenus vitam *contemplativam*, vel *activam*, vel *mixtam* profitentur.

Vita contemplativa exercetur principaliter in oratione et contemplatione rerum divinarum, ad procurandam personalem religiosorum perfectionem; vita activa principaliter exercetur in operibus misericordiæ erga proximum, sive spiritualibus, sive corporalibus; vita mixta contemplativam et activam sociat.

Juxta S. Thomam (1), excellentia unius ordinis supra alium principaliter attenditur secundum finem proprium. Unde, inter religiones, *supremum* gradum tenent mixtæ, quæ sic contemplationi vacant ut ex plenitudine contemplationis contemplata fidelibus communicent per doctrinam et alia officia spiritualia. Sicut enim magis est illuminare quam lucere solum, sic magis est contemplata aliis ex caritate tradere, quam contemplari tantum. Hoc fuit officium Christi et Apostolorum. *Secundum* vero gradum tenent religiones quæ ad solam contemplationem ordinantur. Tandem *tertium* obtinent, quæ principaliter vacant operibus misericordiæ corporalis, eo quod vita contemplativa præeminet activæ, juxta illud Christi: *Maria optimam partem elegit.*

Attamen, si quæratur quænam religio sit perfectior, quatenus ad eam e laxiori liceat transire, major perfectio a canonistis, in hoc recedentibus a sententia theologorum, non repetitur e finis præcellentia aut ex aptitudine adæquatiori mediorum ad finem, sed e duriori et strictiori, et consequenter fortiori modo vivendi; et palma tribuitur religioni Carthusianæ. Unde, salva speciali prohibitione, professus cujuslibet ordinis et congregationis licite potest in hac religione exsequi propositum melioris vitæ. (Cf. n. 582.)

2° Quatuor sunt regulæ principaliores: S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci. — Unam e quatuor amplexati sunt plerique fundatores Ordinum, additis statutis seu constitutionibus peculiaribus, quibus suam quisque familiam ad finem proprium adduceret. — Suas habent peculiares Regulas seu Constitutiones, pariter a S. Sede approbatas, tum quidam ordines Regulares, v. g. Carthusiani, Carmelitæ, Fratres Minimi S. Francisci de Paula, Clerici scholarum piarum, Patres Societatis Jesu; tum quædam congregationes vota simplicia emittentes, v. g. Cong. Missionis, a S. Vincentio a Paulo instituta, Cong. SS. Redemptoris, cujus auctor fuit S. Alphonsus de Ligorio.

547. — III. *Divisiones generales Ordinum.* — Religiones sunt: 1° Solitariæ seu anachoreticæ, quæ non supersunt; et Cœnobitæ. — 2° Contemplativæ, activæ et mixtæ. — 3° Militares, constantes militibus se Deo dicantibus ad defensionem religionis christianæ; et non militares. — 4° Monachales, ad vitam contemplativam ordinatæ; et clericales, ad ministeria sacerdotalia deputatæ. — 5° Mendicantes, saltem ex primæva sua institutione nihil possidentes etiam in communi, et ex eleemosynis

(1) S. Thomas, 2ª 2æ, q. 188, a. 6.

vel e manuum labore viventes ; et non mendicantes. — 6° Ordines virorum et feminarum.

1. *Ordines contemplativi :* Religio S. Basilii ; — Religio S. Benedicti, ad quam pertinent ordo Cluniacensis, ordo Camaldulensis, ordo Cœlestinorum, ordo Olivetanorum, ordo Cisterciensis, quem illustravit S. Bernardus, et ex quo orti sunt Trappenses, etc. ; — Religio Carthusiana, a S. Brunone instituta.

2. *Ordines vitæ mixtæ dediti :* 1° Canonici regulares, quorum fundatores habentur S. Eusebius Vercellensis et S. Augustinus. Inter eos recensentur regulares ordinis Præmonstratensium, a S. Norberto instituti. — 2° Ordines mendicantes : Fratres prædicatores seu Dominicani ; Fratres minores seu Franciscani, qui sub regula S. Francisci militant in ordine Fratrum minorum (ab anno 1897 coalescente ex quatuor familiis Observantium, Reformatorum, Alcantarensium et Recollectorum), in ordine Capuccinorum et in ordine Conventualium ; Carmelitæ et Augustiniani. His quatuor ordinibus accensentur Servitæ seu Servi B. Mariæ, et Minimi, a Francisco de Paula instituti. Nunc soli Fratres minores et Capuccini stricto sensu sunt mendicantes, cæteris a Conc. Tridentino concessa facultate possidendi in communi. — 3° Clerici regulares : Theatini, Barnabitæ, Jesuitæ, Somaschi, Clerici minores, Ministri infirmorum et Clerici Matris Dei Scholarum Piarum.

3. *Ordines qui vitam activam sectantur :* 1° Ordines militares : Equites S. Joannis Hierosolymitani, postea dicti Rhodienses et Melitenses, adhuc existentes ; Templarii, in Concilio Viennensi aboliti (1311) ; Equites Teutonici. — 2° Religiones de redemptione captivorum : Trinitarii ; Ordo de Mercede Beatæ Mariæ. — 3° Ordines hospitales, v. g. Ordo S. Joannis de Deo, et cæteri ad curam infirmorum, vel ad susceptionem peregrinorum instituti.

4. In pluribus religionibus, signanter S. Francisci et S. Dominici, *primo ordini* monachorum, et *secundo* monialium, accedit *tertius ordo*, utrumque sexum admittens. Inter *tertiarios* seu professos tertii ordinis, alii vivunt in communi, sub regula et cum habitu regulari, et constituunt tertium ordinem regularem ; alii, sive nupti sive cœlibes, in sæculo manent, in qualibet conditione, et constituunt tertium ordinem sæcularem. Notissimus est tertius ordo sæcularis S. Francisci, ab ipso *de pœnitentia* nuncupatus, cujus promovendi causa Leo XIII edidit const. *Misericors* (anno 1883). Huic, ex prohibitione ejusdem Pontificis (1887), cooptari nequeunt alumni cujusvis instituti religiosi, ut strictius nuncupetur et sit *Tertius ordo sæcularis.* — Tertio ordini S. Dominici nomen est *Militia Jesu Christi.*

Nemo potest nisi uni tertio ordini adscribi ; et sæculares qui aliquod institutum religiosum ingrediuntur cessant ad tertium ordinem pertinere, non tamen ante professionem.

5. Religiosi ejusdem ordinis communiter distinguuntur in *clericos* et *conversos* seu *laicos*, prout ad sacros ordines promoventur et ad spiritualia ministeria deputantur, vel ad sola temporalia ministeria applicantur, et loco divini officii certas recitant preces. — Cum religiosis conversis confundi non debent *Oblati*, eorum habitum gestantes et in monasterio conversantes ; hi enim, sive impuberes a parentibus religioni præsentati, sive puberes sponte se tradentes, non sunt inter religiosos novitiatu aut professione cooptati, sed ut convictores admissi sunt, sive donec vitæ genus eligant,

sive etiam in perpetuum, et plura religiosorum privilegia participant. Imo oblati sæculares S. Benedicti æquiparantur tertiariis aliorum ordinum (*S. C. Indulg.*, 15 jan. 1895).

ARTICULUS III

DIVERSÆ VITÆ RELIGIOSÆ PERIODI

Ad quinque reduci possunt, quæ inscribuntur : — I. Vita regularis ante sæculum quartum, — II. Periodus vitæ monasticæ, — III. Periodus benedictina, — IV. Periodus mendicantium, — V. Periodus clericorum regularium et Congregationum vota simplicia profitentium.

§ 1. — *Vita regularis ante sæculum* IV^m (1).

548. — Prioribus sæculis, præter Apostolos et multos eorum discipulos, inveniuntur ascetæ et virgines ab Episcopis Deo dicatæ. In documentis superstitibus pauca tamen notari hujusmodi instituta, ratio est quod Ecclesia vivebat inter persecutiones. Porro Deus, priusquam vocaret homines ad solitudinem, servos suos voluit tanquam luminaria prælucere in mundo, ut exemplo et martyrio propagarent religionem christianam. Cessante vero persecutione, Deus suscitavit studium plurimorum, ut per abdicationem mundi supplerent exempla martyrum.

§ 2. — *Periodus vitæ monasticæ, incipiens a* III° *sæculo* (2).

549. — I. Multi homines, ut declinarent ab impetu persecutorum, se receperunt in solitudines, ubi liberius contemplationi rerum divinarum operam dederunt. Porro vitæ eremiticæ *auctor* fuit S. Paulus, et *illustrator* S. Antonius.

Nondum autem coaluerant societates hominum qui suam vitam certæ regulæ conformarent, et nullum conditum erat *cœnobium*. S. Pachomius vitam communem instituit, et in Thebaide monasteria ædificari procuravit. — Unde monachi divisi sunt in duas classes; alii erant *eremitæ* seu *anachoretæ*, id est, solitarii, alii vero *cœnobitæ*, id est, in communi viventes.

S. Pachomii exemplum aliæ regiones in Oriente imitatæ sunt, ac denique S. Basilius monasticum institutum perfecit, deditque regulas, quibus omnes fere monachi orientales deinceps usi sunt.

In Occidentem instituta monachorum detulit S. Athanasius, qui Latinis proposuit exemplum S. Antonii. Deinceps plura monasteria erecta fuerunt a SS. Ambrosio, Honorato, Martino, etc.

II. *Animadversiones*. — 1. Præcipua monastici instituti ratio erat, ut monachi animum ad divina intenderent, procul a mundi tumultu viventes præpositis obedirent, sibi manuum labore victum quærerent, et corpus castigarent. Habebant quidem singula monasteria propriam ac peculiarem regulam; sed quædam scriptis legibus utebantur, dum cæteris regulæ

(1) Mabillon, præfatio in *Annales Benedictinorum*. — Montalembert, *les Moines d'Occident*. — Phillips, *Manuale juris ecclesiastici*, § 212. — (2) S. Hieronymus, *Ep. ad. Eustochium*. — Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. III. — Devoti, *Institutiones canonicæ*, lib. I, tit 19.

loco erat vivendi ratio probata majorum traditione, vel abbatis voluntas. Attamen, quoniam eorum unum erat propositum, scilicet, ut monachi procul a sollicitudine rerum humanarum divinis vacarent, rectorum arbitrio nova regula interdum recipiebatur.

2. Monachi primum ordinibus non initiabantur ex instituto ; vix eorum aliquis ab Episcopo inter clericos referebatur, præsertim ut in sacello monasterii divina perageret. Sed, labentibus sæculis, propter utilitatem Ecclesiæ, receptum fuit ut plurimi monachi sacris ordinibus augerentur.

§ 3. — *Periodus benedictina, incipiens a* VI° *sæculo* (1).

550 — Sexto sæculo, S. Benedictus primum Sublaci, deinde in Monte Cassino monasteria erexit. Certam constituit regulam, quam postea cuncti fere occidentales monachi secuti sunt, sive qui ab antiquioribus Patribus institutiones acceperant, sive qui nova cœnobia construere volebant.

I. Interdum, in uno eodemque cœnobio plures vigebant regulæ, additis aut demptis quæ pro conditione temporum ac locorum opportuna videbantur. Attamen, in tanta regularum diversitate, magna erat inter omnes monachos animorum consensio, unaque societas. Quare facilis erat transitus ex uno in aliud monasterium. Verum S. Benedictus monachos suos in perpetuum voluit obstrictos regulæ quam semel essent amplexi ; et sic rectoribus et monachis adempta fuit libertas mutandi regulam et monasterium. Cœpit etiam cum Regula determinare novitiatum, professionem et habitum. Unde laudatur ut *Patriarcha monachorum occidentalium.*

II. Monasteria prius in unum corpus non coalescebant ; non erant alia aliis subordinata, nec ab uno generali Præfecto gubernabantur : sed, ab invicem separata, diversos habuere rectores. Ubi vero ad remissionem lapsa fuit regularis observantia, eam S. Benedictus Anianensis restauravit, et primus multis cœnobiis præfuit. Postmodum, reformationis causa, institutæ sunt aliæ similes congregationes, quarum abbates plurima monasteria principi monasterio subjecerunt, v. g. Congregatio Cluniacensis ; et novorum Ordinum institutores deinceps eamdem elegerunt gubernationis formam.

Exinde ordinum varietas incœpit, et regimen regulare imitatur gubernationem Ecclesiæ universalis. Sicut enim diœceses ab Episcopis reguntur, simulque supremo Pastori subsunt ; ita in societate monastica singulis monasteriis præficiuntur abbates, universisque præest abbas generalis (2).

§ 4. — *Periodus Mendicantium, incipiens a* XII° *sæculo* (3).

551. — Ad hanc periodum referuntur Canonici regulares, Ordines mili-

(1) Holstenius, *Codex regularum monasticarum.* — Mabillon, *Annales ordinis S. Benedicti*, præfatio. — Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. III, cap. XXIV et XXV. — (2) Anno 1893, Leo XIII omnes congregationes Benedictinorum nigrorum confœderavit sub abbate primate collegii S. Anselmi in Urbe ; qui jam anno 1892 decreverat tres obedientias Cistercensium Trappistarum unum Ordinem constituere sub abbate generali. Item 17 sept 1898 prodiit decretum unionis omnium monachorum Præmonstratensium. — (3) Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. III, cap. XX. — *Decretalium*, lib. III, tit. 36. — Wadding, *Annales Minorum.* — Mamachius, *Annales Ordinis Prædicatorum.*

tares, Mendicantes, vitam activam contemplationi consociantes, et Ordines redemptionis captivorum.

I. Canonici regulares huic ætati adscribuntur quoad propagationem et confirmationem, non vero quoad originem.

II. Ordines militares, nempe Equites Hospitales S. Joannis Jerosolymitani, Templarii et Fratres Teutonici, post recuperationem Terræ Sanctæ instituti sunt, non propter aliquid terrenum, sed in obsequium Dei et exercitium caritatis, scilicet, ut christianos ab incursu Saracenorum tuerentur. — In Hispania ad debellandos Saracenos pariter instituti sunt quidam ordines militares, nempe Equitum de Calatrava, de Alcantara et de Compostella.

III. Ordinibus mendicantibus dux fuit, studio paupertatis, S. Franciscus, Fratrum Minorum pater, cujus regula ab Innocentio III fuit approbata (1209). Hunc paulo post imitati sunt Dominicani, qui ex Canonicis regularibus procedunt, Carmelitæ, eremitæ S. Augustini, etc.

IV. Ordinum redemptionis christianorum a Saracenis Africanis captorum auctores fuerunt in Gallia S. Joannes de Matha et S. Felix de Valois, in Hispania vero S. Petrus Nolascus, ineunte XIII° sæculo.

§ 5. — *Periodus Clericorum Regularium et Congregationum vota simplicia profitentium, incipiens a* XVI° *sæculo* (1).

552. — I. Novi Ordines, nempe Theatini, Barnabitæ, Jesuitæ, etc., et novæ Congregationes, nempe Passionistæ, Redemptoristæ, etc., ex una parte imitantur vitam clericalem Canonicorum regularium, ex altera per universam Ecclesiam diffunduntur, ad instar Mendicantium.

II. Ad occurrendum scandalis quæ in ordinibus languescentibus irrepserant, attenuatus est rigor vitæ regularis ; pariter, ad abusus tollendos, Concilium Tridentinum exemptiones temperavit.

III. Obedientia Jesuitarum opponitur rebellioni et superbiæ illorum qui Ecclesiæ insectantur.

IV. Opera caritatis, quibus instant instituta S. Vincentii a Paulo, medentur egoismo nostri temporis. — Antequam ad ipso Puellæ Caritatis in ancillas pauperum infirmorum constitutæ fuissent, instituta religiosa mulierum vitam contemplativam fere exclusive duxerant. Nunc vero, ut multiformis Ecclesiæ sanctitas innotescat, pleræque Congregationes recentes mulierum operibus misericordiæ vacant, ubicumque diffunditur fides.

CAPUT III

DE LEGIBUS QUIBUS REGULARES SUBJICIUNTUR

Hæ leges spectant 1° ad approbationem Ecclesiæ; — 2° ad normam ingrediendi statum religiosum ; — 3° ad obligationes regularium ; — 4° ad eorum jura ; — 5° ad eorum regimen.

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, *de Regul.* — Pauli III const. *Regimini universalis.* — Phillips, *Manuale juris eccl.*, § 314.

ARTICULUS I

DE APPROBATIONE ECCLESIÆ (1)

553. — I. Controvertitur quatenus ad statum religiosum pertineat Ecclesiæ approbatio, quam absolute requirit lex lata tempore Innocentii III. — Sensus quæstionis est : utrum approbatio requiratur jure divino, vel solo jure ecclesiastico, ita ut olim status religiosus fuerit vivendi modus cæteris conditionibus gaudens, sed ab Ecclesia non approbatus neque prohibitus. — Bellarminus ita solvit dubium : duo in omni religione inveniuntur, nempe, essentia religionis et certus modus vivendi. Religionis essentia, quæ in tribus votis sita est, non indiget approbatione, cum in Evangelio fundamentum habeat. Modus autem varius quo tria vota suscipi possunt, seu modus publicus vivendi, confirmatione indigere potest, et nunc reipsa indiget, vi legis eccletiasticæ.

554. — II. Approbatio Ordinum duo judicia includit, videlicet : — 1° Judicium *speculativum*, quo decernitur modum vivendi a nova religione inductum esse sanctum, sine errore vel superstitione, tam in fine quam in mediis perfectionem sectandi, ideoque esse aptum ut in religiosum statum erigatur et consecretur; — 2e Judicium *practicum*, quo talis vivendi modus erigitur in religionem, atque Christiani qui huic nomen dant in communitatem ecclesiasticam coadunantur, concessa ipsis potestate se regendi et socios admittendi, atque vere sunt et dicuntur personæ religiosæ.

Ecclesia per S. Pontificem est infallibilis in judicio speculativo. Ratio est, quia S. Pontifex in his quæ ad mores pertinent errare nequit, cum gravi detrimento Ecclesiæ. Atqui talis esset error in approbatione Ordinum ; nam ordo religiosus approbatur pro universa Ecclesia, et omnibus fidelibus proponitur ut via secura salutis et perfectionis.

Quoad judicium practicum, quo pronuntiatur talem ordinem esse tali tempore utilem Ecclesiæ, non constat S. Pontificem esse infallibilem ; speciali tamen divina assistentia potitur, et habet pro se præsumptionem prudentiæ, cui nullus privatus sine temeritate suam anteponere potest.

555. — III. *Lex Ecclesiæ.* — Concilium Lateranense, ab Innocentio III celebratum (1215), statuit : *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat ; sed quicumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis.* — Concilium Lugdunense II, a Gregorio X habitum (1274), prohibet *ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat.., et ordines post Conc. Lateran. IV adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicit et revocat.*

Ex his canonibus, quorum finis est præcavere ne fideles regulis nocivis decipiantur, aut numerus regularum nimium augeatur, non licet novum

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31.

Ordinem constituere, sine auctoritate S. Sedis. — Inde duo maximi momenti sequuntur : 1° approbatio expressa est necessaria, ut institutum erigatur in ordinem regularem sive religionem; 2° approbatio est causa major S. Sedi reservata, nec sicut antea ab Episcopis dari potest.

Ista lex est simul *prohibens* et *irritans*. Etenim 1° Concilium Lugdunense improbat ordines qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt. 2° Institutum prohibitum non esset status perfectionis, sed rebellionis, neque in eo vota acceptarentur nomine Dei et Ecclesiæ. Igitur irrita esset professio facta in hujusmodi Ordinibus.

Insuper S. Pius V prohibuit congregationes votorum simplicium.

Consuetudine tamen inductum est, consentientibus SS. Pontificibus, ut novæ Congregationes religiosæ, vota solemnia non emittentes, cum sola licentia Episcoporum inchoarentur. Quæ, si Ecclesiæ utiles et proficuæ comprobentur, primo laudantur, et consequenter canonicam approbationem quæ ubique valeat a S. Sede obtinere possunt, quin exinde fiant ordines regulares, nisi explicite id in approbatione asseratur (1).

Quod ad domos piarum mulierum attinet, nomine *monasterii* cœnobiis monialium vota solemnia habentium reservato, mos invaluit in Curia romana appellandi *conservatoria* domicilia feminarum vota simplicia emittentium, vel simul sine votis Deo famulantium.

556. — IV. *Norma erigendi novos conventus.* — 1° Non sufficit Ordinem religiosum rite approbatum fuisse a S. Sede, ut illius sodalibus liceat ubicumque sui Ordinis domos erigere, transferre vel immutare. Indigere præterea viros regulares speciali licentia S. Pontificis, etiam ad reassumendam domum ante sponte relictam, sive in regionibus christianis, sive in regionibus missionum, constat ex constit. Urbani VIII, *Rom. Pontifex*, et ex praxi tribunalium romanorum jampridem vigente, teste Benedicto XIV, quam Leo XIII authentice confirmavit his verbis : « Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove cœnobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicæ, non licet (2). » — Istud beneplacitum S. Sedis non est necessarium quoad congregationes quæ vota solemnia non habent, eo quod earum alumni non sunt proprie religiosi.

2° Jure communi, ex decreto Concilii Trid. (3), requiritur etiam Episcopi saltem verbis aut factis expressa licentia, quam vicarius generalis non concedit absque speciali mandato, nec Vicarius capitularis sede vacante. Episcopus non potest, sine rationabili causa, eam denegare, eo quod Ordo a S. Pontifice est approbatus; sed tenetur prospicere ne novus conventus detrimentum afferat sive religiosis institutis in loco jam existentibus, sive parochiis; voluit enim conc. Tridentinum ab eo examinari et decerni utrum expediat nova fundatio.

3° Si Episcopo non constet conventum sine detrimento aliorum erigi

(1) Anno 1901, S. Cong. Episc. et Reg. edidit Instructionem 325 articulis constantem, in qua tradit normas secundum quas procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium, eisque proponit schema constitutionum. — (2) Const. *Romanos Pontifices*, ad episcopos Angliæ et Scotiæ, 8 maii 1881. — Bened. XIV, *de Syn. diœc.*, l. IX, c. I. n. 9. — Cf. decretalem *Cum ex eo*, pro Mendicantibus, lib. V, tit. 6, in 6. — (3) Trid., sess. XXV, *de Reg.*, cap. III

posse, suam non fert sententiam, nisi vocatis et auditis conventuum Superioribus, quibus, sicut postulantibus licentiam, competit appellatio suspensiva ad S. Congr. Episc. et Regularium.

4° Parochus potest adire Episcopum, reclamandi causa ; sed Episcopus non stricte tenetur ipsum vocare, nec ejus consensus est necessarius. Non prohibetur tamen novi conventus erectioni se opponere et appellare, ob incommoda jurium parochialium vere læsiva; non vero regulariter ob incommoda minoris momenti, quæ sola ordinarie objiciuntur, v. g. si timeatur aliqua imminutio oblationum vel concursus ad ecclesiam parochialem.

5° Requiritur, jure communi, ut domus *sodales religiosos sex ad minimum* capiat, quorum quatuor saltem sint sacerdotes ; alioquin conventus remanet omnimodæ jurisdictioni Episcoporum subjectus; sed in domibus et hospitiis missionum viget privilegium exemptionis, etiamsi unus in iis esset regularis (1).

6° Ad erigendos monialium conventus, non requiritur beneplacitum S. Sedis extra Italiam, sed numerus conveniens ut vita regularis observetur, nempe saltem duodecim, sufficientes reditus vel consuetæ eleemosynæ, et licentia Episcopi (2).

7° Solemnitates præscriptæ et servandæ in erectione novi conventus non certo spectant translationem conventus jam existentis ad alium situm in eodem loco, exceptis Mendicantibus; nec reditum in domum vi relictam attinent, aut ædificationem hospitii sine ecclesia pro excipiendis religiosis obiter accedentibus, v. g. causa infirmatis, itineris, persecutionis, cui constituendo satis est licentia Episcopi (Bened. XIV, *de Syn. diœces.*, l. 9, c. 1).

ARTICULUS II

DE NORMA INGREDIENDI STATUM RELIGIOSUM (3).

Agemus : — 1° de admittendis in statum religiosum; — 2° de novitiatu; — 3° de professione.

§ 1. — *De admittendis in statum religiosum* (4).

557. — Admittendi sunt qui prudenter reputantur divinitus vocati, et aliunde liberi sunt ab omni impedimento.

I. *Requiritur specialis vocatio* divina, id est, actus providentiæ supernaturalis, quo Deus aliquos secernit, inducit et disponit ad perfectionem in statu religioso quærendam ; nam huic statui annexæ sunt gravissimæ obligationes, quibus imparia sunt communia auxilia gratiæ (Cf. Matt., XIX, 11). — Ordinaria *vocationis signa* sunt : 1° impulsus internus et animus constans perfectionis acquirendæ per vota religionis, qui non excludit motiva naturalia honesta, modo ista sint secundaria ; 2° aptitudo, quæ sita est in indole recta et docili, in scientia relative sufficienti, et carentia defectuum instituto amplectendo repugnantium.

(1) Const. *Romanos Pontifices*, Leonis XIII. — Const. *Instaurandæ*, Innoc. X, 10 febr. 1654. — (2) Bouix, *de Regularibus*, pars II, sect. 11. — Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, c. III. — (3) S. Alp., lib. IV, 65-78. — (4) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31, § 3. — Bouix, *de Regularibus*, pars V.

558. — II. *Requiritur immunitas ab impedimentis.* — Jure communi impediuntur : 1° Episcopi sine licentia Papæ, nam, propter vinculum spiritualis matrimonii, perpetuo ligantur suæ Ecclesiæ sub obedientia S. Pontificis. — 2° Conjuges, qui, consummato matrimonio, nequeunt ingredi religionem nisi de consensu compartis, aut propter illius adulterium, hæresim vel apostasiam ; vinculum enim matrimoniale pertinet ad ordinem justitiæ, contra quam virtus religionis non prævalet. Matrimonium vero ratum solvitur professione solemni, et duo menses jure conceduntur conjugibus ad deliberandum de ingressu religionis (1). — 3° Reddendæ rationi administrationis obnoxii, donec reddiderint ; et ære alieno gravati, si ingens sit, aut probabilis adsit spes fore ut brevi tempore, v. g. intra biennium, creditoribus satisfacere possint ; secus posteriores, facta creditoribus cessione bonorum, Religionem ingredi possunt. — 4° Criminosi, si crimina sint publica et nondum expiata (2). — 5° Filii qui parentes in gravi necessitate relicturi essent, quia tenentur egestatem eorum sublevare, quando et quomodo possunt. Consensus parentum de honestate postulatur, sed non est necessarius, nisi ad molestias potestatis civilis declinandas, quando filii sunt minores. — 6° Parentes filiis necessarii. — 7° Servi proprie dicti, nisi de licentia domini sui ; hi autem extra Europam tantum et paucis in regionibus hodie supersunt.

559. — III. *An clerici possint statum religiosum ingredi, non obtenta prius Episcopi licentia ?* — 1° Clericus officium dimissurus debet, ex ipso jure naturali, consilium suum Episcopo aperire. Verum aliud est discedendi licentiam obtinere, aliud de discessu Episcopum facere certiorem, ut officio dimittendo opportune provideat. — 2° Episcopus non potest, regulariter loquendo, suum assensum denegare clerico postulanti liberum ingressum religionis. — Prob. 1° *Ex juris textibus.* In canone *Duæ sunt*, B. Urbanus II statuit : *Si quis sub Episcopo populum retinet et sæculariter vivit, si afflante Spiritu Sancto, in aliquo monasterio salvare se voluerit, etiam Episcopo contradicente, eat liber nostra auctoritate.* — 2° *Ex unanimi canonistarum sententia*, quam in Const. *Ex quo* refert Benedictus XIV. — 3° *Ratione.* Ex religiosi status natura et institutione, clerici sicut cæteri christiani habent a Christo libertatem sectandi vitam perfectiorem. Hæc autem facultas non adimitur promissione obedientiæ quam in ordinatione presbyteri emittunt juxta leges Ecclesiæ, et spectat ipsas congregationes votorum simplicium.

Attamen, 1° Si Ecclesia grave damnum pateretur ex discessu clerici, posset Episcopus eum retinere aut repetere saltem ad tempus, quia bonum publicum præferendum est bono privati, nisi istius salus inde periclitetur (3). — 2° Si clericus fuerit gratuito educatus sub conditione expressa quod in diœcesi ministerium exerceat per tempus determinatum, nequit antea religionem ingredi, quia pacto justo standum est. — 3° Si, titulo missionis ordinatus, juramentum ediderit non ingrediendi religionem, eo ipso abdicavit libertatem suam.

(1) Decretalium lib. III, tit. *De conversione conjugatorum.* — (2) Suarez, *de Relig.*, tr. 7, l. 5. — (3) S. C. Concilii, 17 jan. 1886.

560. — IV. *Requiruntur litteræ testimoniales.* — Ex auctoritate Pii IX, decreto 25 januarii 1848, *Romani Pontifices*, quotannis die 1ª januarii in mensa legendo, S. Congr. *Super statu regul.*, statuit : *In quocumque ordine, congregatione* (virorum, non autem monialium)..., *sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, nemo* (etiam clericus) *ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ, ultra annum moratus fuerit. Ordinarii... postquam diligenter exquisiverint de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia... Sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare.* — Eodem decreto, contra regulares qui illud, secluso speciali privilegio, non servarent, statuitur pœna privationis officiorum, vocis activæ et perpetuæ inhabilitatis.

Ex declarationibus ejusdem S. Congr. (1 maii 1851), sufficiunt testimoniales privatæ, vel in genere tantum testantes de qualitatibus postulantis; illarum defectus non invalidam efficit susceptionem habitus et professionem, sed illicitam ; si recusentur ab Ordinario, eo quod obstat ingressui postulantis, recurrendum est ad eamdem S. Congr. ; si vero ob aliam causam eas dare nolit, alia informatione fide digna sufficienter supplentur.

Decretum ex tenore suo solos spectat Regulares proprie dictos ; sed *interpretatione extensiva* declaratum est comprehendere quasdam congregationes etiam sæculares, in quibus simplicia emittuntur vota, v. g. Congregationem Missionis.

§ 2. — *De novitiatu* (1).

561. — I. *Necessitas.* — Novitiatus est probatio vitæ religiosæ, mutuumque experimentum, quo religio mores et dotes novitii, et novitius austeritatem religionis experitur. — Cum probatio ad omnes status præmittatur, et perfectio religiosa sit ardua, legibus Ecclesiæ sapienter requiritur novitiatus ad confirmandam aptitudinem, voluntatem et spem postulantis, ne ex professione temere facta sequantur gravia damna.

562. — II. *Admissio postulantium in novitiatum.* — Approbatio includit facultatem admittendi novitios, juxta constitutiones Ordinis. — Ex jure communi, virorum ordines a S. Sede approbati non pendent ad Episcopo in admittendis novitiis, nec ulla præfixa est ætas ad ingressum eorum, exceptis *conversis*, quos Clemens X (16 maii 1675) vetuit habitu donari et intra clausuram admitti antequam 20ᵐ annum compleverint (2). Aliter constitutum est de monialibus, ut earum libertati prospiceretur. Decretum S. Congreg. Episc. et Regul. (23 maii 1659), prohibet ne puella admittatur ad habitum, ante expletum decimum quintum ætatis annum. Præterea, ex decreto Conc. Tridentini, puellam quæ habitum regularem suscipere

(1) Zallinger, *Jus ecclesiasticum*, lib. III. — De Angelis, *Prælectiones juris canonici*, lib. III, tit. 31, n. 8. — (2) Stadia pro conversis sunt : sex menses postulatus, triennium in qualitate tertiariorum, annus novitiatus, professio simplex, et professio solemnis post tres annos votorum simplicium (Cf. Resp. Cong. super discipl. regulari, 23 aug. 1898.)

voluerit, Episcopus examinare debet, *an coacta*, *an seducta sit*, *an sciat quid agat ;* iterumque ante professionem (1).

563. — III. *Locus, habitus et duratio.* — Novitiatus peragi debet a viris *in monasteriis pro novitiatu designatis*, (in Italia, *a S. Sede*) ; a monialibus vero, in parte separata sui monasterii, eo quod singula monasteria monialium proprie dictarum sint jure communi ab invicem independentia. Incipit a tempore susceptionis habitus, in religionibus et locis ubi hæc susceptio requiritur, et ab ingressu cum animo manendi in cæteris. — Durare debet per annum integrum et continuum, mathematice computatum, ad validitatem professionis ; imo, in aliquibus institutis longior exigitur probatio, v. g biennium in Societate Jesu. — Censetur interrumpi novitiatus, et pro nullo habetur, quoties novitius e monasterio egreditur cum animo non revertendi, vel absolute dimittitur, etiamsi statim revertatur, vel iterum admittatur.

564. — IV. *Libertas et privilegia.* — Currente probationis tempore, novitius fruitur plena libertate recedendi. Ipsi omnia quæ secum in monasterium intulit, demptis expensis, restituenda sunt ; nec valet renuntiatio bonorum, nisi fiat cum licentia episcopi, intra duos menses ante professionem, ac professio sequatur (2).

Novitius gaudet privilegiis clericorum et regularium, præcipue *canonis* et *fori ;* lucratur indulgentias ordini concessas ; sacramenta, etiam ultima, et sepulturam recipit a Superioribus ; lato enim sensu, in favorabilibus nuncupatur regularis et persona ecclesiastica.

565. — V. *Exercitia et obligationes.* — Novitiis præficitur aliquis ejusdem ordinis professus, cujus est officium eos ad vitam religiosam exercere ; et magistro novitiorum socius additur. Novitii principaliter vacant exercitiis spiritualibus ; regulam observare non tenentur directe et per se, utpote adhuc liberi, sed indirecte, ne sint scandalo cæteris ac expelli mereantur, cum salutis aut alterius damni discrimine. Superior habet, vi muneris sui et quasi contractus in admissione initi, jus et officium eos puniendi. — Pius IX, decreto 22 april. 1851, directo ad superiores generales Ordinum, hoc statuit : « In omnibus novitiatus domibus *vita perfecte communis introducatur*, et quæcumque indulta, privilegia, exemptiones, familiæ illius individuis antea concessa, derogata censeantur. »

Nota. — Pro institutis votorum simplicium, quæ non attingunt per se decreta de novitiatu regularium, consuli debent eorum constitutiones rite approbatæ.

§ 3. — *De professione* (3).

566. — I. *Definitio.* — Professio est emissio votorum quibus novitius in statum religiosum admittitur. Lato vel stricto sensu sumitur.

(1) Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, cap XVII. — (2) Ibidem, cap. XVI. — (3) S. Alph., lib. IV, 5-8. — Soglia, *Institut. juris privati*, lib. I, c. IV. — Ex indulto S. Pii V (Constit. *Summi sacerdotii*, 23 aug 1570) et consuetudine permittitur novitiis in periculo mortis existentibus professionem emittere in manibus sui superioris vel respective superiorissæ ; quæ professio fit causa meriti, indulgentiarum et aliorum effectuum spiritualium, minime vero producit effectus canonicos fori externi, nec sic professos convalescentes liberat a necessitate complendæ probationis et professionis canonicæ emittendæ, ut religioni vel congregationi vere cooptentur. Unde dimitti et exire possunt illæsa professione, quæ ultra periculum vitæ verum vel præsumptum non protenditur. (V. *Canoniste cont.*, 1895, p. I.)

Professio *late sumpta* est actus quo novitius per triplicis voti perpetui emissionem Deo et religioni se mancipat, juxta regulam. Ad constituendum statum religiosum triplex votum simplex et perpetuum sufficit, modo religio sit approbata, et traditio nomine Dei et communitatis a legitimo prælato acceptetur.

Professio *stricte sumpta* est contractus utrinque obligatorius, quo fidelis per vota solemnia se Deo et religioni tradit, et religio vicissim traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi tanquam filium. Brevius definitur : emissio votorum solemnium in religione approbata. — Ubi vox *professio* adhibetur in canonibus, intelligitur de professione stricte sumpta.

Duplex quoad modum distinguitur professio, nempe, *expressa* et *tacita*. Professio expressa verbis, scripto aliove signo externo, formaliter enuntiatur. Professio tacita, hodie prorsus insolita, imo pro viris stricte regularibus suppressa ab anno 1858, factis exprimitur, v. g. cum novitius, tempore probationis elapso, gestat scienter habitum professionis, et actus professis proprios exercet (1).

567. — II. *Tempus profitendi*. — Finito tempore novitiatus, superiores ad profitendum admittant novitios quos habiles invenerint, aut e monasterio eos ejiciant (Conc. Trid., sess. XXV, cap. 16). — Hunc textum canonistæ ita interpretantur : superior, expleto tempore, admittit novitios sufficienter paratos, et dimittere debet quos invenerit omnino inhabiles ad vitam religiosam; illos autem qui nondum inveniuntur dispositi, sed probabiliter post certum tempus futuri sunt habiles ad hunc statum, retinere potest novi experimenti causa, sed non ultra sex menses, sine S. Sedis licentia. — Necesse non est ut professio novitiatum immediate sequatur.

In decreto *Cong. super statu Regularium* (1857) Pius IX statuit : *Peracta probatione, novitii vota simplicia emittant. Professi, post triennium, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur. Si autem non præcesserit professio votorum simplicium, vel professus in ea non remanserit per triennium integrum, irrita erit professio solemnis* (2).

Hoc decretum, die 3 maii 1902 ad moniales extensum, induxit disciplinæ mutationem magni momenti (3).

568. — III. *Conditiones requisitæ ad validam professionem* sunt : 1° Aptitudo voventis, ætas, scilicet annus decimus sextus expletus, et rite peracta probatio; — 2° Libertas, quæ abest cum professio extorquetur vi, metu gravi injuste incusso, dolo, vel errore circa substantialia religionis; — 3° Superioris legitima acceptatio, nomine Ordinis.

Ad *licitam* tantum monialium professionem, requiritur insuper ut præcesserit *examen* novitiæ ab Episcopo, vel ab ejus Vicario aut delegato (4),

(1) Inst. mor. Alph., n. 2146. — (2) Const. Pii IX, *Ad universalis*, 7 febr. 1862. — S. C. Ep. et Reg., 21 april. 1871 et 2 sept. 1896, indulsit alumnis Trappensibus militiæ sæculari obnoxiis, ut expleto novitiatu professionem emittant votorum simplicium ad sex menses valituram et iterabilem, quæ sit caduca ipso discessu e monasterio militiæ causa; peracto autem tempore militiæ, qui regredi et perseverare voluerint teneantur emittere novam professionem votorum simplicium et in ea per triennium remanere antequam admittantur ad vota solemnia. — *Cf. Præscriptiones* S. C. Super disciplina regulari *quoad juvenes ex familiis religiosis qui militari delectu obnoxii sunt*. — S. Rit. C. edidit decretum generale de methodo faciendi solemnem votorum professionem, die 14 aug. 1894. — (3) Inst. mor. Alphons., n. 2148. — (4) Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, c. 17.

ad crates monasterii institutum, et *dos* constituta fuerit, juxta morem cujusque Ordinis, titulo sustentationis.

569. — IV. *Effectus professionis.* — 1° Professum facit membrum ordinis, cujus privilegia et obligationes participat, ipsamque religionem ligat cum professo ; — 2° extinguit vota prius emissa, salvo jure tertii, vi commutationis implicitæ in melius, si cum statu assumpto sint incompossibilia, vel ex commutatione expressa, si sint compossibilia ; — 3° dissolvit sponsalia et matrimonium ratum ; — 4° absolvit a paterna potestate ; — 5° firmat bonorum abdicationem, inducit incapacitatem dominii, necnon vacationem beneficiorum, si quæ professus possidebat ; — 6° aufert irregularitatem ex natalibus quoad susceptionem ordinum, non autem quoad dignitates et prælaturas ; — 7° in statu gratiæ facta, remittit omnes pœnas peccatis debitas, non quidem *ex opere operato*, cum non sit sacramentum, sed vel *ex excellentia operis*, quod est condigna satisfactio, ut pie creditur ; vel saltem *ex indulgentia plenaria* a Paulo V profitentibus concessa (23 maii 1606). Unde a quibusdam Patribus baptismo et martyrio æquiparatur, v. g. a SS. Hieronymo, Joanne Damasceno, Petro Damiano, Anselmo, Bernardo (1). Imo quidam, inter quos S. Bernardinus Senensis et S. Alphonsus de Lig., probabiliter opinantur eamdem efficaciam satisfactoriam inesse cuique renovationi votorum religionis, etiam privatim factæ.

Omnes prædicti effectus sive ex natura votorum, sive ex jure communi derivantes, tribuuntur soli professioni solemni. Ut dignoscantur qui competunt professioni votorum simplicium, quæ per se producit tantum effectus votorum proprios, attendendæ sunt constitutiones et approbatio cujusque instituti, e quibus oriuntur et determinantur effectus jure humano annexi singulis professionibus. — Quoad vim et effectus votorum simplicium, quæ nunc præmitti debent solemnibus, standum est præcipue decretis S. C. Episc. et Reg., 12 jun. 1858, 20 jan. 1860, 7 febr. 1862 et 3 maii 1902.

570. — V. *Ratificatio vel impugnatio invalidæ professionis* (2). — Professio invalida ratificari potest, dummodo defectus recesserit et consensus voventis renovetur. Non requiritur novus superioris consensus, qui perseverare censetur, semel datus, nisi nullitas publica evaserit. Imo contingere potest quod S. Sedes professionem invalidam ob impedimentum juris ecclesiastici *in radice* sanet et validet, sicut matrimonium aliquando convalidat, inscio alterutro saltem conjuge ; ad hoc sufficit professi consensum virtualiter perseverare, cum S. Pontifex tollit impedimentum et dispensat a renovatione consensus, ob incommoda manifestationis causæ nullitatis. — Controvertitur an invaliditatem ignorans possit professionem ratificare. Alii negant, quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium, nec attendi debet quid voluisset, sed quid voluerit agens ; alii minus probabiliter affirmant, quia perseverat intentio valide profitendi, quæ, remoto obice, producit effectum suum.

Si non placeat professionem ratificare, actio nullitatis intra quinquiennium inducitur vel a professo, vel a superiore. — Jus reclamandi competit

(1) Cf. S. Thom., 2ª-2æ, q. 189, a. 3, ad 3m. — Opus P. Collette : *Religiosæ professionis valor satisfactorius.* — (2) Pirhing, *jus canonicum*, lib. III, cap. XXXI.

tam monialibus quam viris religiosis, modo antea habitum sponte non dimiserint; judices sunt Episcopus et superior regularis (1). — Controvertitur an regularis qui scit professionem suam coram Deo nullam esse, sed nequit illud probare, licite valeat redire ad sæculum. Ad cautelam, postulatur dispensatio pro foro externo, et sic præcaventur scandalum et apostasiæ species.

ARTICULUS III

DE OBLIGATIONIBUS REGULARIUM

Hæ sunt : 1. Obligatio tendendi ad perfectionem ; — 2. Observantia trium votorum ; — 3. Observantia regulæ ; — 4. Obligationes statui religioso annexæ ; — 5. Obligatio stabilitatis.

§ 1. — *Obligatio tendendi ad perfectionem* (2).

571. — Obligatio tendendi ad perfectionem est primaria et gravis; vi enim professionis regulares tenentur perseverare in statu suo, cujus finis est perfectio acquirenda.

Non solum professus tenetur aliquo modo tendere ad perfectionem; sed etiam obligatur ad certa media hujus acquirendæ, videlicet, 1° ad media *generalia* vitæ christianæ et regularis, seu ad observantiam præceptorum ac triplicis voti ; 2° ad media *specialia* ordinis in quo professus est. Ratio utriusque est, quia profitendo religionem se constituit debitorem finis et mediorum communium religionis in genere, seu perfectionis per observantiam trium votorum ; et profitendo in tali ordine, se reddidit debitorem finis et mediorum particularium hujus ordinis. — Hinc graviter peccat religiosus : 1° si directe et expresse nolit tendere ad perfectionem, ut patet; 2° si velit tantum servare obligantia sub gravi, quia implicite perfectionem abjicit et gravis ruinæ pro se et disciplina regulari causam ponit ; 3° si Ordinis regulas violet ex contemptu, quia rejicit media specialia, aliquo modo ad finem necessaria, et Sancto institutori Ordinis contumeliam facit (3).

§ 2. — *Observantia trium votorum* (4).

572. — I. Votum *castitatis* addit cælibatui obligationem et meritum virtutis religionis, et peccatis luxuriæ etiam mere internis malitiam sacrilegii. Votum solemne dirimit matrimonium contrahendum, et matrimonium ratum jam contractum dissolvit, dum votum simplex est impedimentum prohibens tantum, extra societatem Jesu, in qua est dirimens ex privilegio.

573. — II. Votum *paupertatis*, quale fit juxta leges Ecclesiæ, prohibet sub peccato saltem usum independentem bonorum temporalium, nempe quoslibet actus dominii absque superioris licentia ; sed non respicit, saltem directe, fructus ingenii, famam, bona spiritualia et reliquias, eo quod ista

(1) Conc. Trid., sess. XXV *de Regul.*, cap. XIX. — Santi, *de Regul.*, n. 34. — (2) S. Alph., lib. IV 9-13. — Suarez, *de Religione*, 8. — (3) Inst. mor. Alph., n. 2153-4, 2170, 343. — (4) *Decretalium* lib. III, tit. 35. — S. Alph., lib. IV, 14-57. — Instit. mor. Alph., n. 2155 et seqq.

pretio non æstimantur. — Votum solemne paupertatis excludit capacitatem dominii. Hæc incapacitas afficit singulos religiosos, non ipsum ordinem, exceptis quibusdam Institutis, v. g. Ordine Capuccinorum, et Ordine Fratrum Minorum. Unde omnia temporalia, quocumque titulo obvenientia regulari, pertinent ad ejus conventum, modo sit dominii capax, juxta tritum axioma : *quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit* (1).

Modus servandi votum determinatur a constitutionibus cujusque Ordinis. Regulariter, qui vota simplicia emiserunt exercent saltem actus meræ administrationis sui dominii privati per interpositas personas et sub debitis cautelis. — Moralistæ quærunt an religiosi possint dare, recipere, disponere ; an sufficiat superioris licentia tacita aut etiam præsumpta ; an licitum sit quibusdam religiosis peculium (propria pecunia) cum usu dependente, sive ex livello seu pensione vitalitia a consanguineis solvenda, sive aliunde ; quanta materia requiratur ad peccatum mortale contra paupertatis votum ; an et quatenus Ordines teneantur paupertatem servare. Illos et statuta singulorum Ordinum consulat qui hæc ex professo et per singula cupierit resoluta reperire (2).

574. — III. Voto *obedientiæ* religiosus tenetur obedire præcepto superioris, in iis quæ pertinent directe vel indirecte ad vitam regularem, id est, ad observantiam votorum, regulæ et constitutionum. Sed obligatio supponit tum superioris legitimi verum præceptum, tum convenientiam rei præceptæ cum regulis et fine instituti. Directe pertinent ad regulam ea quæ in illa expresse continentur ; indirecte pertinent ea quæ sunt necessaria vel utilia ad ejus observantiam.

Religiosus non peccat graviter contra votum, nisi recuset obedire legi Ordinis vel superiori aliquid notabile præcipienti *in virtute sanctæ obedientiæ*, aut grave scandalum sequatur. — Obedientia distinguitur in necessariam et perfectam. *Necessaria* leges Ordinis et præcepta stricta legitimi superioris stricte exequitur ; *perfecta* exequitur quæcumque præscripta cum alacritate atque affectu voluntatis in rem et superiorem, in iis divinam voluntatem agnoscit, et superiorem non judicat errare vel male imperare, sine ratione evidenti.

In ordinibus qui tribus votis substantialibus addunt aliud speciale vel plura, horum objectum et obligatio determinantur in constitutionibus et jure particulari cujusque religionis.

§ 3. — *Observantia regulæ* (3).

575. — Religiosus transgrediens regulam non semper peccat mortaliter ; etenim ea quæ continentur in regula et constitutionibus, quibus declaratur et completur regula, vel sunt præcepta obligantia sub mortali aut sub veniali, vel statuta non obligantia sub culpa, sed sub pœna tantum ; et qui profitetur religionem, vovet obedientiam superioribus juxta regulam, non autem vovet ipsam regulam et singula quæ continet et præcipit regula.

(1) Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, cap. II. — (2) Inst. mor. Alphons., n. 2155-2160. — (3) Suarez, *de Religione*, tit. 4, lib. I.

In multis ordinibus, regula et constitutiones, exceptis votis et præceptis, non obligant etiam sub culpa veniali. — Attamen, quamvis transgressio regularum non sit peccatum veniale ex genere suo seu *ex parte operis*, sæpe potest esse culpa *ex parte operantis*, scilicet, ex negligentia perfectionis, vel contemptu, vel scandalo, aut periculo peccandi. — Violatio regulæ fit graviter peccaminosa, cum inducit in periculum labendi in peccatum mortale, vel infert gravem damnum religiosæ disciplinæ, vel secum trahit voti gravem violationem, vel exponit ejectioni religiosum, qui, vi professionis, tenetur ita se gerere ut sit tolerabilis, nec mereatur expelli. Ideo ex jure regularium, nisi aliter statuat Regula Ordinis, non dimittitur valide qui peccavit expresse ut dimitteretur, quia *nemini sua fraus patrocinari debet.*

Cum, experientia teste, inobservantia regulæ sit institutorum religiosorum pestis, eorumque imminutionem et ruinam sensim producat, nulla major superioribus incumbit obligatio quam inviolatam conservare aut collapsam restituere regularem disciplinam. In hunc finem constituti sunt *Visitatores*, qui, sive ordinarie et statutis intervallis, sive extraordinarie, singula cœnobia ex officio visitant, de rebus et personis sollicite inquirunt, abusus mediis opportunis tollunt, et delinquentes corrigunt, quicumque sint; sicque feliciter instauratur, vel constantius perseverat primæva instituti perfectio (1).

§ 4. — *Obligationes statui religioso annexæ.*

Hujusmodi obligationes sunt : 1° Habitus religiosus, si hujus certa forma in Ordine præscribatur ; — 2° Officium divinum persolvendum ritu romano vel ritu speciali a regularibus utriusque sexus jam solemniter professis et ex instituto suo choro addictis, sicut a subdiaconis ; — non autem ab emittentibus vota simplicia, qui tenentur tantum servare constitutiones suas, generatim directe non obligantes sub gravi, nec etiam sub levi (*S. Pœnitent.*, 26 nov. 1852) ; — nec a regularibus vota simplicia professis ante solemnia, qui sunt exempti a privata recitatione officii, etsi debeant choro interesse sicut solemniter professi sui ordinis (Pius IX, 6 augusti 1858 ; Leo XIII, 3 maii 1902) ; — 3° Clausura, præcipue ad tutiorem et faciliorem castitatis custodiam introducta, de qua tantum pauca dicemus.

De clausura in specie (2).

576. — Regularis clausura, formaliter sumpta, est lex canonica qua liber ingressus externorum in monasterium, et vice versa egressus regularium e monasterio prohibetur. Ista lex omnes et solas proprie dictas religiones plus minusve stricte afficit, præsertim moniales.

577. — I. *Clausura religiosorum.* — Prohibetur ingressus apud eos mulierum sub pœna excommunicationis reservatæ S. Pontifici, ipso facto incurrendæ ab ingredientibus et superioribus aliisve eas admittentibus,

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, *de Regul.*, cap. I et VIII. — (2) Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, cap. IV et V. — S. Alph., lib. IV, 37. — Inst. mor. Alph., n. 2161 et seqq.

nisi sint privilegiatæ (1). Ingressus virorum non prohibetur jure communi, nam minus dedecet statum religiosum; unde externi admitti possunt causa necessitatis, aut utilitatis, aut etiam honestatis, judicio superioris, juxta mentem et præscripta Regulæ.

Egressus e monasterio sine licentia superioris sui est peccatum mortale, si materia sit gravis, v. g. exitus etiam diurnus liberior et frequentior, *a fortiori*, nocturnus et furtivus; nam *non licet regularibus a suis conventibus recedere* (Conc. Trid., sess. XXV. *de Reg.*, c. IV).

578. — II. De monialibus Conc. Trid., ibid., c. V., statuit: *Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda... Ingredi intra septa monasterii monialium nemini liceat, sine Episcopi vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* — Const. *Apostolicæ Sedis* excommunicatione reservata S. Pontifici plectit quaslibet personas ingredientes clausuram monialium, illasque introducentes vel admittentes, absque debita licentia; item moniales ab illa exeuntes, extra casus et formam a S. Pio V præscriptam (2). Imo colloqui ad crates vetatur, maxime regularibus.

Ipse Episcopus diœcesanus et superior regularis in monasteria sibi subjecta ingredi nequeunt, nisi in casibus necessariis, et a paucis gravibusque personis comitati. — Medici et operarii, cum subest necessitas, ingrediuntur cum licentia superioris monasterii, et debitis adhibitis cautelis. — Confessarii autem, tam extraordinarii quam ordinarii, sine speciali licentia infirmis ministrant sacramenta et subsidia spiritualia consueta. — Pro puellarum educandarum ingressu et habitatione, speciales editæ sunt instructiones, v. g. a S. Congr. Episc. et Regul., 18 jul. 1834.

Distinguitur clausura *papalis* modo exposita, et clausura *episcopalis*, quam Episcopus imponit conventibus votorum simplicium, illius conditiones determinando.

§ 5. — *Obligatio stabilitatis et mutatio status apud regulares* (3).

579. — Obligatio stabilitatis inducitur ex natura status et ex votis perpetuis. Ad duo extenditur : ad perseverantiam in statu religioso et ad perseverantiam in Ordine professionis. Hinc effatum : *semel monachus, semper monachus.*

Attamen aliquando a suscepta religione sive illicite sive licite disceditur, nempe per apostasiam vel fugam, ejectionem vel dimissionem ab ordine, dispensationem a votis vel indultum sæcularizationis, et per transitum ad aliam religionem.

580. — I. *Religiosi apostasia vel fuga.* — Apostasia a religione est criminosa discessio, cum animo non redeundi ad regulare institutum, sed sæculariter vivendi, sive retento, sive dimisso habitu. — Fugitivi dicun-

(1) Cf. const. *Apost. Sedis*, sect. 2ª. n. 7, infra, n. 957. — (2) Ibid., n. 6; infra, n. 956. — (3) S. Alph. lib. IV, 79-82. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. III, tit. 31. — Bouix, *de Regularibus*, pars VI, sect. 4.

tur qui sine licentia superioris discedunt, cum animo revertendi ; unde apostatis quoad pœnas juris communius et probabilius non æquiparantur. — Apostata suspenditur a sacris ordinibus (1), et excommunicationem incurrit, si habitum dimittat. At Superiores tenentur eum revocare et resipiscentem recipere, utpote strictissimo et perpetuo vinculo religioni ligatum.

II. *Conditio religiosi ejecti.* — Professi votorum simplicium qui ex justa causa consentientes dimittuntur, vel ejiciuntur inviti, eximuntur communiter ab obligationibus status religiosi, sive a votis, sive a regula procedant ; et reducuntur ad vitam sæcularem, non vi solius dimissionis, sed ex conditione votis apposita, juxta constitutiones Instituti, vel ex facultate concessa a S. Sede (1857). Excipi solet votum castitatis absolute perpetuum. — Post vota solemnia, juxta canones, religiosi ejici nequeunt nisi, post excessum scandalosum cujus sunt manifeste rei, pœnis consuetis non reducantur ad meliorem frugem, et se exhibeant incorrigibiles ; nec sententia ejectionis fertur nisi a Rectore majore aut illo approbante, et servatis regulis processus judiciarii in Ordine vigentis (2). Ejecti vero non cessant esse religiosi. Unde : 1° tenentur se emendare, ut iterum admitti mereantur ; 2° votis obligantur et ea observant quantum patiuntur circumstantiæ, v. g. obediunt Episcopo, suæ sustentationi ex necessitate libere provident, etc. Sunt suspensi a functionibus Ordinum et inhabiles ad beneficia obtinenda, nisi dispensationem et sæcularizationem obtineant a S. Sede (3), non fruuntur privilegiis regularium, et tenentur gestare vestem clericalem, si ordines minores receperint (4).

« Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur, ac præterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint. — Qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati

(1) Cf. Santi, *Prælectiones juris canonici*, lib. III, tit. 31, n. 46. — Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, cap. XIX. — (2) Dispositiones decretorum Urbani VIII (21 sept 1624) et Innocentii XII (24 jul. 1694), quibus methodus ordinatur a superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis,... servandæ imponuntur etiam superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel vo is simplicibus temporaneis adstricto, ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo ; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, nisi ob culpam gravem, externam et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, superiores præmittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem ; quo nihil proficiente, superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere quo suas defensiones sive per se, sive per alium ejusdem instituti religiosum exhibere valeat. Quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, superior seu Tribunal defensorem alumnum respectivi instituti constituere debebit. Post hæc superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quæ tamen nullum effectum habebit, si condemnatus rite appellet ad S. C Ep. et Reg., donec definitivum judicium probatum fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi modus supra dictus servari nequeat, recurrendum est ad S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus præscriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. C. » (Decret. S. Cong. Ep. et Reg., 4 nov. 1892 ; Resp. 4 jul. 1898.). — (3) Const. *Apost. Sedis*, susp. v. — (4) Decretum Urbani VIII, 21 sept. 1624.

fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ; secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo jam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata. » (Decret. *Auctis admodum* S. C. Ep. et Reg., 4 nov. 1892.)

Moniales solemniter professas pluries S. C. Episc. et Reg. declaravit ejici non posse nisi auctoritate S. Pontificis, eo quod sub clausura papali vivant.

581. — III. *Dispensatio.* — Olim pluribus visum est neminem posse dispensari super votis *solemnibus*, et vinculum professionis religiosæ esse jure divino indissolubile. Hodie omnes consentiunt religiosum eximi posse a suis obligationibus, et vitæ sæculari reddi indulto apostolico, quia effectus professionis solemnis non in jure divino, sed in jure ecclesiastico fundatur. Facultas dispensandi super votis solemnibus reservatur S. Pontifici, qui ea non utitur nisi ob causas gravissimas.

Hæc ergo dispensatio rarissime conceditur ; sed occurrunt exempla plurima *indultorum sæcularizationis*, quibus S. Pontifex sub certis conditionibus permittit religiosos solemniter professos vivere in sæculo *ad tempus* vel *in perpetuum*, v. g. ob violentam ordinis dispersionem, ob necessitatem subveniendi parentibus egenis, firma remanente votorum solemnium substantia. Isti religiosi subjacent Ordinariis tanquam propriis superioribus, atque retinent proprium habitum saltem ex parte, vel clericalem induunt.

Religiosi quorum vota sunt *simplicia* dispensationem obtinere possunt vel a S. Sede, vel a superiore sui instituti, vel ab Episcopo, pro diversa constitutione cujusque instituti. Recurritur ad S. Sedem pro institutis a S. Sede approbatis ; ad superiorem, quando institutum quoad vota non pendet ab Episcopo ; ad Episcopum, quando agitur de votis factis in Congregationibus quarum est superior, inter quæ hodie in Gallia et Belgio annumerantur vota monialium pertinentium ad antiqua instituta votorum solemnium. Quatenus superior, Episcopus jus habet dispensandi a voto stabilitatis, remanente voto castitatis, si factum fuerit absolute in perpetuum. — Cum dispensatio Dei nomine concedatur, ad ejus validitatem semper requiritur ratio sufficiens.

Quoties intervenit *promissio perseverantiæ*, præsertim si voto aut juramento firmetur, ipsa membra Congregationum quæ status religiosi essentiam non habent, a promissione et votis non solvuntur, nisi Congregatio vel S. Pontifex consentiat ; alioquin, dispensatio a promissione esset in præjudicium tertii, et ideo nulla.

582. — IV. *Transitus regularium ad aliam religionem.* — 1. Ex Innocentii III decretali *Licet*, transitus a religione laxiori ad strictiorem est licitus, modo fiat ex zelo vitæ melioris, sine gravi injuria religionis, et petita prius, licet non obtenta, superioris licentia (1).

2. Transitus ad ordinem æqualis rigiditatis est etiam licitus, sed legiti-

(1) Lib. III Decretalium, tit. 31, cap. XVIII.

ma causa existente et intercedente licentia superioris, vel, tali non existente causa, ex venia Pontificis.

3. Transitus ad ordinem laxiorem non fit nisi ex dispensatione S. Pontificis et ex gravi causa, quæ solet esse infirmitas vel debilitas.

4. Ad dignoscendum an aliqua religio sit arctior, attenditur non solum finis ordinis et primaria ejus institutio, sed etiam actualis observantia. Ex communi consensu, Carthusiensium religio omnium arctissima censetur.

5. Multi ordines privilegium habent, ut transitus ad religionem arctiorem non fiat, nisi obtenta licentia sui superioris vel S. Sedis.

6. Moniales solemniter professæ nec ad alium ordinem, nec ad aliud monasterium ejusdem ordinis transire possunt absque licentia S. Pontificis, propter clausuram papalem (1).

583. — IV. Regularis ad *parochiam* vel *episcopatum* assumptus a professione non eximitur, sed tantum ab obligationibus quæ officium aut dignitatem minus decent. Quoad obedientiam, parochus regularis pendet ab Episcopo in his quæ pertinent ad regimen parochiæ, Episcopus vero a S. Pontifice in omnibus.

ARTICULUS IV

DE JURIBUS REGULARIUM

Expendentur : — 1. Privilegia et exemptio regularium ; — 2. Habilitas regularium ad munia ecclesiastica ; — 3. Jus regularium ad sacrum ministerium exercendum ; — 4. Jus parochorum erga regulares.

§ 1. — *Regularium privilegia et exemptio* (2).

584. — I. Regulares tum directe, tum ex communicatione, plurjbus privilegiis aucti sunt.

Non communicantur ab uno Ordine ad alium privilegia personalia, nec realia ob specialem rationem concessa, v. g. ecclesiæ in qua servatur corpus alicujus sancti, nec quæ conceduntur prohibita communicatione, nec quæ exorbitant seu excluduntur a jure communi, v. g. privilegium alteris portatilis, a Conc. Tridentino solis episcopis reservatum. Quoad cætera, plenissima et pariformis communicatio existit inter omnes Ordines mendicantes et Societatem Jesu, ex variis constitutionibus pontificiis, v. g. Julii II, Leonis X et S. Pii V. Eadem communicatio plerisque Ordinibus non mendicantibus et quibusdam congregationibus votorum simplicium recentius fuit attributa, v. g. Congregationi Missionis.

Communicatio privilegiorum ex natura sua currit a prælatis ad prælatos, a privatis ad privatos, a conventibus ad conventus, ab ecclesiis ad ecclesias, etc.

Inter regularium privilegia communia, præcipuum est quod ab ordinaria Episcopi jurisdictione eorum personæ et bona eximuntur, ac immediate S. Pontifici subjiciuntur, religiosis domiciliis fictione juris habitis quasi territoriis avulsis a diœcesibus. — Illam exemptionem tantum declarabi-

(1) S. Pii V const. *Decori*. — (2) *Decretalium* lib. V, tit. 33 — Leonis XIII const. *Romanos Pontifices* (1881). — S. Alph., lib. I, appendix *de Privilegiis*, 72-94. — Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici privati*, lib. I, cap. IV. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, tom. I. — V. supra, n. 138-145.

mus, pro cæterorum privilegiorum expositione remittentes tum ad fontes juris communis, tum ad bullarium cujusque Ordinis et Congregationis.

585. — II. *Exemptionis antiquitas*, *utilitas* et *historia*, vindicantur contra multos, præsertim Jansenitas et Gallicanos, qui exemptionem insectati sunt tanquam abusum Episcopis et disciplinæ noxium, SS. Pontificum ambitione introductum.

1° *Antiquitas*. — Exemptionem memorant : sæculo IV°, S. Epiphanius et S. Hieronymus ; sæculo V°, concilium Arelatense de monasterio Lirinensi ; sæculo IV°, concilia Carthaginensia ; sæculo VII°, S. Gregorius Magnus et historiæ monasterii Luxoviensis et monasterii Turonensis S. Martini ; sæculo VIII°, S. Zacharias papa de monasterio Fuldensi. Quæ documenta demonstrant non media ætate, nec ex falsis decretalibus aut ambitione SS. Pontificum, exemptionem ortam fuisse.

2° *Utilitas*. — Exemptionis causas justas recensuit ipse Leo XIII : 1ª est, ne diversitate regiminis multorum episcoporum, regularium Institutorum unitas dissolvatur ; — 2ª, ut fortiori vinculo singuli Ordines et, eorum exemplo, particulares Ecclesiæ devinciantur Sedi Apostolicæ, centro unitatis ; — 3ª, ut disciplina religiosa tutius conservetur et efficacius promoveatur ; — 4ª, ut melius in familiis religiosis omnia sint inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et æquabili vitæ cursu utantur (Const. *Romanos Pontifices*, 1881).

3° *Historia*. — Frequentiores evaserunt religiosorum exemptiones, a tempore quo institui cœperunt Ordines sub uno præposito generali ; impossibile quippe fuisset unitati regiminis providere, si monasteria in variis provinciis erecta remansissent sub jurisdictione singulorum Episcoporum. Exemptiones fuerunt generatim probatæ, cum valde prodessent bono communi Ordinum. Quandoque tamen ortæ sunt reclamationes, sive quia nonnulli clerici ex invidia contendebant regularibus concedendam non esse facultatem docendi et ministerium exercendi ; sive quia plures Prælati magis solliciti erant de servanda integritate suæ jurisdictionis, quam de obsequio præstando mandatis S. Sedis, quæ certissime potest, ad consulendum utilitati Ecclesiæ universalis, limites jurisdictioni Episcoporum apponere ; sive quia regulares quidam occasionem reclamationibus præbuerunt, exaggerando, præter mentem SS. Pontificum, jura sibi indulta, aut iis minus sapienter utendo.

Concilium Trid., ad solvendas aut præcavendas difficultates, privilegia simul servavit et temperavit, dum plura sanxit quæ mox referemus (Sess. XXV, *de Regul.*, præsertim c. XX et XXII).

Omnes virorum et plurimi monialium religiosi Ordines proprie dicti fuerunt et manent exempti. — Eorum exemptionem participant non tantum regulares professi, sed etiam novitii, postulantes, oblati et quicumque familiares continui, qui vere sunt de familia monasterii, etiam famuli ; alii vero sæculares, qui non sunt de familia, v. g. infirmi curandi, adolescentes educandi, quamvis intra septa monasterii habitent, in spiritualibus pendent ab episcopo sicut cæteri seculares. — In Gallia, Religiosi ordinum exemptorum haberi debent pro exemptis, utpote perfecte regulares ; dum Moniales, etsi pertineant ad ordines exemptos, idcirco non habendæ sunt

pro exemptis, quia carum vota pro solemnibus a S. Sede generatim non acceptantur.

586. — III. *Limites exemptionis seu potestas Episcopi in exemptos.* — Cum regulares intra fines diœcesium vitam degant, sic exemptionis eorum vis temperata est, ut sarta tecta sit disciplina diœcesana, atque ideo clerus regularis in multis subesse debeat potestati episcopali, sive ordinariæ sive delegatæ. Unde Episcopus, tanquam S. Sedis delegatus, potest punire delinquentes extra claustrum, vel etiam in claustro degentes, si delinquentibus cum scandalo fidelium superiores nimium indulgeant (1). — Si autem monasterium *nullius diœcesis* sit, solus R. Pontifex potest his malis remedium afferre.

Sine licentia Episcopi, regulares nequeunt conventus, confraternitates aut pias societates, scholas publicas et hospitalia erigere (2), extra ecclesiam suam prædicare (ad prædicandum in ecclesia sua sufficit benedictio episcopi), sacramenta fidelibus ministrare, confessiones sæcularium ubicumque valide audire, a peccatis ei reservatis sæculares absolvere, exorcizare, SS. Sacramentum extra octavam Corporis Christi solemniter exponere, insolitas imagines aut novas reliquias exponere, indulgentias promulgare, libros edere, confirmationem et ordines sacros accipere; possunt autem ex causa privata SS. Sacramentum exponere, modo e tabernaculo non extrahatur, et velatum in pyxide maneat. Si Episcopus sit impeditus, regulares ordinandi possunt alium Episcopum adire, cum superioris dimissorialibus litteris et attestatione curiæ episcopalis, qua constet episcopum tunc abesse vel non posse ordines conferre (3).

Episcopus visitat omnia loca quæ ad publicum Dei cultum pertinent (4), et controversias de præcedentia componit, remota appellatione. Illius jurisdictioni ordinariæ monasteria subsunt in iis quæ spectant curam animarum, celebrationem missæ a sacerdotibus qui non sunt ejusdem Ordinis, administrationem sacramentorum sæcularibus, scholas externas pauperum, et fundationes intuitu operum diœcesanorum. — Regulares tenentur censuras et festa diœcesis servare, ac ad processiones vocati accedere, exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, vel specialem dispensationem obtinuerunt; nequeunt matrimonia celebrare aut benedicere, nec sibi non subditis ministrare tum Extremam Unctionem (5), tum Eucharistiam die Paschatis aut in viaticum, absque licentia parochi, cujus officium et jura intacta relinquere jubentur; et olea sacra sibi necessaria ab Episcopo loci debent recipere.

In cæteris, quæ pertinent ad disciplinam domesticam, oratoria et cœmeteria privata, observantiam regularum et votorum, administrationem

(1) Conc. Trid., sess. VI, cap III, et sess. XXV. *de Regul.* cap. XIV. — (2) Regulares tamen possunt sine tali licentia hospitium fundare, id est domum sine ecclesia aut oratorio publico, iter agentibus vel infirmis destinatam. — Quod spectat conventus, « jure communi constitutum est, ait Leo XIII (Const. *Romanos Pontifices*, 8 mai 1881), ut domus quæ sodales sex religiosos, quorum quatuor sint sacerdotes, non capiant, in potestate Episcoporum omnino esse debeant » Hæc tamen necessitas 6 religiosorum ad fruendum exemptione non attingit residentias missionum. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. X. — Bened. XIV, Const. *Impositi nobis*, 27 febr. 1747. — Instructio C. Episc. et Reg., 10 jul. 1901. — (4) Conc. Trid., sess. VII, cap. VIII. — (5) Conc. Trid., sess. XXIV, *de Ref.*, c. I. — Const. *Apost. Sedis*, Excom. R. Pont. simpl. reserv., XIV.

bonorum quæ sunt exclusive propria regularium, regimen collegii juvenum rite erecti cum licentia Episcopi, modum vivendi, officia, promotiones, etc., nequit Episcopus se immiscere ; nec prohibere potest ne regulares suæ diœcesis per seipsos mendicent.

587. — IV. Regularibus concessum fuit jus sibi eligendi *privilegiorum conservatores*, qui jura Ordinis in diœcesi tueantur. Conservatores eliguntur ex judicibus synodalibus ; si vero synodus diœcesana nullos judices designaverit, regulares in difficultatibus occurrentibus confugiunt ad Episcopum aut ad S. Pontificem.

Præterea, SS. Pontifices consueverunt assignare singulis Ordinibus et Congregationibus religiosis Cardinalem *protectorem* (1).

§ 2. — *Habilitas regularium ad munia ecclesiastica* (2).

588. — I. Regularium habilitas ad officia clericorum in genere constat ex SS. Patrum traditione, ex Ecclesiæ praxi et legibus, et ex bulla *Auctorem fidei*, qua Pius VI errores synodi Pistoriensis damnavit. Non novus est, sed sæpe confutatus, error eorum qui contendunt statum religiosum a clericorum muniis alienum esse.

II. In specie, *Munus parochiale non repugnat statui religioso.*

Prob. 1° *ratione*, ex natura muneris parochialis et status religiosi ; votis enim et perfectioni manifeste non repugnat, quod religiosus deputetur ad ministrandum ex officio verbum Dei et sacramenta populo sibi assignato. — 2° *Auctoritate*, ex praxi Ecclesiæ et Concilio Tridentino (3).

Plures quidem parochiæ olim fuerunt monasteriis unitæ ; sed Conc. Tridentinum, nihil mutans circa uniones jam existentes, alias in posterum absque licentia S. Sedis fieri prohibuit (4).

Ex jure communi antiquo, beneficia curata sæcularia regularibus conferri poterant personaliter. Ex jure hodierno, cui suffragantur decisiones Congregationum romanarum, id fieri nequit sine dispensatione pontificia, saltem quoad religiosos votorum solemnium (5).

III. Regulares sine indulto S. Pontificis non obtinent beneficium sæculare, etiam simplex, v. g. canonicatum. Possent quidem esse Vicarii generales ; sed praxis invaluit ut Episcopi ad hoc facultatem postularent a Congregatione Episcoporum et Regularium.

IV. Regulares possunt ad gradus academicos promoveri, et docere in publicis scholis, nisi obstet votum aut regula specialis ; sed eorum libri edi nequeunt sine approbatione tum Episcopi, tum superioris regularis.

V. Regulares possunt, sicut sæculares, assumi ad episcopatum, cardinalatum et summum Pontificatum, ut innumeris constat exemplis.

§ 3. — *Jus regularium ad sacrum ministerium exercendum* (6).

589. — Supposita potestate Episcoporum in exemptos quoad munia erga

(1) Cf. Bouix, *de regul.*, t. II, p. 157-173. — (2) Bouix, *de Regularibus*, pars V. — (3) Conc. Trid., sess. VII, cap. VII. — (4) Ibid., sess. XXIV, cap. XIII. — (5) Const. Leonis XIII, *Romanos Pontifices* (1881). — Const. Bened. XIV, *Cum nuper*, 8 nov. 1751. — (6) Pii VI bulla *Auctorem fidei* (prop. 80). — Clementis X Const. *Superna*.

sæculares obeunda, quæritur *an regularibus, licet idoneis, possit Episcopus facultatem prædicandi et confessiones fidelium audiendi denegare.*

Juxta quosdam, ubi sufficiens adest clerus sæcularis, Episcopo liberum est impedire ne regulares exerceant sacrum ministerium, quod ad illos non spectat nisi accidentaliter. — Contra quos sit

Propositio : *Potest quidem Episcopus regulares a sacro ministerio arcere ex eo quod ipsos non idoneos repererit, non autem ex eo quod clerus sæcularis sit sacris muniis obeundis sufficiens.*

Prob. 1° *Ex missione* quam regulares a S. Sede accipiunt. — Tria constant, quibus patet vis argumenti : 1° Religiosi ordines a S. Sede missionem habent ad sacrum ministerium exercendum, siquidem approbatur eorum vita activa; — 2° Hæc potestas regularibus ab Ecclesia conceditur, sub sola conditione quod ab Ordinario assensum obtineant ad prædicandum et confessiones audiendas; — 3° Episcopus proinde approbationem non alia de causa denegare potest, nisi quia regulares revera non essent idonei.

Prob. 2° *Ex Bulla* Clementis X *Superna :* « Non potest Episcopus generatim prohibere regularibus quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent. Sine rationabili causa contradicere non debet... Religiosi qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque absque limitatione temporum, locorum aut personarum, in diœcesi propria sunt admittendi. Confessiones audiendi facultas omnibus simul unius conventus regularibus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest. »

§ 4. — *Jus parochorum erga regulares* (1).

590. — Parochus impedire nequit ne novus erigatur conventus, ne regulares Missam ante parochialem celebrent, vel eadem hora qua ipse prædicent, vel campanas pulsent qualibet hora, excepto sabbato sancto, in quo exspectanda est pulsatio campanarum majoris ecclesiæ; ne fideles præcepto missam audiendi satisfaciant in ecclesiis regularium; ne regulares Eucharistiam distribuant, excepto die Paschatis ; ne regulares approbati per totum annum confessiones etiam infirmorum audiant. Potest autem illos ab officio patrini et matrinæ in baptismo arcere, ob prohibitionem illud exercendi, etiam per procurationem, qua ligantur quilibet regulares(2).

Ex regula generali, regulares non possunt processiones extra claustrum ducere, nisi per Octavam Corporis Christi, vel de Episcopi licentia.

ARTICULUS V

DE REGIMINE REGULARIUM

Huc spectant : 1. Regimen regularium in genere ; — 2. Conditio quorumdam institutorum religiosorum.

§ 1. — *Regimen regularium in genere.*

Notio regiminis regularium complectitur : — 1° naturam potestatis qua reguntur ; — 2° subjectum in quo residet ; — 3° illius objectum.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. IV. — (2) Ferraris, v° *Baptismus*, art. 6.

I. — De natura potestatis qua Ordines religiosi reguntur (1).

591. — I. In Ordinibus religiosis, distingui debent potestas dominativa et jurisdictio in foro externo simul et interno. — Potestas *dominativa*, quæ vocatur etiam *domestica*, *œconomica* et *paterna*, est jus competens religioni et superioribus imperandi religiosis; orta est radicaliter a voluntate profitentium, qui se donant Ordini cum promissione et obligatione obediendi superioribus suis, juxta regulas et constitutiones Ordinis, quibus definitur objectum voti obedientiæ. — *Jurisdictio* est potestas spiritualis, simul *legifera*, *judiciaria* et *coercitiva*, ad claves Ecclesiæ pertinens, et a Christo derivata per S. Pontificem et Episcopos.

592. — II. Potestas dominativa necessario adest in *quolibet Ordine*, et competit *cuilibet superiori*, utpote effectus necessarius voti obedientiæ et traditionis qua religiosus se Deo et Ordini mancipat. Status religiosus esse potest cum sola potestate dominativa intra ipsum Ordinem existente, ut patet sive ex monasteriis monialium, quæ subjiciuntur abbatissæ ut matri, quamvis non habeat in ipsas jurisdictionem spiritualem, cujus est incapax; sive ex antiquis monasteriis, quæ fuerunt instituta sine speciali jurisdictione, antequam praxis invaluisset exemptionis; sive exemplo familiæ naturalis.

593. — III. Contingere nequit quod nemo habeat in religiosos jurisdictionem. Etenim status regularis est ecclesiasticus; unde, eo ipso quod aliquis ordo religiosus constituitur, statim subjicitur jurisdictioni spirituali pastorum Ecclesiæ, atque singuli conventus alicui Ordinario subsunt. — In Ordinibus exemptis, Ordinarii sunt Prælati regulares, qui conventibus præsunt, et jurisdictionem habent ex privilegio. Dicuntur et sunt *Prælati*, quia ipsis competit jurisdictio spiritualis ordinaria etiam in foro externo, et possunt generaliter erga suos subditos quod Episcopi erga diœcesanos; unde dicuntur habere jurisdictionem quasiepiscopalem. In non exemptis, jurisdictionis potestas ab Episcopo exercetur et communicatur.

II. — De subjecto in quo residet potestas regendi Ordines religiosos (1).

594. — I. *Quinam sint prælati regulares ?* — Ordinum Superior generalis, provinciales et singulorum conventuum superior localis, sunt prælati, cum habeant jurisdictionem ordinariam in utroque foro in toto Ordine, vel in provincia, vel in conventu cui præficiuntur. *Generalis* est prælatus supremus; *provincialis*, prælatus medius; *superior conventualis*, prælatus infimus. — Variis nominibus vocantur, juxta diversa statuta Ordinum, v. g. abbas, præpositus, magister, prior, minister, rector, custos, guardianus, etc.

Prælati regulares sunt *perpetui* vel *temporales;* sed controvertitur an magis expediat superiorum regularium stabilitas aut instabilitas. — Sunt *infulati* vel *non infulati*. Infulati sunt perpetui abbates, qui consueverunt benedici, ut videre est in Pontificali, ritu solemni, qui similis est consecrationi Episcoporum. Hi suis subditis regularibus minores ordines conferunt, benedicunt solemniter, gestant insignia episcopalia, v. g. mitram et

(1) Bouix, *de Regularibus*, pars VI, sect. I, cap. I. — (2) Suarez, *de Religione*, t. IV, tract. 8.

baculum. Eorum potestas dimanat ex triplici fonte, videlicet ex benedictione, ex legibus Ecclesiæ et votis subditorum. Non infulati vero, etiam perpetui, carent potestate quæ oritur ex benedictione.

In congregationibus quæ exemptionis privilegio non fruuntur, superiores, generatim loquendo, non sunt prælati, seu non habent potestatem jurisdictionis, sed tantum dominativam.

595. — II. *Quomodo constituantur prælati regulares?* — Constitui possunt per nominationem S. Pontificis. Extra hunc casum, primi superiores Ordinum constituuntur per electionem, quæ fit per modum scrutinii secreti, in Capitulo seu conventu generali, ad quod appellandi sunt omnes qui ex statutis jus eligendi seu vocem activam habent et non sunt impediti. Requiritur autem ut eligendus, 1° sit professus in eodem Ordine, 2° attigerit ætatem 25 annorum, 3° nulla censura vel irregularitate sit irretitus. — Electionem sequitur confirmatio, et quandoque benedictio, juxta cujusque Ordinis statuta.

Prælati inferiores constituuntur juxta regulam, vel per electionem, vel a prælato generali, sive solo, sive cum assensu Capituli.

596. — III. *Capitulum regulare*, quo temperatur et firmatur auctoritas superiorum, est conventuale vel generale, et celebrari debet juxta statuta Ordinis. Jamvero, tres saltem requiruntur monachi, ut constituatur conventuale monasterii capitulum ; et pariter tria saltem in aliqua congregatione requiruntur monasteria, ut ex eorum deputatis coalescat generale vel provinciale capitulum. Capitulo supplet in quibusdam Ordinibus et Congregationibus Consilium, in quo interveniunt *definitores*, *assistentes*, vel alterius nominis *consultores* seu consiliarii, sine quorum consensu aut consilio certa negotia expediri nequeunt. — Præter Capitulum, monasteriorum *frequens visitatio* regulam tuetur (1). Jus autem et officium visitandi tum personas, tum loca et res, oritur ex jurisdictione in foro externo, et ideo propriis prælatis exclusive competit.

III. — De objecto potestatis apud regulares (2).

597. — I. Superiores possunt præceptis suis subditos in conscientia obligare. Hoc jus non tantum ex jurisdictione prælati, sed etiam ex voto obedientiæ et sui traditione ortum, coarctatur ad ea quæ sunt regulis conformia. Quoad plura, potestas jurisdictionis, utpote quasiepiscopalis, major est potestate dominativa; sed utraque ad eumdem actum concurrere potest, v. g aliquid præcipiendo in virtute obedientiæ et simul sub pœna censuræ.

598. — II. Ordinum generales, saltem cum Capitulo totius Ordinis, possunt condere statuta perpetua, quæ rationem et vim legis habeant. Nova statuta omnes obligant, si regulam firment; illa vero quæ ne indirecte quidem ad regulam reducuntur, non obligant antea professos.

599. — III. Si partes accidentales regulæ ex privilegio vel legitima consuetudine obsoleverint, professi cogi non possunt ad veterem austeri-

(1) Conc. Trid. sess. XXI, *de Reform.*, c. VIII, et sess. XXV, *de Regul.*, c. VIII et XX. — (2) Bouix, *de Regularibus*, pars VI, sect. I. cap. III.

tatem, quia regulam non voverunt nisi mitigatam. Secus dicendum, si essentialia negligantur, si cum præsenti observantia pauci ad perfectionem tendant, si votorum obligationes contemnantur, vel fideles scandalizentur. Tunc enim jure merito ad antiquam regulæ observantiam omnes professi cogi possunt, quia eam implicite voverunt, cum obligationem tendendi ad perfectionem professione assumpserunt.

IV. — Superiorum est bona temporalia nomine Religionis acquirere, jam acquisita administrare, ea in judicio et extra judicium tueri, atque juxta sacros canones et mentem Instituti dispensare.

§ 2. — *Conditio quorumdam institutorum religiosorum.*

Dicemus : 1° de monialium regimine: — 2° de regimine institutorum religiosorum vota simplicia profitentium; — 3° de aperitione conscientiæ.

I. — De monialium regimine (1).

Præter ea quæ Ordinibus virorum et mulierum communia sunt, aut supra dicta fuerunt de monialium vocatione et clausura, quædam exponenda remanent.

600. — I. *Superiorissæ potestas et electio.* — Ex sententia communi, superiorissæ monialium, sive abbatissæ, sive priorissæ, sive alio nomine nuncupentur, non sunt capaces spiritualis jurisdictionis, cum soli viri ad regimen Ecclesiæ a Christo vocati sint, sed habent tantum potestatem dominativam ; ideo leges ferre non possunt, sed mera præcepta.

Hæc servantur in electione superiorissæ (quocumque nomine appelletur) : — 1. Requiritur ætas quadragenaria et professio expressa facta ab octo annis; aut, si nulla hujusmodi idonea in monasterio reperiatur, nec ex alio ejusdem ordinis monasterio videatur superiori eligi posse, eligatur ex eis quæ annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint. — 2. Electio fit a professis, juxta statuta Ordinis, suffragio secreto, sæpe sæpius ad tempus determinatum, et consentiente seu confirmante Episcopo vel alio superiore, qui electioni præest extra claustra, ante cancellos singularum monialium vota audiens vel accipiens (2).

601. — II. *Visitatio canonica* dicitur actus quo legitimus prælatus monialium, juxta canones et regulas Ordinis, inquirit statum monasterii, corrigit excessus et opportunis mediis bonum promovet. Fieri debet singulis annis.

Visitator monialium est proprius earum superior, vel ejus delegatus. Ideo, si moniales non sint exemptæ, visitatio fit ab Ordinario diœcesis; si sint exemptæ, nec ipsis a S. Sede præficiatur superior, visitat eas Episcopus tanquam S. Sedis delegatus; si autem sint prælatis regularibus subjectæ, eas visitare debet prælatus regularis; at simul, ratione clausuræ papalis, eas visitare potest Episcopus, tanquam Sedis apostolicæ delegatus (3).

(1) S. Alph., lib. IV, 59-64. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. IV. — (2) Conc. Trid., sess. XXV, *de Regul.*, cap. VII. — (3) Ibid., cap. V et IX.

Visitatio canonica est igitur totalis vel partialis. Totalis respicit omnia quæ bonum conventus promovere possunt, ipsamque clausuram ; visitatio vero partialis circa clausuræ observationem exclusive versatur. — Modum perficiendi visitationem præscribunt tum statuta cujusque instituti, tum Const. *Felici*, Alex. VII, 10 oct. 1664 (1).

602. — III. *Confessarius.* — Presbyter simpliciter approbatus, etiam regularis, non censetur approbatus ad audiendas confessiones monialium, quæ nequeunt confiteri nisi confessario specialiter approbato, excepto casu quo *per accidens* extra monasterium versantur. — Si non subsint regularibus, Episcopus simul dat confessariis earum jurisdictionem et approbationem ; si autem ipsis subsint, jurisdictio datur a prælato regulari, approbatio ab episcopo. — Pro singulis monialium monasteriis unus confessarius maturæ ætatis deputatur ad triennium ; quo elapso, non potest iterum deputari sine licentia S. Pontificis, qui ad tertium aut ulterius triennium solet requirere suffragia secreta monialium quæ capitulo intersunt. Ad audiendas confessiones in communitatibus mulierum non deputandus est Vicarius generalis, maxime si earum superior sit vice Episcopi ; neque parochus, si cura parochiæ inde detrimentum patiatur. — Bis aut ter saltem in anno monialibus deputatur confessarius extraordinarius, cui singulæ se sistere, non vero confiteri peccata tenentur (2). Imo iste vel alius idoneus, postulante moniali, aliquando vocandus est, ne forte pereat aut languescat anima opportuno destituta auxilio. — Si Episcopus aut superior regularis confessarium extraordinarium deputare negligeret, Major Pœnitentiarius suppleret negligentiam Episcopi, et Episcopus negligentiam superioris regularis.

In Gallia, pro communitatibus mulierum Episcopi confessarios specialiter approbare solent, et statutis temporibus extraordinarios eis concedere, ad instar monialium vere regularium ; nam Benedictus XIV enixe hortatur ordinarios, ut disciplinam Tridentinam servent erga omnes feminas collegialiter viventes, unumque designatum habentes confessarium (3). — V. infra, n. 607, IV.

603. — IV. *Religiosæ feminæ sine clausura.* — Non obstante constitutione S. Pii V, qui jusserat tertiarias in congregatione viventes vel vota solemnia emittere et clausuræ se subjicere, vel novitias deinceps non recipere (4), plurimæ sub auctoritate Episcoporum ortæ sunt et ubique diffunduntur congregationes *Tertiariarum* et aliarum feminarum religiosarum, sine clausura et votis solemnibus viventium in *conservatoriis*, aliorumve nominum conventibus. Istæ congregationes, vi diuturnæ et universalis consuetudinis, jure communi hodie sunt toleratæ, non autem approbatæ. Sunt toleratæ, nam variæ facultates ipsis a S. Pontifice conceduntur ; sed non sunt approbatæ, quamdiu non sunt canonice erectæ per litteras apostolicas.

Quando petitur a S. Pontifice approbatio alicujus Instituti hujusmodi, sic procedi solet (5) : primo *laudatur finis* Fundatoris vel Instituti ; pos-

(1) Ferraris, v° *Moniales*, art. 3, et v° *Episcopus*, art. 6, n. 100. — (2) Conc. Trid. sess. XXV, *de Regul.*, cap. X. — (3) Constit. *Pastoralis curæ*, 26 aug. 1748. — (4) Const. *Circa pastoralis* (1566). — (5) Cf. Normas procedendi a S. Cong. Episc. et Reg. editas anno 1901.

tea, post congruum tempus, decretum *laudis* conceditur *Instituto*, et aliquando decretum *approbationis*, præsertim si constitutiones præ se non ferant graves difficultates. *Constitutiones* autem non *approbantur* definitive, nisi satis diuturnum præcesserit experimentum (1).

II. — De regimine institutorum religiosorum vota simplicia profitentium.

604. — Leo XIII, per const. *Conditæ*, 8 dec. 1900, quæ pertinent ad regimen institutorum religiosorum vota simplicia profitentium, sic determinavit et sancivit :

« Duplex familiarum religiosarum utriusque sexus vota simplicia profitentium est ratio : aliæ, quæ episcoporum solummodo approbationem nactæ, ob eam rem diœcesanæ appellantur; aliæ vero, de quibus præterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.....

Ad diœcesanas consociationes quod attinet, ex una inductæ sunt atque vigent antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quæstio de cæteris oritur, quæ Apostolicæ Sedis comprobatione sunt auctæ. Quia nimirum in diœceses plures propagantur, eodemque ubique jure, unoque utuntur regimine ; ideo episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicæ consueta in ejusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam congregationem approbari ut piam societatem votorum simplicium, sub regimine moderatoris generalis, salva Ordinariorum jurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.....

Concordem atque unanimem præsidum congregationum atque episcoporum auctoritatem esse oportet... Id autem ut plene fiat, duo præscriptionum capita edicere visum est: alterum de sodalitatibus quæ Sedis Apostolicæ commendationem vel approbationem nondum sunt assecutæ ; alterum de cæteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

605. — Caput primum hæc habet servanda :

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in diœcesim recipere, quam leges ejus constitutionesque cognorit itemque probarit ; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum justo jure fundabitur, nisi annuente probante episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta, quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia præditi, an studio divinæ gloriæ, suæque et alienæ salutis præcipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de

(1) Moderna jurisprudentia S. Cong. et Reg. est non committere uni superiori generali regimen Congregationum piarum feminarum, easque subjicere Ordinariis respectivis, salvis tamen juribus quæ superiorissæ generali tribuunt statuta et praxis cujusque congregationis. Nihil tamen mutari voluit in regimine Institutorum quæ ex voluntate sui Fundatoris vel longæva praxi pendent ab auctoritate unius superioris generalis, salva jurisdictione spirituali Ordinariorum, quales sunt societates *Puellarum Caritatis* et *Filiarum Sapientiæ*. (S. C Ep. et Reg. 15 april. 1891 et 2 jun. 1893.) — Hujusmodi congregationibus a S. Sede consuevit deputari *Cardinalis Protector*, cujus est providere gravioribus exsurgentibus difficultatibus, juxta deputationis suæ tenorem.

jam approbatis, quæ actionis institutum profiteatur adsimile.— Nullæ fere, ni forte in Missionum regionibus, probentur sodalitates, quæ, certo proprioque fine non præstituto, quævis universe pietatis ac beneficentiæ opera, etiamsi penitus inter se disjuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quæ reditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia quæ stipe collatitia vivant; item muliebres familias quæ ægrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quæ autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in ædibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui sororum cura atque opera ægrotantes leventur; ejusmodi proposita episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Præterea episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quævis diœcesana ad diœceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem diœcesanam si ad diœceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum episcoporum consensu, quorum in diœcesibus ædes habeat.

VI. Semel approbatæ sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus episcopis quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos episcopis, in sua cuique diœcesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quæ, probatione expleta, emissuræ sint vota, episcopus singulatim certior fiat: ejusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum diœcesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis æque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendæ perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione jus alienum lædatur; lædetur autem, si insciis moderatoribus id fiat justeque dissentientibus.

IX. Antistitæ, ex constitutionum jure, a sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis præerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiæ officio.

X. Diœcesanæ cujusvis sodalitatis domos episcopus invisendi jus habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de œconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus episcoporum est, pro sodalitatibus diœcesanis pariter ac pro cæteris: id quod in capite consequenti (n° 8) explicate præfinitur.

606. — Alterum præscriptionum caput, de sodalitatibus quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit, vel institutum commendavit aut approbavit, hæc habet servanda :

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota

admittere, partes sunt præsidum sodalitatum; integra tamen episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (1), ut, cum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Præsidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quæcumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quæ ad universam sodalitatem pertinent, tum quæ in domibus singulis exercentur, conventus seu capitula, et consilia propria jus habent. In muliebrium autem sodalitatum conventibus ad munerum assignationem, episcopus, cujus in diœcesi habentur, per se vel per alium præerit, ut Sedis Apostolicæ delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quæ probatæ a Sede Apostolica, nemini episcoporum jus datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universæ sive familiarum singularum, ac constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt jura, in diœcesi cujusque sua permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quæ publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum hujusmodi si clausura episcopali utantur, episcopis jura manent integra, quæ de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quæ autem clausura, ut inquiunt, partiali utantur, episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnæve sodalitatum harum, ad forum internum quod attinet, episcopi potestati subsunt. In foro autem externo, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quæ non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque cæteras, quas antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos episcopus, etsi in diœcesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus : ut a moderatoribus quisque suis proponantur ; ut quæ a jure sacro sancita sunt de litteris dimissorialibus vel testimonialibus, sint rite impleta ; ut titulo sacræ ordinationis ne careant, vel certe eo legitime eximantur ; ut theologiæ studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum 4 novembris anno 1892.

VII. In sodalitates quæ mendicato vivunt ea episcopis stent jura quæ habet decretum *Singulare quidem*, a sacro Consilio episcopis et religiosorum ordinibus præposito promulgatum die 27 martii anno 1896 (quo prohibetur ne mendicent religiosæ personæ absque licentia scripta sui episcopi et Ordinariorum locorum, et cautiones opportunæ statuuntur).

VIII. In iis quæ ad spiritualia pertinent, subduntur sodalitates episcopis

(1) Sess. XXV, c. 17, *de Regul.*

diœcesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curæ*, a Benedicto XIV decessore Nostro editæ, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio episcopis et religiosorum ordinibus præposito, die 17 decembris anno 1890 ; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum quibus sodalitia singula potiuntur administratio penes moderatorem supremum maximamve antistitam eorumque consilia esse debet ; singularum vero familiarum reditus a præsidibus singulis administrari oportet, pro instituti cujusque legibus. De iis nullam episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certæ domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam, horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad episcopum, eique se omnino debeat obnoxium : ita nimirum ut neque præposito, neque antistitæ sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet ; idem ne sortes minuantur, reditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum ædibus instituta curanda adjecta sint, uti gynæcea, orphanotrophia, valetudinaria, scholæ, asyla pueris erudiendis, episcopali vigilantiæ ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis quæ collegiis, scholis, institutisve ejusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, episcopis cujusque diœcesis jus est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum pœnitentiæ, de iisque opportune statuendi jubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re œconomica uni præsides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, æque ac virorum qui sacerdotio abstinent, episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta æqua stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid episcopus forte offenderit, ne decernat illico : moderatores uti prospiciant moneat ; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quæ tamen majoris momenti occurrant quæ moram non exspectent, decernat statim : decretum vero ad sacrum Consilium deferat episcopis ac religiosorum ordinibus præpositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, juribus quæ supra diximus utatur suis, quod spectat ad scholas, asyla cæteraque memorata instituta. — Ad rem vero æconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quæ sacris sint attributa, vel loci aut diœcesis incolis juvandis. »

III. De aperitione conscientiæ.

607. — Ad regimen congregationum religiosarum summi momenti est sequens decretum generale, a S. Congr. Episc. et Regul. editum (17 dec. 1890), *de aperitione conscientiæ superioribus haud exigenda, deque juribus confessarii quoad moniales et instituta virorum laicorum.*

« Quemadmodum omnium rerum humanarum, quamtumvis honestæ sanctæque in se sint, ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quæ vota simplicia aut solemnia nuncupant, sire virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiæ manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiæ scrutatio, quæ unice Sacramento Pœnitentiæ reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus, ad tramitem SS. Canonum, præscriptum fuit ut Sacramentalis confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriæ conscientiæ consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiæ norma ut suos subditos rite recteque quoad peculiares pœnitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et hæc per abusionem extensa in id etiam exstitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hujusmodi dispositiones, quæ ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutæ jam fuerant, haut raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externæ pacis turbationem versæ fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniæ passim ad S. Sedem interjectæ evidentissime comprobant.

Quare SS^mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua præstat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in audientia habita a me Cardinali Præfecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præpositæ, die decimaquarta decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, hæc quæ sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

608. — I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum omnimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatæ dispositiones omnino deleantur penitusque expungan-

tur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et præeminentiæ sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ad hujusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragendam ; subditisque e converso præcipit, ut Superioribus majoribus denuntient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denuntiatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Præterea, firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum, quod a Sacrosancto Concilio Tridentino præscribitur in Sess. 25, Cap. 10, *de Regul.*, et a S. M. Benedicto XIV statuitur in Constitutione quæ incipit : *Pastoralis curæ*, Sanctitas Sua Præsules Superioresque (qui domui præsunt, sive viri, sive fœminæ), admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium (ab ipsis subditis eligendum inter deputatos ab Ordinario (1), quoties ut propriæ conscientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento pœnitentiæ recurrere eæ facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones duntaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit.

(1) S. Cong. Episc. et Reg. (17 aug. 1891). Respondit etiam (1 febr 1892) moniales non posse confessario extraordinario constanter uti, quin unquam confessarium ordinarium adeant; confessarios adjunctos teneri in conscientia ad declinandam auditionem confessionum sororum, si quando cognoscant non esse probabilem causam ad eos recurrendi; et episcopum intervenire debere, si quædam sorores constanter ad aliquem e confessariis adjunctis recurrant, eas monendo dispositionem art. IV decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus duntaxat veræ et absolutæ necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a Conc. Trid. et a Const. Bened. XIV, *Pastoralis curæ*, præscriptum habetur, nempe ut pro singulis monialium monasteriis unus duntaxat confessarius deputetur.

Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianæ communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur (1); quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra, sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent, sub pœnis contra Superiores Apostolicæ Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis

VIII. Denique mandat, ut præsentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus prædictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore, in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus (2). »

TITULUS III

De Laicis

Laici constituunt populum christianum, qui, ratione status, ad communium tantum præceptorum observantiam tenetur. Considerari possunt singillatim, et prout certa collegia efformant.

CAPUT I

DE LAICIS SINGILLATIM CONSIDERATIS

Dicendum : 1° de ingressu in Ecclesiam; — 2° de officiis et juribus laicorum; — 3° de morte christiana.

ARTICULUS I

DE INGRESSU IN ECCLESIAM

Ecclesia sollicite invitat infideles ad veram Fidem suscipiendam, eamque amplecti volentes amanter recipit, baptismum eis conferendo. Quare dicemus : — 1° de infidelibus ad veram Fidem vocandis; — 2° de baptizandis.

(1) Ex declaratione S. Officii (2 jul. 1890) hujusmodi monitio semel fieri debet ab ipso pœnitente nec responsio superioris necessaria est. Insuper, non præcipitur pro quacumque communione extra dies toti communitati statutos, sed pro communione tantum communiter frequentiori aut quotidiana. — (2) Ex declaratione S. Cong. Episc. et Reg. (15 april. 1891) et ipso tenore decreti, § I et VII, liquet 1° huic subjacere quælibet pia sodalitia mulierum et virorum exclusive laicorum; 2° Superioribus respectivis horum sodalitiorum incumbere publicationem et executionem decreti, salva tamen delegatione apostolica Ordinariorum locorum, in casu negligentiæ Superiorum. Unde, v. g., quoad Puellas Caritatis, in hoc negotio solus intervenire debuit et potuit superior generalis Congr. Missionis, qui simul illarum in toto orbe est superior, ex declarationibus et indultis Pii VII et Leonis XII, confirmatis a Leone XIII (25 junii 1882 et 15 april. 1891).

§ 1. — *De infidelibus ad veram Fidem vocandis* (1).

609. — I. Infideles dicimus eos qui nondum per baptismum Ecclesiæ Christi membra effecti sunt. Eorum societas, *quatenus religiosa*, per se est illegitima et necessario deserenda, ut patet ex tractatu theologico *de Vera religione*. Etenim unica societas religiosa est legitima, nempe, Ecclesia Christi.

Quapropter Ecclesia incessanter prædicat *extra se neminem posse salvari*, et omnibus viribus nititur fidem propagare. Verumtamen, in fide Christi propaganda et novis asseclis sibi comparandis, non adhibet nisi media justa et exemplis ipsius Christi conformia. Propterea vim externam respuit in conversione hominum, quæ necessario debet esse libera.

Cum, jubente Domino, omni creaturæ prædicandum sit Evangelium, inter Eccclesiam et societates infidelium perpetuum est bellum, in quo certatur ab Ecclesiæ ministris per prædicationem, et interdum a christianis nationibus per expeditiones sacras, causa tantum protegendæ prædicationis et liberæ professionis christianismi.

II. Ecclesia solerter distinguit inter errantes sua culpa et errantes citra suam culpam; docet enim infidelitatem mere negativam non esse peccatum. Sed infideles eatenus inculpabiliter resistunt, quatenus sunt in bona fide; ubi vero in dubium devenerint, tenentur ipsa lege naturali veritatem inquirere et eidem cognitæ adhærere.

III. Ecclesia, quamvis tolerantiam dogmaticam aversetur, docet tamen officia caritatis infidelibus exhibenda esse. Verum, ut a catholicis periculum perversionis arceatur, pro temporum diversitate constituit varias normas commercium catholicorum cum dissidentibus, præsertim Judæis, moderantes. Istæ leges, licet ad civilem quoque convictum eatenus referri possint, quatenus iste cum religione cohæret, primario *communionem in sacris* respiciunt.

§ 2. — *De baptizandis* (2).

610. — Baptismus veluti janua est, qua in christianæ vitæ societatem ingredimur; per ipsum enim membra Christi et de corpore Ecclesiæ efficimur. (*Hæc verba sunt Concilii Florentini.*)

Regulis canonicis determinatur collatio baptismi; in quibus seorsim agitur tum de infantium, tum de adultorum baptismo. — Cf. Rituale rom.

611. — I. *De infantibus*. — Ecclesia statuit infantes Judæorum invitis eorum parentibus non esse baptizandos, tum quia id esset contra justitiam naturalem erga parentes, a quibus filii omnino pendent ante rationis usum, tum principaliter quia timendum esset ne in infidelitate educarentur.

Duo tantum casus excipiuntur, in quibus infantes Judæorum et aliorum

(1) *Decretalium* lib V, tit. 6, *de Judæis*. — Pius IX, *Syllabus* complectens præcipuos nostræ ætatis errores, XVI. — Tarquini, *Institutiones juris publici*, p. 77. — Instructio S. C. de Prop. *Super gentium conversione*, 19 mart. 1893. — Encycl., Leonis XIII, 24 dec. 1894, qua commendatur institutum Propagationis fidei. — (2) S. Alph., lib. VI, 121-139. — Benedicti XIV const. *Postremo*. — Gonzalez, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, ad tit. 6, lib. V, *Decretalium*. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, t. II, p. 607. — Berardi, *Commentaria in jus eccles.*, t. IV, p. 58.

infidelium, repugnantibus etiam parentibus, baptizari debent, aut saltem possunt. Prior est, quando ejusmodi pueri versantur in extremo mortis periculo, propter necessitatem salutis tunc urgentem ; alter, quando parvulus a parentibus infidelibus relictus invenitur, propter abdicationem juris paterni.

Si quædam judaica proles in ætate infantili, non consentientibus parentibus vel tutoribus, baptizata fuerit, baptismus, quamvis illicite collatus, validus tamen est et omnes suos effectus, quantum fieri potest, sortiri debet.

Quæ de Judæis dicta sunt, cæteris infidelium infantibus applicantur ; imo regula : nullam prolem invitis parentibus a ministris catholicis esse baptizandam, ad hæreticos quoque et schismaticos sese extendit.

612. — II. *Adulti* ad baptismum tunc admitti possunt, cum rite præparati, et rectis motivis inducti, sponte et libere baptismum postulant.

1. Adulti regulariter quoad baptismum censentur qui septennium compleverunt ; illa enim ætate quisque proprio motu ad baptismum accedere potest.

Diximus *regulariter ;* nam potest contingere ut baptismi petitor, etiam non completo septennio, præditus sit sufficienti rationis usu, ideoque sit baptizandus, licet reluctantibus parentibus. Vice versa, de illo qui septennium jam complevit dubitari potest an doli capax existat, aut in fide satis edoctus sit ; atque tunc sacramentum est differendum.

Ratio cur, non obstante potestate paterna, pueri usum rationis adepti sine parentum consensu baptizari possint, est quia lex divina baptismi paternæ potestati longe prævalet, ac servari debet statim ac nota est.

2. Sua sponte et libere baptismum postulare debent, quia, ut, ait S. Augustinus, *ad fidem nullus cogendus est invitus ;* et Concilium Toletanum IV relate ad Judæos præcipit « Nemini ad credendum vim inferri... Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes. » Item Clemens III hoc principium promulgavit : « Christi fidem habere non creditur, qui ad christianorum baptisma non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire (1). »

3. Motiva denique volentium baptizari exploranda esse, tum per se liquet, tum a Benedicto XIV in constitutione *Postremo* inculcatur.

Rituale romanum statuit : « Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizari (2). »

613. — *Catechumenatus*. — Initio Ecclesiæ, nulla interposita mora, baptismus videtur dari consuevisse, cum cum suscepturus jam satis patefecisset animum pietatis et religionis plenum, fideique mysteria percepisset. Verumtamen, cum experimento plane compertum esset non satis tutam esse fidem eorum qui sine examine baptizati fuerant, institutus est catechu-

(1) S. Augustini ep. ad Vincent., 48. — Decret. Gratiani, can. v, dist. XLV. — *Decretalium* lib. V, tit. 6, cap. IX. — (2) Ex responso S. Officii, 10 maii 1879, pueri usque circiter ad 14^{m} ætatis annum baptizari possunt servato Ordine baptismi parvulorum.

menatus, ut singulorum fides et vita diligenter probarentur. — Habebat autem catechumenatus tres communiter gradus (*audientium*, *genuflectentium*, et *competentium* sive *electorum*), quos singillatim excurrere oportebat, ut ita catechumenus ad fidem et vitam christianam diligenter institueretur. — Nostra ætate, non vigent istæ leges, sed catechumeni servant præscripta superiorum, pro variis Missionibus varia.

ARTICULUS II

DE OFFICIIS ET JURIBUS LAICORUM

§ 1. — *Officia laicorum.*

614. — I. *Ratione fidei* (1), — tenentur fideles fidem in baptismo acceptam et solemniter juratam, inviolatam corde retinere, atque externe aliquando profiteri.

Semper et pro semper horrendum crimen est negatio fidei etiam simulata. Ad professionem fidei quod attinet, professio *ordinaria* fit per actus communes et externos religionis, præsertim quoties illi actus sunt præcepti ; professio *extraordinaria*, quandocumque ad honorem Dei vel ad salutem proximi requiritur.

615. — II. *Ratione participationis sacramentorum* (2), — fideles tenentur in genere officiis publicis assistere et sacramentis Ecclesiæ participare. Ratio est, quia in singulis societatibus membra participant actibus hujus societatis ; atqui vita Ecclesiæ manifestatur publicis actibus religionis. In specie, tenentur sacrificio missæ diebus dominicis et festis assistere, Eucharistiæ sacramentum saltem in Paschate accipere, et sacramento Pœnitentiæ singulis annis se expiare.

616. — III. *Ratione regiminis ecclesiastici* (3), — tenentur fideles suis subesse pastoribus, et præsertim cum Romano Pontifice unitatem servare ; eorumdem pastorum præceptis obtemperare, et omnia Dei et Ecclesiæ mandata observare.

§ 2. — *Jura laicorum.*

Laicis, propter eorum unionem cum Christo et Ecclesia, competunt quædam jura, non quidem relate ad Deum, sed respectu hominum.

617. — I. *Laici jus habent recipiendi subsidia salutis.* — Cum laici, relative ad sacram hierarchiam, constituant Ecclesiam discentem, sanctificandam et regendam, jure divino a rectoribus Ecclesiæ et sacerdotibus sibi præpositis postulant ut triplex potestas Ecclesiæ divinitus collata in salutem animarum et in ædificationem corporis Christi, rite administretur, sicque a fidelibus bona spiritualia percipiantur.

In specie jus habent, — 1. ut doctrinam christianam edoceantur, et contra pericula fidei sollicite muniantur ; — 2. ut sacramenta sibi fideliter

(1) *Decretalium* lib. I, tit. 1 ; lib. V, tit. 7. — (2) Concilium Tridentinum, sess. VII, can. IV. — (3) Audisio, *du droit public de l'Eglise*, liv. I. — Phillips, *Manuale juris ecclesiastici*, 55. — Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. I, tit. I.

administrentur, et sacramentalia præstentur, juxta Ecclesiæ praxim et pias consuetudines ; — 3. ut ad statum clericalem vel religiosum sibi aditus pateat, servatis servandis ; — 4. ut in rebus litigiosis protectionem judicum ecclesiasticorum implorare sibi liberum sit ; — 5. ut generatim omnium jurium participes efficiantur, quæ ex actuali communione Ecclesiæ promanant, v. g. juris sepulturæ ecclesiasticæ.

618. — II. *Laici suas partes conferunt ad Ecclesiam defendendam, sed remote et dependenter.*

1. Respectu *magisterii*, non solum magistri et litterati laici scientias theologicas excolere, infideles et hæreticos scriptis suis convincere, et veritates fidei catholicæ tueri possunt ; sed etiam parentibus incumbit munus instillandi fidem animis filiorum.

Attamen laici non possunt prædicare, et illis interdictum est cum hæreticis de mysteriis fidei disputare, præter casum necessitatis aut evidentis utilitatis.

2. Relatio laicorum ad sacrum Ecclesiæ *ministerium* in eo sese manifestat, ut precibus quas fundunt pro salute Ecclesiæ, pro ordinandis, pro peccatorum conversione, etc., non solum Ecclesiam juvent, sed quoddam sacrificii genus offerant. Id Catechismus romanus ita exprimit : « Fide, quæ caritate inflammatur, in altari mentis suæ spirituales Deo hostias immolant ; quo in genere omnes bonæ actiones quas ad Dei gloriam referunt numerandæ sunt. » Quin etiam, in offerendo missæ sacrificio cooperantur, quamvis actio externa et consecratio a solo sacerdote peragantur (1). Verumtamen sub specie panis tantum communicant, in Ecclesia latina ; item non a se, sed a sacerdotibus, regulariter Eucharistiam sumunt. Laici non exercent ministerium ordinum minorum, neque inserviunt ministris in altari, nisi ex quadam Ecclesiæ tolerantia ; non possunt reliquias aut vasa sacra immediate tangere, neque ista abluere. Dum divina celebrantur, non debent in choro stare, sed eorum loca sunt distincta et a clero separata.

3. In multis etiam, quæ ad *disciplinam* pertinent, laici cooperari permittuntur. Ejus rei argumentum est eorum participatio in administratione peculii ecclesiastici et in provisione quorumdam beneficiorum, cui sæpe præmitti debuit, pro temporibus et locis, sive populi acclamatio, sive præsentatio patroni, sive consensus principis. Imo principibus christianis ampliores favores conceduntur, v. g. Episcoporum nominatio.

Laici vero eligere nequeunt ad dignitates ecclesiasticas, neque ad easdem eligi, quia sunt incapaces tum beneficii, tum jurisdictionis spiritualis, nisi ex speciali Romani Pontificis commissione illis delegetur. Unde ait Innocentius III : *Laicis super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas ; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi* (2).

ARTICULUS III

DE MORTE CHRISTIANA (3)

619. — Mortem christianam alia præcedunt, alia concomitantur, alia

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXII, *de Sacrificio Missæ*, cap. I. — (2) *Decretalium* lib. I. tit. 2. cap. X. — (3) Vide S. Alph., *Hom. apost.*, append. II, *De assistentia erga moribundos.*

subsequuntur. — Illam præcedit tum visitatio et cura infirmorum, tum administratio sacramentorum Pœnititentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis. — Eam concomitantur commendatio animæ et Benedictio Apostolica, cui indulgentia plenaria est annexa, in ipso mortis articulo lucranda. — Illam subsequitur Ecclesiæ sollicitudo, quæ duplici modo exercetur, scilicet, erga defunctorum animas *suffragiis*, et erga eorum corpora *sepulturis;* de quibus hic agendum.

§ 1. — *De suffragiis.*

Paucis præmissis de suffragiis in genere, breviter dicemus de variis suffragiis erga defunctos.

1. — De suffragiis in genere.

620. — I. Suffragia sunt auxilia spiritualia, quibus Ecclesia suis membris succurrit seu suffragatur, in ordine ad satisfactionem pro peccatis remissis.

Triplex distinctio attendenda est : 1. Suffragia dividuntur in *publica* et *privata*. Publica nomine Ecclesiæ offeruntur ab illius ministris; privata sunt pia opera per quæ christiani privatim pro aliis satisfaciunt.

2. Suffragiorum tria sunt genera, videlicet, sacrificium missæ, oratio et opera satisfactoria, quibus accedunt indulgentiæ.

3. Oratio duobus modis animas defunctorum juvat, nempe, per modum satisfactionis, quatenus est opus pœnale, et per modum impetrationis, quatenus est formaliter petitio.

621. — II. Ad valorem suffragiorum requiruntur quædam conditiones, tum ex parte illius cui applicantur, tum ex parte eorum a quibus offeruntur.

In eo cui sunt applicanda, requiritur 1° ut sit suffragiorum capax, id est, debitor pœnæ temporalis et Ecclesiæ membrum ; 2 ut sit in statu gratiæ ; 3° ut culpa, ratione cujus pœnam meretur, eidem jam remissa fuerit.

Ex parte offerentis, requiritur 1° ut qui alium privatis suffragiis per modum satisfactionis juvare vult, sit in statu gratiæ, extra quem non potest satisfacere ; 2° ut opus habeat proportionem cum satisfactione debita ; 3° ut offerens per actionem suam alteri suffragari intendat.

622. — III. Animas defunctorum precibus viventium adjuvari catholica Ecclesia profitetur (1).

Etsi vero non defunctis omnibus, sed solum iis qui peccatis venialibus et reatu pœnæ temporalis decesserunt infecti, prosint orationes nostræ, Ecclesia tamen, quia illos non discernit, merito pro omnibus orat. S. Augustinus his verbis insinuat ad quid proficiant preces nostræ pro mortuis, etiam pro iis quibus non prosunt : « Cum sacrificia pro defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt ; pro non valde malis propitiationes sunt ; pro valde malis, etiamsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. (2) »

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, *Decretum de Purgatorio*. — (2) S. Augustinus, lib. *de Cura pro mortuis*.

II. — De variis suffragiis pro defunctis (1).

623. — I. *Missæ pro defunctis* celebrantur, ut ipsi accipiant in igne purgatorii refrigerium, et inde educti ad cœlestem patriam perducantur.

Quibusdam maxime diebus, juxta regulam liturgicam, offertur sacrificium pro defunctis, nempe, *die obitus*, corpore præsente; *tertia* post obitum die, quia Dominus tertia post mortem die resurrexit; die *septima*, quia Deus hac die ab operibus suis requievit; die *trigesima* et die *anniversario*, propter recurrentem diem et mensem obitus.

624. — II. *Officium defunctorum.* — Non sine causa mater Ecclesia speciale pro defunctis officium instituit. Omnes filios pari complectens amore, postquam Dei beneficia erga viventes debitis gratiarum actionibus prosecuta est, misericordes oculos ad defunctos convertens, eorum spiritus æterno *Regi, cui omnia vivunt*, devota precum solemnitate commendat. Ut istæ animæ, suffragiis nostris adjutæ, in supernam beatitudinem quantocius introducantur, inter preces plurimas Ecclesia invexit defunctorum officium, cujus institutionem antiquissimis temporibus adscribunt rei liturgicæ periti.

Verum, licet consuetudo pro defunctis exorandi apostolicam agnoscat institutionem, incertum est quandonam compositum fuerit defunctorum officium, quale nunc recitatur. Suam ducit originem a nocturnis vigiliis, quæ apud defunctorum corpora in ecclesiis exposita a fidelibus orando et psallendo fiebant.

625. — III. *Altare privilegiatum et indulgentiæ pro defunctis* (2). — 1. Per indulgentiam altari privilegiato annexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligenda est indulgentia plenaria quæ animam statim liberet ab omnibus purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet (3).

2. Ecclesia in gratiam mortuorum indulgentias concedit, sed non eodem modo quo viventibus; nam indulgentia conceditur *vivis* per modum absolutionis, *defunctis* vero per modum suffragii satisfactorii (4).

§ 2. — *De sepulturis* (5).

Sepultura complectitur ritus funebres, jus ad sepulturam sacram, locum sepulturæ, et jus ecclesiæ parochialis.

626. — I. *Ritus sepulturæ* varii sunt, ceu cadaveris lotio, decens compositio et vestitus, usus luminarium, preces et vigiliæ, exornatio funeris, pulsatio campanarum, processio qua defunctus ad ecclesiam defertur, oblatio Sacrificii, oratio funebris et absolutio, cæremoniæ quibus tumulo infertur cadaver; quæ omnia spectant defunctorum refrigerium et honorem, ac simul vivorum solatium et ædificationem.

(1) Catalani, *Rituale romanum commentariis exornatum*, t. I, p. 416. — Cavalieri, *Commentaria in decreta Congregationis Rituum*, t. III, cap. II. — (2) S. Alph., lib. VI, 339, 534, 10°. — Inst. mor., Alph., n. 1743. — (3) S. Cong. Indulg., 28 julii 1840. — (4) Inst. mor. Alph., n. 1729 et seqq. — (5) Rituale romanum, *de Exequiis, de Benedictione et Reconciliatione Cœmeterii.* — Cf. infra, n. 707-710. — *Decretalium* lib. III, tit. XXVIII, *de Sepulturis.* — De Brabandere, *Juris canonici compend.*, pars 2ª, *de Cœmeteriis.*

627. — II. *Jus ad sepulturam sacram.* — Nonnulli sepultura ecclesiastica privari debent juxta canones, adeo ut neque in loco sacro neque adhibitis ritibus sacris sepeliendi sint. Etenim, sepultura christiana est signum communionis ecclesiasticæ, iis tantum competens qui in communione Ecclesiæ moriuntur, nec se indignos hoc honore exhibent. Unde patet a sepultura ecclesiastica excludendos esse tum inhabiles, tum incurrentes pœnam privationis sepulturæ sacræ.

1. Ad primam classem pertinent qui separati ab Ecclesiæ communione vixerunt, et in tali statu ex hac vita migrarunt : « Quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non possumus, » ait S. Leo Magnus (*Epist.* 157). Ideo ecclesiastica sepultura privantur infideles omnes, catechumeni, infantes mortui sine baptismo et e matris utero educti, apostatæ, hæretici, schismatici, excommunicati publici et nominatim interdicti.

2. Ad incutiendum peccati horrorem, ipso jure in loco benedicto et ritu sacro sepeliri prohibentur duellantes qui in singulari certamine interfecti sunt, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa ; suicidæ qui sui compotes mortem sibi intulerunt, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ ; peccatores in actu criminis decedentes ; peccatores publici et notorii, qui in impœnitentia decesserunt ; quicumque ante mortem sacramenta suscipere ex contemptu recusarunt. Casus dubii deferuntur ad Episcopum, qui, perseverante dubio circa insaniam suicidæ aut aliam causam exclusionis a sepultura ecclesiastica, eam concedere potest, sed sine pompa (*S. Officium*, 16 maii 1886). Pariter sine pompa sepeliendi sunt publici excommunicati et peccatores qui resipiscentes decesserunt, sed nondum reconciliati ; et absolute excludenda sunt signa sectæ Massonicæ (*S. Pœn.*, 1885) (1).

628. — III. *Locus sepulturæ.* — Hæc habet Rituale Romanum : « *Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis, retineatur ; et, ubi fieri potest, restituatur. At vero cui locus sepulturæ dabitur in ecclesia, humi tantum detur ; cadavera autem prope altaria non sepeliantur. — Sepulcra sacerdotum et clericorum, ubi fieri potest, a sepulcris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita. — Cæterum, nemo christianus, in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet.* »

Cœmeteria (etymologice *dormitoria*, e quibus mortui ad extremum judicium excitabuntur) sunt loca benedicta ab Episcopo aut ab ejus delegato, ad humanda fidelium cadavera. Alia sunt publica seu communia, alia vero privata, vi tamen legitimæ concessionis benedicta ; item alia sunt contigua ecclesiis, alia seperata. Cupit Ecclesia ea adjacere ædibus sacris, ut efficacius inducantur viventes ad orandum pro mortuis et ad sancte conver-

(1) Detestabilem usum cremandi cadavera damnavit Leo XIII (*Decr. S. Officii*, 19 maii 1886). Attamen, « Quoties agitur de iis quorum corpora, non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciuntur, Ecclesiæ ritus et suffragia adhiberi possunt tum domi, tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto 19 maii 1886, agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani, tit. *Quibus non licet dare sepulturam* » (S. Offic., 15 dec. 1886).

sandum, quoties conveniunt ad sacra officia; sed nullibi id præscribitur. Omnia tamen pariter sunt loca sacra et appendices ecclesiarum — *V. Infra*, n. 707-709.

Regulariter, omnis utriusque sexus fidelis potest, etiam voce tantum aut nutu, sibi sepulturam eligere, modo ecclesia electa ad exequias habeat jus sepeliendi. Hoc jure gaudent ecclesiæ cathedrales, parochiales, Regularium, et aliæ quæ illud usu aut privilegio adeptæ sunt.

Quare etiam uxor, invito marito, et filius puber, quamvis sit in potestate patris, liberam sepulturæ optionem habent. Sed filio impuberi, ob inopiam consilii, pater eligit sepulturam. Similiter neque regularibus professis, qui suo carent arbitrio, licet sibi sepulturam eligere.

Si quis sibi sepulturam non eligit, eam habet in sepulcro majorum, vel, si eo careat, in cœmeterio parochiali vel communi pluribus parochiis. Mulieres autem, si non elegerint sepulturam, cum viris suis sepeliendæ sunt. Regulares humantur in ecclesia aut in cœmeterio sui monasterii, quod ipsis parochiæ loco est; beneficiati vero in ecclesia sui beneficii, nisi a lege residentiæ sint exempti (1).

629. — IV. *Jus parochiale quoad funera* complectitur *jus sepeliendi*, *jus interveniendi* funeribus, et *jus percipiendi* emolumenta.

1. *Jus sepeliendi* parochianos, aliosque intra parochiam degentes, et vagos, regulariter ad parochum pertinet, præter casus exceptos.

2. Etiamsi parochianus alibi et ab alio sacerdote sit sepeliendus, ad parochum spectat funeribus intervenire, corpus e domo levare, et funus ducere usque ad ecclesiam in qua officium ab alio persolvendum est, vel usque ad limites parochiæ. — Quoad peregrinos alibi sepeliendos, nullum jus habet.

3. Jus parochi quoad emolumenta ex funeribus provenientia, duplex distinguitur, nempe, jus ad certam *oblationem* probata consuetudine aut taxa episcopali institutam, dum fidelis in parochiali cœmeterio sepelitur; et jus ad *quartam funeralem* seu *portionem canonicam* et *jus redemptionis*, dum parochianus alibi sepultura donatur (2).

Hæc portio parochialis, desumpta ex omnibus emolumentis quæ ratione funeris alteri ecclesiæ obvenerunt, jure ordinario est quarta pars oblationum. Verum, vi privilegii, consuetudinis aut statuti, potest cessare aut esse diversa, scilicet, major vel minor quarta parte (3).

4. Regulares apud quos sæculares sepulturam eligunt, sicut parochi tenentur se conformare taxæ diœcesanæ aut probatæ consuetudini.

CAPUT II

DE COLLEGIIS LAICORUM

630. — Præter singulas laicorum personas, Ecclesia in sinu suo continet personas morales, quæ finem specialem præ se ferunt, et subsisten-

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, diss. VI, cap. III. — (2) Decret. l. V, *de Simonia*, cap. 42, *Ad Apostolicam*. — De Brabandere, *Juris canonici compendium*, n. 766. — (3) Giraldi. *de Parocho*, pars III, cap. XXV.

tiam seu personalitatem religiosam quodammodo habent, ita ut fini supremo Ecclesiæ quoad omnia respondere debeant. Ex qua connexione cum universa Ecclesia infertur ejusmodi collegia, quatenus in jure canonico considerantur, nonnisi interveniente auctoritate ecclesiastica erigi posse, ejusdemque inspectioni et protectioni subesse.

Hujusmodi collegia laicorum sunt triplicis generis, nempe, *scholæ*, *confraternitates et hospitalia*.

ARTICULUS I

DE SCHOLIS (1)

Dicemus : 1° de scholis in genere ; — 2° de variis scholarum speciebus.

§ 1. — *De scholis in genere.*

631. — I. Religio christiana novam cognitionum divinarum ac etiam humanarum lucem mundo invexit. Unde statim ac fides catholica firmas radices in orbe egit, passim scholæ christianæ seu studiorum sedes florescere cœperunt. Teste historia, Ecclesiæ semper proprium est prædicationi verbi Dei adjungere scientiarum subsidium et litterarum cognitionem, nec unquam destitit scholas erigere, eisque ad normam suæ doctrinæ compositis invigilare.

Verum, recentiori ætate, Politici nituntur studiorum, maxime sæcularium, directionem Ecclesiæ adimere.

632. — II. *Jus Ecclesiæ erga scholas* in duobus consistit :

1. Ad Ecclesiam spectat tradendæ doctrinæ sacræ rationem determinare ; nam, ex voluntate Jesu Christi, illius est de recta fide decernere et homines credenda docere. Hinc ad ipsam pertinet magistrorum deputatio, librorum electio et disciplinarum ordinatio, in iis quæ tradendam doctrinam sacram respiciunt.

Inde tria inferuntur : 1° potestas civilis nequit independenter ab Ecclesia facultates sacræ theologiæ et juris pontificii instituere vel regere ; — 2° clericorum institutio, etiam in minoribus seminariis, ecclesiasticæ potestati subjicitur (2) ; — 3° sæcularium juvenum scholæ, quoad religiosam institutionem, Ecclesiæ regimini subjacere debent.

2. Litteraria etiam ac scientifica juventutis institutio aliquatenus Ecclesiæ auctoritati subesse debet, quantum nempe satis est ut in tuto sit religiosa ejusdem juventutis informatio. Ratio est, quia magistri, libri et vivendi norma, religioni communiter per se vel ex adjunctis favent aut nocent ; atqui scholæ subjiciuntur ecclesiaticæ auctoritati, saltem in iis quæ cum religione connexa sunt (3).

633. — III. Pius IX sequentes propositiones damnavit :

« Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christiana alicujus reipublicæ instituitur, potest ac debet attribui auctoritati civili. »

« Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ quæ patent

(1) Cf. Jansen, C. SS. R , *De facultate docendi*. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XIII, cap. XVIII. — Leonis XII Breve ad Archiepiscopum Lugdunensem, die 15 novembris anni 1828. — (3) Clementis XIV Breve *Magnopere*. ad Episcopum Vilnæ (18 decembris 1773).

omnibus pueris, ac publica universim instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, plenoque civilis auctoritatis arbitrio subjiciantur. »

« Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta (1). »

§ 2. — *De variis scholarum speciebus.*

Distinguuntur : 1° scholæ elementares; — 2° scholæ secundariæ; — 3° universitates.

I. — De scholis elementaribus.

634. — I. Jam antiquitus pastores Ecclesiæ curam suam institutioni puerorum applicuerunt. Hujus rei specimen præbent scholæ minores apud monasteria et capitula, atque etiam ruri erectæ. Præceptum siquidem erat, ut cuivis parocho clericus adjungeretur, qui eumdem in sacris functionibus adjuvaret, puerosque in scholis informaret. Cum, labentibus sæculis, ex neglectu scholarum ignorantia et morum corruptela in populo deprehendebatur, a diversis Conciliis cautum est ut illæ ubique per civitates et pagos instituerentur. In commodum eorum qui, ob labores corporales, a frequentatione earum detinebantur, scholæ dominicales adjunctæ sunt. Omnes istæ scholæ ratione visitationis et inspectionis obnoxiæ erant superioribus ecclesiasticis, a quibus etiam ludimagistri assumendi examinabantur.

II. Ecclesia, quæ a Christo jussa est omnes in viam salutis dirigere, non potest non fovere cum summa pietate teneræ juventutis tam in fidei quam in litterarum rudimentis institutionem, christianamque educationem. Ipsa merito scholarum mater censetur, non solum quia scholis christianis ortum dedit, sed etiam quia illius est continuo affectu eas prosequi, et fidei spiritu imbuere ac nutrire (2).

« Cum populares scholæ, ait Pius IX, ad populum religiose formandum, ejusque pietatem fovendam, sint præsertim statutæ, idcirco omnem Ecclesiæ curam, sollicitudinem et vigilantiam, sibi merito semper vindicarunt. Ac propterea consilia conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiæ potestatem, proficiscuntur ex studio extinguendi in populis divinum fidei lumen. Quocirca Ecclesia, quæ easdem fundavit scholas, summa cura eas semper est prosecuta, illasque veluti potiorem suæ auctoritatis partem consideravit (3). »

II. — De scholis secundariis.

635. — I. Earum quoque scholarum in quibus litteræ humaniores traduntur, institutio et cura olim ad Ecclesiam pertinebat, ipsæque pariter apud monasteria (4) et canonicorum collegia constitutæ erant, ita ut non

(1) Pius IX, *syllabus*, complectens præcipuos nostræ ætatis errores, n. 43, 47 et 48. — (2) *Decretalium* lib. V, tit. 5, *de Magistris*. — (3) Pii IX Breve ad archiepiscopum Friburgensem (die 24 julii 1864). — (4) Veteri scriptori licuit asserere : *Omnia cœnobia erant gymnasia, et omnia gymnasia cœnobia* (Revue des sciences ecclésiastiques, mars 1888).

tantum clerici, sed et laici ad eas confluerent. Atque istæ scholæ secundi ordinis, quum temporis cursu exolevissent, a Conciliis sæculi XVI, reflorescente scientiarum cultura, denuo instaurari jussæ sunt, sed sub omnimoda virorum ecclesiasticorum inspectione et gubernatione.

II. Verum nostra ætate non desunt homines religioni infensi, qui scholas ejusmodi ab omni cleri influxu eximere moliantur.

« Christianam juventutis institutionem et educationem, ait Pius IX, in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicæ Ecclesiæ magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent. Nihil intentatum nihilque inexpertum relinquunt, ut salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanæ societatis instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem institutis arceant. Hujusmodi perniciosissima docendi ratio, sejuncta a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate, maximo est hominibus damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in publicis Institutis, quæ honestioribus societatis classibus sunt destinata (1). »

III. Nihilominus Ecclesia prohiberi nequit quin his etiam scholis vigilantiam suam curamque impendat. Unde ad ipsam spectat invigilare ne litterarum humaniorum disciplinæ venena admisceantur, educationem religiosam juvenum dirigere, et religiosæ doctrinæ præceptores approbare.

III. — De universitatibus.

636. — *Universitas* seu *studium generale* est collegium auctoritate publica institutum, ad omnes disciplinas edocendas. Hujusmodi scholæ Universitates appellantur, tum quia universas vel saltem plurimas profitentur disciplinas, tum quia unum corpus constituunt pluribus facultatibus tamquam membris coalescens.

1. *Earum institutio.* — Veteres studiorum universitates (quarum antiquissimæ fuerunt Bononiensis et Parisiensis) erant ex sua institutione ecclesiasticæ, et B. Eugenius III, S. Bernardi discipulus, auctor fuit *graduum academicorum*, quibus deinceps claruerunt. Idcirco Romani Pontifices earum inspectionem gerere, ipsasque privilegiis exornare et statutis dirigere consueverunt. Quo arctius cum Ecclesia connecterentur, in earum erectione litteræ fundationis a SS. Pontificibus impetrabantur.

Nostris etiam temporibus, Ecclesia sibi vindicat jus instituendi studia generalia ex subsidiis libere collectis ; quod in pluribus locis feliciter peractum est, v. g. Parisiis, Insulis, Lugduni, Andegavi, Tolosæ, Friburgi in Helvetia, Beryti in Syria, Whashingtone in America, etc. ; in aliis vero desideratur. Jamvero istæ universitates catholicæ nonnisi a Summis Pontificibus erigendæ sunt, tum quia facultates sacras complectuntur, tum quia per universam Ecclesiam valent saltem gradus theologiæ et juris canonici ab ipsis collati.

637. — II. *Facultates* et *gradus* sunt duo annuli quibus academiæ seu universitates catholicæ cum Ecclesia connectuntur.

(1) Pii IX Breve ad Arch. Frib. — Leonis XIII epist. ad cardin. Gibbons, de scholis in Statibus fœderatis (31 maii 1893), et encycl. ad episcopos Canadenses (8 dec. 1897)

1. Ad *Facultates* quod attinet, ab initio scholares in diversas *nationes* distinguebantur, ita ut scholaribus sive studiosis cujusvis provinciæ *decanus*, omnibus vero decanis *rector* præpositus esset.

Verum accidit ut scholares non amplius juxta nationes, sed juxta disciplinas in separata collegia distribuerentur. Exinde in universitatibus vigere cœperunt *quatuor* Facultates, nempe, sacræ theologiæ, juris tum canonici tum civilis, medicinæ, et philosophiæ seu artium, simul complectentis litteras et scientias naturales, pro quibus novissime erectæ sunt distinctæ facultates.

Facultates theologiæ et juris canonici ab Ecclesia exclusive pendent. Ab Apostolica Sede concessa sunt earum privilegia, quæ ad universam Ecclesiam referuntur. Illarum professores non assumuntur sine interventu potestatis ecclesiasticæ, quæ sola conferre potest missionem docendi sacras disciplinas.

2. Tres sunt *graduatorum* ordines, nempe *baccalaurei*, *licentiati*, et *doctores* seu magistri. *Baccalaurei* primum sui profectus in scientia testimonium seu *lauream* consecuti sunt. *Licentiatis*, post peracta examina, conceditur licentia suscipiendi supremum gradum, quando voluerint. *Doctores* seu magistri ad summum gradum promoti sunt.

Potestas conferendi gradus theologiæ et juris canonici exclusive pertinet ad R. Pontificem, qui eam Universitatibus aut seminariis et collegiis, vel etiam quibusdam Prælatis delegat. Promotioni regulariter præmittitur rigorosum examen, quo exploretur candidati scientia. Doctoribus, post emissam fidei professionem, insignia doctoratus traduntur (1), v. g. biretum quatuor cornibus eminens et annulus, et plura competunt privilegia.

ARTICULUS II

DE CONFRATERNITATIBUS (2).

638. — I. *Earum indoles.* — Confraternitates seu sodalitates sunt fidelium congregationes, ad opera pietatis et caritatis sub auctoritate pastorum institutæ. — Confraternitas decoratur nomine *archiconfraternitatis*, quando a S. Pontifice accipit facultatem sibi aggregandi confraternitates alibi erectas aut erigendas, atque eis communicandi indulgentias et privilegia sibi *nominatim* et *in specie* concessa.

Omnibus confraternitatibus commune est quod unaquæque :

1. Est societas in parochia subsistens, vel per plures parochias diffusa ;

2. Auctoritate ecclesiastica canonice constituitur et approbatur ;

3. Ad finem specialem dirigitur, nimirum ad certa opera pietatis erga Deum, vel etiam caritatis erga proximum ;

4. Sua pietatis exercitia sub titulo alicujus mysterii vel sancti exequitur, v. g. SS. Trinitatis, S. Crucis, B. Mariæ annuntiatæ ;

5. Suam habet ecclesiam, in qua socii, statis diebus, pietatis causa, con-

(1) *Decretalium* lib. V, tit. v. — Leonis XII constit. *Quod divina sapientia.* — Giraldi, *Expositio juris pontificii*, pars I. — Schmalzgrueber, lib. V, tit. v. — (2) Decretum S. Congr. Rit., *circa jura mutua parochorum et confraternitatum* (10 dec. 1703). — Const. Leonis XIII de sodalitate SS. Rosarii (2 oct. 1898).

veniunt ; nec ad aliam transferri potest cum suis privilegiis et indulgentiis, nisi ab episcopo aut ab alio prælato qui eam canonice erexit.

639. — II. *Norma erigendi* et *aggregandi* confraternitates a Clemente VIII statuta fuit (Const. *Quæcumque*, 7 dec. 1604), et a Pio IX (8 jan. 1861 (1).

Requiritur 1. ut unica tantum confraternitas ejusdem generis in eodem loco vel saltem in eadem ecclesia instituatur, juxta regulas et privilegia cujusque sodalitatis. Sic confraternitates SS. Sacramenti, Doctrinæ christianæ, SS. Cordis Jesu, Cordis Mariæ immaculati, etc., in singulis ecclesiis parochialibus erigi possunt, dum aliæ, v. g. SS. Rosarii, salva dispensatione, in una tantum ecclesia ejusdem loci eriguntur ;

2. ut erigatur decreto aut saltem de consensu prævio Episcopi, statutis ejus ab eo examinatis et approbatis ;

3. ut confraternitas localis, datis prius ab Episcopo litteris testimonialibus, cuidam archiconfraternitati aggregetur juxta formam approbatam, ad participandum ejusdem privilegiis et indulgentiis ;

4. ut eleemosynæ juxta formam per Ordinarium præscribendam colligantur et erogentur.

640. — III. Quoad *modum regendi* confraternitates, hæc statuta sunt :

1. In multis regionibus, parochus vel capellanus *pro tempore*, vi designationis semel factæ in actu erectionis confraternitatis, est rector confraternitatum in parochia existentium ; sed alius sacerdos ab Episcopo designari potest, quocumque tempore, et huic pariter competunt omnes facultates vi statutorum aut privilegiorum rectori attributæ.

2. Confraternitates ab officiis parochialibus non eximuntur, et compelli possunt ad publicas processiones.

3. Festa titularia earum solemniter celebrantur, ad beneplacitum Episcopi.

4. Confraternitates visitationi Episcoporum subsunt, etiamsi sint erectæ in ecclesiis regularium exemptorum (2).

IV. *Extinguuntur* confraternitates triplici modo, nempe : suppressione propter delictum aut defectum, ab Episcopo vel alio legitimo superiore facta ; omnium sodalium morte vel discessu voluntario ; et suppressione ecclesiæ in qua sedem habent, nisi in aliam rite transferantur. — Ut confraternitas extincta reviviscat cum suis privilegiis et indulgentiis, nova requiritur erectio et aggregatio.

ARTICULUS III

DE HOSPITALIBUS

641. — I *Illorum origo*. — Hospitalia proprie dicta (*Hôtelleries*) sunt loca excipiendis hospitibus seu peregrinis destinata ; verum eo nomine vulgo veniunt quævis pia loca excipiendis quibuslibet personis miserabi-

(1) Ex resp. S. C. Indulg., 5 aug. 1897, piæ uniones seu societates quæ sub confraternitatum et congregationum nomine minime veniunt, comprehenduntur tamen sub sanctionibus const. *Quæcumque*, quoad erectionem, approbationem statutorum, aggregationem et publicationem indulgentiarum. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. VIII. *de Reform.*

libus addicta, dum diversoria appellantur loca in quibus, mercede soluta, hospitantur peregrini.

Summa semper fuit Ecclesiæ cura in egenis et infirmis fovendis, illudque pietatis officium fidelibus nunquam non commendavit. Prioribus sæculis, christiani et imprimis Episcopi in privatis domiciliis excolebant opera misericordiæ in proximum. Verum, post pacem Ecclesiæ datam, publica caritatis domicilia exstructa sunt, in quibus pauperes hospitio exciperentur (1). Insuper, ab octavo circiter sæculo, omnia fere monasteria annexas habuerunt ædes in hospitium pauperum, peregrinantium et ægrotantium, et uni monachorum demandatum est officium excipiendi et refovendi hospites.

642. — II. *Variæ illorum species.* — 1. Pro multiplici miseria cui opitulantur, hospitalia propriis nominibus designantur, nempe, *xenodochia*, quæ peregrinis suscipiendis; *orphanotrophia*, quæ educandis orphanis; *brephotrophia*, quæ nutriendis infantibus; *gerontocomia*, quæ senibus alendis; *ptochotrophia*, quæ pauperibus sustentandis; *nosocomia*, quæ ægrotis curandis destinata sunt.

2. Hospitalia sunt vel *ecclesiastica* vel *laicalia*. — Hospitale ecclesiasticum illud est quod Episcopi auctoritate fuit erectum, ideoque habetur ut locus *religiosus*. Hospitale vero laicale illud est quod sine interventu auctoritatis ecclesiasticæ institutum est, nempe, privata pietate aut civili potestate; non habetur ut locus religiosus episcopali auctoritate constitutus, sed inter *loca pia* computatur. Hospitalia ecclesiastica discernuntur ex decreto episcopalis fundationis; quo deficiente, res colligitur ex signis quæ exclusive conveniunt locis religiosis, uti est ecclesia, cœmeterium, rector deputatus cum jure administrandi sacramenta.

Olim fere omnia hospitalia et officia caritatis (*Bureaux de bienfaisance*) fuerunt ab Ecclesia instituta et sub illius auctoritate administrabantur; sed paulatim ipsius piæ tutelæ penitus subducta sunt et conversa in laicalia, civili potestate omnia jura vi sibi usurpante, ac voluntatem fundatorum fraudante iisdem impiis ausibus, quibus sinceram libertatem conculcat et aliena suffuratur dominia. Unde, nostra ætate, in plerisque regionibus, publica instituta misericordiæ, quæcumque fuerit eorum origo, habentur ut civilia, et administratorum laicorum lege civili constitutorum arbitrio omnino subjacent. Etiam ubi religiosæ feminæ præficiuntur curæ corporali egenorum et infirmorum, ac presbyter deputatur ad sacra ministranda incolis hospitii, nulla pars administrationis temporalis illis committitur.

3. Hospitalia ecclesiastica sunt *exempta* vel *non exempta*, prout ab episcopali regimine subtrahuntur, v. g. ex lege fundationis (2), vel ei subjacent; — *sæcularia* vel *regularia*, prout a sæcularibus personis, vel a regularibus administrantur.

643. — III. *Episcopi auctoritas in hospitalia.* — 1. Hospitalia ecclesias-

(1) Galat., II, 10. — I Tim., V, 10. — Hebr., XIII, 2. — Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars I, lib. XI, cap. LXXXIX. — Acta S. Gallicani, martyris. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. II, tit. XII. — Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. I, dissert. IV, cap. VII.

tica, quæ neque exempta sunt, neque sub immediata regum protectione, Episcopo subjiciuntur velut loca religiosa.

2. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, habent jus visitandi hospitalia etiam exempta, non tamen quæ sub immediata Regum protectione sunt, sine eorum licentia.

3. Administratores hospitalium singulis annis tenentur Ordinario rationem reddere, sive soli, sive cum aliis ad id legitime deputatis, v. g. ex fundatione, privilegio aut consuetudine (1).

644. — *Notio Montium pietatis.* — Hospitalibus affines sunt Montes pietatis, approbante et laudante Ecclesia a XV° sæculo in innumeris civitatibus constituti in subsidium pauperum, quibus, pro deposito pignore, præstatur pecunia, frumentum aut aliud quo indigent. Si tempore præfixo restituant mutuo accepta, pignus depositum recuperant; si vero non restituant, retinetur et venditur pignus, atque excessum pretii tantum recipiunt; in utroque tamen casu, modicum auctarium pro administratione Montis exigitur. Concilium Tridentinum Montes pietatis inter pia loca recensuit et visitationi Episcoporum subjecta declaravit (2); sed nostris temporibus illi Montes facti sunt penitus laicales et exclusive subsunt potestati civili, saltem in Gallia, in Belgio, aliisque regionibus.

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. VIII et IX, *de Reform.* — (2) Ibidem.

LIBER SECUNDUS

DE MEDIIS QUIBUS ECCLESIA UTITUR

Cognitis ex primo personis quibus constat Christiana societas, disserendum est de mediis quibus instructa est ut consequatur proprium suum finem, nempe regnum Dei in hoc mundo. Horum autem quædam *in quacumque rerum conditione* adhibenda sunt, quædam tantum *in hypothesi ordinis læsi,* ut per ea reparetur. Hinc duplex titulus :

Titulus I. Media quibus Ecclesia finem suum consequitur.
Titulus II. Media quibus Ordo reparatur.

TITULUS I

De mediis quibus Ecclesia finem suum consequitur.

Illa media sunt *res* sive *spirituales*, sive *temporales;* de quibus in duplici tractatu agemus.

TRACTATUS I

DE REBUS SPIRITUALIBUS

Distinguuntur quæ directe ad *hominum sanctificationem* ordinantur, et quæ directe *cultum divinum* respiciunt. Quare duplex de rebus ecclesiasticis erit dissertatio.

DISSERTATIO I

DE SANCTIFICATIONE HOMINUM

645. — Ecclesia sanctificationem hominum promovet, *veritatem* docendo per functiones magisterium suum respicientes, et *gratiam* conferendo per administrationem sacramentorum et usum sacramentalium.

Cum vero præscriptiones ecclesiasticæ, quæ sacramentorum administrationem respiciunt, tum in theologia dogmatica et morali, tum in liturgia tradi soleant, ne eadem bis occurrant, ad prædictas disciplinas remittimus. Restat igitur dicendum — 1. de functionibus magisterium respicientibus, — 2. de sacramentalibus.

CAPUT I

DE FUNCTIONIBUS MAGISTERIUM RESPICIENTIBUS

Hæ functiones ordinantur 1° ad fidei conservationem, definitionem et explicationem ; — 2° ad ejusdem propagationem ; — 3° ad errorum contra fidem profligationem.

ARTICULUS I

FIDEI CONSERVATIO, DEFINITIO ET EXPLICATIO

646. — Ut Ecclesia munere magisterii divinitus sibi commisso rite fungatur, debet imprimis fidem conservare, definire et explicare.

I. *Fidei conservatio.* — « Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis unquam immutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando custodiat (1). »

II. *Fidei definitio.* — Ipsius Ecclesiæ est determinare quid sit fidei, seu definire quid sit credendum et quid rejiciendum. Est enim judex fallere et falli nescia in quæstionibus dubiis circa doctrinam exortis, a Deo constituta in *columnam et firmamentum veritatis.* (I Tim., III, 15.)

III. *Fidei explicatio.* — « Per Ecclesiam prisca dogmata excurantur, sed non commutantur ; per ipsam accipiunt lucem, distinctionem, sed retinent plenitudinem, integritatem, proprietatem (2). »

ARTICULUS II

FIDEI PROPAGATIO

647. — Huc referuntur *missiones*, *prædicatio* et *catecheses.*

I. *Missiones* in regionibus infidelium a Congregatione de *Propaganda Fide* diriguntur, iisque promovendis inserviunt tum Ordines regulares, tum varia Instituta presbyterorum sæcularium et etiam religiosarum feminarum.

II. *Prædicatio* ordinatur ad eos qui christiane educati sunt, ut in fide confirmentur et excolantur, juxta præscripta Conc. Tridentini (3) et Episcopi.

III. *Catecheses* olim pro catechumenis ad baptismum disponendis haberi consueverant. Hodie vero tum pro baptizandis, tum pro baptizatis pueris et adultis instituuntur, his in tot classes divisis quot requirunt diversitas ætatis, conditionis et captus, vel numerus. Notissimum est nomen et officium *Catechistarum*, sive laicorum, sive minoribus ordinibus initiatorum, in partibus infidelium missionariis collaborantium ad fidem propagandam et explicandam.

ARTICULUS III

ERRORUM CONTRA FIDEM PROFLIGATIO

Duplex distinguitur species mediorum quibus Ecclesia utitur ad errores efficaciter depeliendos, nempe media quibus errores *præcaventur*, et media quibus errores *reprimuntur.*

§ 1. — *De mediis quibus errores præcaventur.*

648. — Ecclesia variis mediis puritati fidei consulit atque præcavet ne errores sanæ doctrinæ admisceantur.

(1) Vincentii Lirinensis *Commonitorium*, I. XXIII. — (2) Ibid. — (3) Conc. Trid., sess. V, cap. II, — Sess. XXIII, cap. I. — et sess. XXIV, cap. IV, *de Reform.*

I. *Symbola fidei* conficit, quæ sunt breves dogmatum seu articulorum credendorum summulæ et collectiones, atque publica signa quibus orthodoxi ab infidelibus et hæreticis distinguuntur. Propter exortas hæreses, alterum altero distinctius exhibet catholica dogmata ; nullum vero alteri adversatur.

Ecclesiæ symbola celebriora sunt : Apostolicum, Nicænum seu Constantinopolitanum, et Athanasianum ; quibus accedit Concilii Lateranensis IV^i Symbolum, in capite libri I Decretalium positum. Concilii Tridentini seu Pii IV formula, a Pio IX aucta, eadem est cum Symbolo Constantinopolitano, nisi quod adjunctas habet declarationes contra errores posteriorum temporum.

649. — II. *Ad fidei professionem* emittendam juxta formulam Pii IV obligantur promovendi ad episcopatum, provisi de canonicatu vel de beneficio curato, Prælati regulares, et Magistri scientiarum.

650. — III. Ecclesia *catechismos et alios libros pro instructione religiosa* præscribit, ex quibus fideles velut ex limpidis fontibus doctrinam catholicam hauriant. Maximæ auctoritatis et utilitatis est Catechismus Romanus, ex decreto Concilii Tridentini editus, qui vocatur etiam *Catechismus ad Parochos*, quia, veluti fons et manuale prædicationis, recte et pie exponit prædicanda a parochis circa 12 præcipuos articulos fidei, mandata Dei, sacramenta et orationem. Cæterum, ad Episcopum spectat libros hujusmodi introducere, sive proprios vulgando, sive alios approbando.

651. — IV. *Cautiones statuuntur quoad lectionem S. Scripturæ in lingua vernacula.*

« Cum experimento manifestum sit, aiunt Patres Tridentini, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur ; ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse : quam facultatem in scriptis habeant (1). » — Huic regulæ, quæ est IV^a Indicis, primum a Sixto V mutatæ, deinde suffecta est sequens, auctoritate Benedicti XIV : « Si Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur (2). » Quam regulam Leo XIII declaravit, moderatus est et novo Indici inseruit (V. infra, n. 658).

652. — V. *Approbatio librorum edendorum, seu censura prævia.* Cum, typographia inventa, noxiorum librorum numerus increscceret, Leo X in Concilio Lateranensi V^o, sub excommunicationis pœna decrevit ne libri sine prævio examine et approbatione Episcopi imprimerentur. Ista lex a Concilio Tridentino renovata est in Regula X^a Indicis : sed Constitutio *Apostolicæ Sedis* (1869) anathematis pœnam ita moderata est, ut illam incurrant soli imprimentes aut imprimi facientes *libros de rebus sacris tractantes*, id est, libros sacræ Scripturæ eorumque annotationes ad reli-

(1) Regula IV^a Indicis. — (2) Decretum Congregationis Indicis, 13 junii 1757.

gionem attinentes. (Decret. S. Officii, 12 dec. 1880.) — Vide infra, n. 978.

Ad praxim quod spectat, ætate nostra impossibile est omnes libros præviæ censuræ subjicere ; unde rigor legis temperatus est a Pio IX et præsertim a Leone XIII, cujus constitutione præviæ censuræ subjacent tantum libri liturgici et generaliter opera in quibus speciatim de religione aut moribus agitur. Cæteri vero libri et scripta periodica sine censura edi permittuntur (1).

§ 2. — *De mediis quibus errores reprimuntur.*

653. — I. *Propositiones catholicæ fidei repugnantes* sive a conciliis generalibus, sive a Sancta Sede *reprobantur* (2). Nimirum, omni adhibita diligentia S. Pontifices inquirunt in doctrinam suspectam, eam ad distinctas formulas redigunt, atque propositiones aut libros simpliciter damnare, vel etiam *qualificare* solent.

Propositiones *qualificare* nihil aliud est quam illas variis censuris theologicis perstringere, scilicet, illas declarare hæreticas, erroneas, schismaticas, falsas, scandalosas, male sonantes, etc. Plures hujusmodi censuræ numerantur, quin tamen auctores in numero earum determinando conveniant.

Ista qualificatio est vel *specifica*, dum cuivis propositioni sua censura inuritur, v. g. quinque propositionibus Jansenii ; vel *cumulativa* (in globo), quando plures propositiones in Bulla pontificia enumeratæ variis censuris perstringuntur, quin tamen significetur quænam speciatim hac vel illa censura notetur, v. g. 79 propositiones Baii.

654. — II. Alterum, idque ad errores reprimendos magis expeditum medium, est *prohibitio librorum* quibus doctrina nociva facile diffundi posset. De hac igitur prohibitione est agendum, dicendo : 1° de potestate prohibendi libros, Ecclesiæ propria : 2° de disciplina Ecclesiæ circa prohibitionem librorum nunc vigente.

I. — Potestas prohibendi libros (3).

Distinguuntur hujus potestatis necessitas, existentia et exercitium.

655. — I. *Necessitas* prohibendi libros pravos seu noxios eruitur tum ex obligatione naturali fugiendi periculum peccati, tum e lugenda experientia malorum quæ ex hujusmodi librorum lectione oriuntur quoad fidem et mores.

656. — II. *Ecclesiæ competit potestas* prohibendi libros qui vel fidem, vel mores, vel disciplinam offendunt. His enim verbis : *Docete omnes gentes..., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (4), Christus Apostolis commisit officium, tum docendi, tum providendi ne religio in fide vel moribus detrimentum capiat. Atqui multi libri fidelibus nocent, eorumque fidem et mores subvertunt. Ergo Ecclesiæ competit jus prohibendi libros noxios.

(1) Pius IX, 2 junii 1848. — Leo XIII, Const. *Officiorum*, infra n. 659. — (2) Cf. Const. *Apost. Sedis*, Excom. speciali modo reserv., I et II, et Excomm. simpl. reserv., I. — (3) S. Alph., lib. I, app. III, *de Prohib. librorum*. — Inst. mor., Alph., n. 451-456. — (4) Matth., XXVIII, 18-19.

657. — III. *Praxis Ecclesiæ* probat libros perversos et periculosos esse positiva lege prohibendos, tum ut facile et certo dignoscantur, tum ut efficacius amoveantur, præclusa illusionis via ; nam ex historia omnium sæculorum constat Summos Pontifices, Concilia et Episcopos, semper variisque modis exercuisse potestatem prohibendi libros religioni et moribus detrahentes (1). — Cf. Actus Ap., XIX, 19; Matth., v, 29, et vii, 15; Rom., xvi, 17 ; I Tim., vi, 20; et acta Conc. Nicæni et Tridentini.

Eadem Ecclesiæ potestas, idem semper Ecclesiæ spiritus perseverat ; sed novis exortis periculis per novas legum dispositiones obviandum est. Unde pro circumstantiis accidentalier diversa fuit disciplina circa librorum suspectorum examen et proscriptionem.

Sæculo xvi°, cum arte typographica hæresis abuteretur, neque malo amovendo sufficerent antiquæ cautiones, Concilium Tridentinum, promovente Pio IV, *Indicem* librorum prohibitorum et decem regulas confecit ; S. Pius V Congregationem *Indicis* erexit, ad illum perficiendum ; qui deinceps pluries auctus et excusus, tandem auctoritate Leonis XIII innovatus est, anno 1900.

II. — Disciplina Ecclesiæ circa libros prohibitos.

Hæc disciplina tota continetur in Constit. Officiorum Leonis XIII, *de prohibitione et censura librorum* (25 jan. 1897), qua jussit librorum prohibitorum indicem diligentissime recognosci et recognitum vulgari, abrogavit *Regulas* jussu Conc. Tridentini editas, *Observationes*, *Instructiones*, *Decreta* et *Monita* quæcunque prædecessorum suorum circa prohibitionem librorum, excepta Const. Bened. XIV *Sollicita ac provida* (1753), quæ Congr. Inquisit. et Indicis internum regimen et moderamen in examine librorum sequendum respicit ; et sequentia de prohibitione et censura librorum decreta generalia edidit, præsenti temporum conditioni accommodata, quibus Cong. Indicis « posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. »

TITULUS I. **De prohibitione librorum.**

Caput I. — *De prohibitis apostatarum, hæreticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.*

658. — 1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt, iis exceptis qui per hæc Decreta generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorumdem, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

(1) Leonis xiii Const. *Officiorum* (1897).

Caput II. — *De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis duntaxat qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione et sub iisdem conditionibus permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

Caput III. — *De versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri : versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim quæ per Societates biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur. — Hæ nihilominus versiones iis qui studiis theologicis vel biblicis dant operam permittuntur, iis servatis quæ supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV. — *De libris obscenis.*

9. Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem iis tantum permittuntur quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

Caput V. — *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ ejusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis judicio subjacent ea opera in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque hujus generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri qui duellum, suicidium vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis ejusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI. — *De sacris imaginibus et indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei, ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas, quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII. — *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat. — Si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

19. Litaniæ omnes, præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in sacra Æde Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis (et Sacratissimi Cordis) Jesu jam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo præter legitimæ auctoritatis licentiam publicet : secus prohibiti habeantur.

Caput VIII. — *De diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. — Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico jure proscripti habeantur. — Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de hujusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in hujusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente justa et rationabili causa, publicet.

Caput IX. — *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subjectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Prælati jurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab

Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri hujusmodi libros ita custodire ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X. — *De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina prævalent, perniciosos libros Episcopis aut Apostolicæ Sedi denunciare, id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tanquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum judicium ea deferant opera vel scripta quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II. **De censura librorum.**

CAPUT XI. — *De Prælatis librorum censuræ præpositis.*

659. — 30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet quæ supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere. Quod si, ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacræ Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum : hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacræ Congregationis Propagandæ Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt.

36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato cui subjacent obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romæ degens librum, non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II. — *De censorum officio in prævio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed, omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (juxta Benedicti XIV præceptum) animo a præjudiciis omnibus vacuo judicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant, Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat (1).

Caput III. — *De libris præviæ censuræ subjiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero sæculari ne libros quidem qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant.

Iidem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV. — *De typographis et editoribus librorum.*

43. Nullus liber censuræ ecclesiasticæ subjectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint typographi et editores librorum novas ejusdem operis approbati editiones novam approbationem exigere (2); hanc insuper textui originali tributam, ejus in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant; cæteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti.

Caput V. — *De pœnis in Decretorum generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earumdem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

(1) Denegatæ licentiæ publicandi librum examinatum rationes manifestare tenetur Ordinarius, si liber videatur capax correctionis (*S. C. Ind., 3 sept. 1898*). — (2) Excerpta e periodicis seorsim iterum impressa et edita (*tirages à part*) non censentur novæ editiones, nec nova approbatione indigent (*S. C. Ind., 23 maii 1898*).

49. Qui vero cætera transgressi fuerint, quæ his Decretis generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coerceantur.

660. — Index seu elenchus librorum improbatæ lectionis, jussu Leonis XIII recognitus, emendatus et imminutus, atque ab eo approbatus et confirmatus (17 sept. 1900), ut ab omnibus ubique observetur integre et inviolabiliter, sub pœnis in Const. *Officiorum* sancitis, continet, juxta ordinem alphabeticum nominum auctorum vel, iis occultis, suorum titulorum, seriem librorum qui ab anno 1600 a SS. Pontificibus et a Congr. Romanis sunt prohibiti.

Iste Index et Decreta generalia quæ Leo XIII suffecit veteribus Regulis et statutis librorum prohibitionem spectantibus, pari pollent auctoritate universali. Utraque eo pertinent ut doceant a quibus libris legendis retinendisve sit cavendum. Aliter tamen Decreta generalia huic fini inserviunt, aliter ipse Index. Nam Decreta generalia quamplurimos, et vix non omnes noxios infectosque libros prohibent, quorum cæterum lectio ipsa naturæ lege ut plurimum vetatur; Index vero illorum partem tantum, eamque minimam, recenset atque notat. Decretis sola pravorum librorum genera et classes, Indice vero singuli libri expresso cujusque titulo, imo et auctoris nomine, proscribuntur.

Unde admodum errant qui existimant omnem quæstionem de libris improbatæ lectionis Indice definiri, quasi ex innumeris perversis perniciosisque libris, qui per sæculorum cursum editi sunt, illi tantum prohibeantur qui, per peculiaria decreta damnati, in catalogo librorum prohibitorum recensentur. Nimirum ut libri alicujus lectio licita dici tuto possit, hæc duo constet oportet, scilicet illum neque adscribi in Indice vetitorum librorum, neque contineri in aliqua ex iis classibus quæ per Decreta generalia universim improbantur aut damnantur.

Quare abs re omnino foret, in Indice vel omnes noxios pravosque libros, vel certe eos quærere qui in quovis disciplinarum genere pravitate quasi eminent, vel denique postulare ut libri in Indice certo ordine ex eorum argumento seu materia desumpto sint digesti. Tota ergo Indicis ratio in eo est, ut quæ opera sive a SS. Pontificibus, sive a Romanis Congregationibus, et maxime a S. C. Indicis fuerint ob quamcumque causam per speciale decretum tribus postremis sæculis prohibita, universis innotescant, ne vetitæ eorum lectionis oblivio ulla unquam subrepat, aut ignorantia obtendatur. Damnato vero aliquo libro, eo ipso interdicuntur illius tum translationes in quamlibet linguam, tum futuræ editiones, nisi expressis verbis enuntietur aliquam tantum reprobari editionem.

Hinc, ut patet ex primo decreto generali Const. *Officiorum*, omnes libri ante annum 1600 prohibiti, etsi deinceps ab Indice expuncti, eodem modo quo ante habendi sunt ut damnati, iis tamen exceptis qui per nova Decreta generalia permittuntur. Porro damnatorum auctorum, quorum opera omnia prohibebantur, ea nunc opera quæ vel ex professo de religione non tractant, vel, etsi de ea tractant, nihil tamen contra fidem continent, permissa sunt, nisi forte aliquo decreto generali aut speciali deprehendan-

tur prohibita. Atque hæc mitigatio extenditur ad eos etiam scriptores acatholicos quorum opera omnia expresse in Indice prohibentur. Quapropter pristina distinctio inter *opera omnia* et *opera omnia de religione tractantia* facta est supervacanea. Libri vero qui, ob mutatas circumstantias, ab Indice sunt expuncti, deinceps inter prohibitos nequeunt recenseri (1).

Olim qui sine licentia retinebant libros prohibitos tenebantur sub gravi illos quamprimum tradere Episcopo, vel alteri debita licentia munito. Usu tamen receptum erat ut tales libri comburerentur vel aliter destruerentur. Hodie vero, non solum ex consuetudine præscripta, sed etiam ex Const. *Officiorum*, quæ silet de modo tollendi libros quos retinere vetat, liberum est eos destruere vel tradere cuicumque veniam habenti eos retinendi.

Quoad libros prohibitos domino reddendos a depositario vel mutuatario, pensandum est incommodum secuturum si non reddantur, et applicandum celebre principium voluntarii indirecti.

CAPUT II

DE SACRAMENTALIBUS (2)

661. — Sacramentalia imitantur naturam Sacramentorum. Sicut enim Sacramentis a Christo institutis inest vis significandi et conferendi gratiam, ita Sacramentalia sunt *ritus ab Ecclesia instituti ad sanctificationem significandam et impetrandam*.

Definiuntur etiam : *Res quædam aut actiones ab Ecclesia inductæ, ut ad instar Sacramentorum gratiam significent, et pie adhibitæ quosdam effectus spirituales producant.*

Dicemus : 1° de Sacramentalibus in genere ; — 2° de Benedictionibus, quæ numero et dignitate longe præstant cæteris Sacramentalibus.

ARTICULUS I

DE SACRAMENTALIBUS IN GENERE

Quamvis Sacramentalia sint Sacramentis affinia, tamen diversa est eorum *institutio* et *efficacia*.

662. — 1. *Institutio Sacramentalium*. — Ecclesiæ competit potestas instituendi Sacramentalia.

Prob. 1° *Ex institutione et fine Ecclesiæ*. Christus missus in mundum ut *omnia reconciliaret cum Patre* (Coloss., I, 20) *et instauraret*, instituit solummodo sacrificium Missæ et sacramenta, quibus *ex opere operato* applicarentur ipsius merita et conferretur gratia sanctificans ; sed Ecclesiæ in perpetuum reliquit facultatem sanctificandi omnia, cum dixit : *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan., XX, 21). Hanc facultatem principaliter Ecclesia in actum deduxit per benedictiones, exemplo ipsius Christi, de

(1) Cf. Præfat. ad Indicem anni 1900. — *De prohibitione et censura librorum* dissertatio canonico moralis P. Vermeersch. — (2) S. Alph., lib. VI, 90-94.

quo legitur in officio Ascensionis : *Elevatis manibus, benedixit eis, et ferebatur in cœlum.*

Prob. 2° *Auctoritate Scripturæ :* « Omnis creatura Dei bona est,. . sanctificatur enim per verbum Dei et orationem (1). »

Prob. 3° *Praxi Ecclesiæ.* Cum sit infallibilis et regatur a S. Spiritu, ex actibus recte potentia ejus colligitur ; atqui jam a temporibus Apostolicis Ecclesia usa est hac potestate benedicendi et Sacramentalia instituendi.

Unde Concilium Tridentinum definivit : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ ritus..., contemni posse..., anathema sit (2). »

663. — II. *Sacramentalium efficacia.* — 1. Varii effectus Sacramentalibus attribuuntur, scilicet : motus gratiæ actualis ; remissio peccati venialis ; relaxatio pœnæ temporalis peccato debitæ ; dæmonis expulsio vel cohibitio, ne lædat ; aliquod commodum temporale, ut sanitas. Animadvertendum est non omnes illos effectus a singulis Sacramentalibus produci, sed alios ab aliis, juxta finem ad quem ordinantur.

2. Profecto Sacramentalia gratiam non conferunt ex opere operato, sicut Sacramenta. Neque illorum effectus ex opere operantis producuntur, in eo sensu quod pendeant a solis dispositionibus illius qui actionem exercet ; nam Sacramentalia ex precibus Ecclesiæ suam virtutem accipiunt.

Igitur Sacramentalia operantur ex vi impetratoria precum Ecclesiæ. Nimirum Ecclesia suis benedictionibus a Deo postulat, ut qui Sacramentalibus pie et fideliter usi fuerint, effectum in orationibus designatum consequantur. Cum Christus Ecclesiam summo prosequatur amore, orationes Ecclesiæ plurimum valent ad impetrandum. Attamen effectus non est infallibilis, quia non fundatur in speciali Dei promissione, sed in communi lege et efficacia orationis.

3. Inde colligitur quomodo singuli effectus Sacramentalium producantur :

Ad *primum* quod attinet, occasione applicationis Sacramentalium Deus ipse motus gratiæ actualis excitat ; ad id autem determinatur per preces Ecclesiæ.

Secundo, Sacramentalia remittunt peccata venialia, quatenus Ecclesiæ precibus Deus movetur ut, Sacramentalium occasione, in hominibus producat dispositiones quibus peccata diluuntur.

Tertius effectus, nempe, temporalis pœnæ relaxatio, quibusdam Sacramentalibus annexa, producitur, non solum vi piorum operum utentis Sacramentalibus, sed etiam per modum indulgentiæ.

Quarto, Ecclesia, ex speciali potestate ipsi a Christo data in dæmones, ad eos expellendos Sacramentalibus utitur.

Quintus effectus, qui commoda ordinis temporalis spectat, generatim producitur per modum impetrationis.

ARTICULUS II

DE BENEDICTIONIBUS

664. — Communiter numerantur septem Sacramentalia, nempe, præter signum crucis :

(1) Ep. I ad Timoth., IV, 4 et 5. — (2) Sess. VII, canon XIII.

ORANS, TINCTUS, EDENS, CONFESSUS, DANS, BENEDICENS

Orans significat publicas Ecclesiæ preces ; *tinctus*, aquam benedictam ; *edens*, panem benedictum ; *confessus*, generalem confessionem in Missa et in Horis canonicis fieri solitam ; *dans*, eleemosynam ab Ecclesia præscriptam ; *benedicens*, varias benedictiones ab Ecclesia institutas.

Inter Sacramentalia (quæ confundi non debent cum cæremoniis cultus divini), præcipuum locum obtinent *benedictiones* seu *ritus quibus Ecclesia vel postulat pro hominibus aliquid boni, vel alicui rei virtutem confert.*

Variæ sunt benedictionum *species ;* varii etiam illarum *ministri ;* semper tamen quædam *regulæ generales* servandæ sunt. Quæ tria nunc breviter sunt declaranda.

§ 1. — *Variæ species benedictionum.*

665. — I. Ratione *subjecti* cui applicantur, aliæ conferuntur *personis*, aliæ sive *rebus* inanimatis, sive etiam animalibus et plantis.

II. Ratione *virtutis* qua donantur, *aliæ* purificant, v. g. exorcismus ; *aliæ* ad exprimendum aliquid sacrum spectant, v. g. benedictiones candelarum in die Purificationis, cinerum, palmarum, cerei paschalis ; *aliæ* ad cultum divinum destinantur, vel ad alias personas aut res benedicendas, v. g. benedictio abbatis, calicis et patenæ consecratio.

III. Ratione *finis*, dividuntur benedictiones in *invocativas* et *constitutivas*. — Invocativæ (sacramentalia transeuntia) dicuntur illæ quibus benignitas Dei invocatur, ut personis seu rebus benedicendis aliquid boni tribuat, non immutato earum statu, v. g. benedictio apostolica. — Constitutivæ dicuntur illæ per quas personæ seu res constituuntur in esse permanente rei sacræ, adeo ut ille status deinceps non mutetur, v. g. benedictio abbatis, campanæ...

IV. — Ratione *formæ*, differunt *consecrationes* et *benedictiones* proprie dictæ. — Consecrationes perficiuntur per unctiones sacri olei aut chrismatis ; quamobrem imitantur sacramenta Confirmationis et Ordinis, quæ per unctiones conferuntur, v. g. consecratio altaris. — Benedictiones vero communiter conficiuntur per aspersionem aquæ benedictæ ; unde comparantur Baptismo, qui per aquæ infusionem confertur.

V. Ratione *ritus accidentalis*, benedictiones dividuntur in *solemnes*, quæ majori pompa et cum pluribus ministris peraguntur, v. g. benedictio novæ ecclesiæ ; et *simplices*, quæ sine prædicto apparatu fiunt.

VI. Ratione *relationis ad Sacramenta*, nonnullæ benedictiones Sacramentis annectuntur, v. g. benedictio Sanctissimi Sacramenti, benedictio nuptiarum ; aliæ vero non annectuntur, v. g. populi benedictio a S. Pontifice et Episcopis.

§ 2. — *Ministri benedictionum.*

Inter Sacramenta et Sacramentalia existit analogia, quæ non tantum gratiam significandam, sed etiam ministros respicit. Sicut jure divino diversis gradibus committitur administratio Sacramentorum, ita jure ecclesiastico convenienter diversis ordinibus confertur potestas minis-

trandi Sacramentalia. Unde benedictiones aliæ sunt *episcopales*, aliæ *sacerdotales* (1).

666. — I. *Benedictiones episcopales* sunt multiplicis generis :

1. Ad Episcopos spectant, neque presbyteris delegantur, nisi rarissime et a S. Pontifice solo, benedictiones rerum quæ nonnisi ut benedictæ sunt materia alicujus Sacramenti, v. g. benedictio chrismatis et olei infirmorum. Propter eminentem dignitatem personæ benedicendæ, idem dicendum est de benedictione abbatis et de benedictione ac coronatione regis.

2. Consecrationes, cum per unctiones conficiantur, ordini episcopali reservantur, sicut jure divino ad Episcopum pertinet collatio Confirmationis et Ordinis. Propterea nequit ab ipso Episcopo delegari sacerdotibus consecratio ecclesiæ, altaris, calicis et patenæ. Ex Indulto apostolico, quod concedi solet, ab Episcopo delegari potest benedictio campanarum.

3. Benedictiones rerum quæ ad usum et ornatum Sacrificii destinantur, ut sunt corporalia et indumenta sacerdotalia, non ita exclusive annectuntur ordini episcopali, quin ab Episcopis sæpius delegentur sacerdotibus.

In Pontificali traduntur benedictiones quæ, secluso Indulto apostolico, nonnisi ab Episcopis fiunt, et generatim illæ in quibus intervenit unctio. Rituale vero continet benedictiones quæ a sacerdotibus confici possunt, ex jure proprio vel delegato.

667. — II. *Benedictiones sacerdotales* dicuntur illæ quæ sine unctione conficiuntur, neque Episcopis reservantur. Cum enim perficiantur per aspersionem aquæ benedictæ, Baptismo comparantur ; unde sacerdos est earum minister, sicut jure divino constituitur ordinarius minister Baptismi.

1. Ad sacerdotes pertinent benedictiones quæ in Rituali primo loco ponuntur ; quædam tamen ex illis ad parochos spectant, v. g. benedictio fontis baptismalis.

2. Nonnisi ex delegatione fieri possunt a presbyteris benedictiones alterius ordinis, quæ secundo loco ponuntur sub hoc titulo : *Benedictiones ab Episcopo, vel ab aliis facultatem habentibus faciendæ.*

Præter Episcopos et presbyteros, clerici inferioris Ordinis, sicut non sunt jure divino ministri ordinarii Sacramentorum, ita neque jure ecclesiastico habentur velut ordinarii ministri benedictionum.

Attamen, cum Sacramentalia sint institutionis ecclesiasticæ, etiam Ordinibus inferioribus aliquando ab Ecclesia data est potestas vel dispensatio circa Sacramentalium administrationem, ut constat ex verbis ordinationis Lectoris et Exorcistæ.

§ 3. — *Regulæ generales benedictionum.*

668. — I. Quælibet benedictio nec valide nec licite fit, nisi ab eo qui ad tale munus destinatus est ab Ecclesia, ad quam, sicuti pertinet institutio benedictionum, ita et designatio legitimi ministri.

Regula ita videtur intelligenda, ut sit tantum illicita benedictio sine delegatione facta a ministro qui delegari potest, v. g. benedictio indumen-

(1) Pontificale romanum et Rituale.

torum sacerdotalium a simplici sacerdote facta. Si vero agatur de benedictione ad quam talis minister non potest delegari, qualis est consecratio calicis a diacono facta, ea sit non solum illicita, sed etiam invalida. Ratio est, quia in priori, non vero in posteriori casu, minister aliquatenus ab Ecclesia destinatur ad tale munus.

669. — II. Cum benedictiones habeant aliquam proportionem cum Sacramentis, sicut materia Sacramentorum consistit in rebus, et forma in verbis, ita in Sacramentalibus materia est res quæ benedicitur, forma vero constat verbis et ritibus simul adhibendis. — Proinde ad valorem benedictionis requiritur præsentia personarum et rerum benedicendarum ; pariter requiritur quod nec omittantur nec mutentur substantialiter verba et signa quæ ab Ecclesia præscribuntur.

Cum vis benedictionis in invocatione et intentione Ecclesiæ consistat, illæ tantum formulæ benedictionum adhiberi possunt quæ in Pontificali, Missali aut Rituali reperiuntur, vel ab Apostolica Sede approbatæ fuerunt.

Ecclesia in benedictionibus generaliter adhibet pro forma signum crucis, verba, quæ sunt exorcismi vel orationes, et aspersionem aquæ benedictæ.

DISSERTATIO II

DE CULTU DIVINO

670. — Liturgia est cultus Dei publicus, Ecclesiæ auctoritate constitutus. Definitur : *complexio verborum, actionum et rerum, quibus Ecclesia religionem erga Deum exhibet.*

Agendum nobis est : 1° de jure liturgico; — 2° de exercitiis cultus divini; — 3° de ejusdem adjunctis.

CAPUT I

DE JURE LITURGICO

Liturgia catholica est institutionis partim divinæ, partim ecclesiasticæ; Christus enim sacrificium ipse instituit, et Ecclesiæ contulit potestatem ordinandi omnia pertinentia ad cultum divinum. Unde paucissimis ritibus divinitus institutis, videlicet, consecrationi panis et vini et sacerdotis saltem communioni sub utraque specie, S. Petrus et cæteri Apostoli, eorumque successores, reliquas sacræ liturgiæ partes superaddiderunt, absque communi consilio. Hinc tanta quæ notatur diversitas inter Romanam aliasque latinas liturgias sive superstites sive jamdiu derelictas, maxime vero inter latinas et orientales.

671. — I. *Supremum jus liturgicum* ad Romanum Pontificem pertinet.

Prob. 1. Liturgia est *publica religionis professio*, siquidem est forma cultus externi et publici, Deo in Ecclesia catholica constanter exhibendi. Atqui R. Pontifici competit suprema potestas ordinandi quæcumque spectant statum et vitam universæ Ecclesiæ, vi plenariæ jurisdictionis a Christo acceptæ. Ergo primatus jurisdictionis supremum jus liturgicum complectitur.

Prob. 2. Liturgia est *fidei expressio, et principale Traditionis instrumentum* seu fons et depositum. Atqui R. Pontifici incumbit officium definiendi et conservandi fidem. Ergo liturgia, propter suum valorem dogmaticum, subjicitur magisterio R. Pontificis.

Prob. 3. Liturgia est *præcipua pars disciplinæ ecclesiasticæ*. Atqui R. Pontifex est in Ecclesia supremus legislator. Ergo ab illo pendet liturgia.

672. — II. *Varia fuit disciplina* pro diversis temporibus.

1. Sedes Apostolica potuisset jam ab Ecclesiæ exordiis jus legislativum circa liturgiam sibi exclusive reservare velut causam majorem; attamen per plura sæcula moderationem liturgiæ singulis Episcopis ex parte permisit.

2. Forma liturgiæ ab ipsis Apostolis principaliter determinata fuit atque præscripta; verum diversa fuit in accidentalibus, pro variis ecclesiis.

3. Episcopis nunquam licitum fuit liturgiam antiquam et legitimam penitus de medio tollere, et novam isti proprio motu substituere. Etenim immutatio non potuisset fieri sine scandalo diœcesis, apostolicam liturgiam velut sacrum depositum custodientis; neque sine periculo fidei, quam liturgia exprimit et conservat.

4. Sæculo v°, liturgia cœpit ad unitatem in ipsis accidentalibus ritibus adduci, præcipue in regionibus eadem lingua liturgica utentibus. Liturgia romana, primum in Gallia sæculo VIII°, deinde generaliter in Occidente introducta fuit.

5. Jus corrigendi et addendi ea quæ ad substantiam non pertinebant, penes Episcopos diu remansit. Verum sæculo XVI°, Sancta Sedes opportunum duxit sibi strictius reservare jus liturgicum.

6. Attamen, ut legitur in præfatione ad Indicem Leonis XIII jussu editum, « locorum Ordinariis hodie facultas facta est permittendi ut litaniæ et preces a S. Sede nondum approbatæ, pro privato duntaxat fidelium usu, publicentur ». Cf. Const. *Officiorum*, n. 19.

673. — III. *Hodiernum jus liturgicum* seorsim considerari debet quoad Ecclesias Orientales et quoad Ecclesias Occidentales.

1. *Liturgiæ Ecclesiarum orientalium.* — Equidem istæ Ecclesiæ, v. g. Græca, Armena, Bulgara, Slavica, Maronita, Coptica, Ethiopica seu Abyssina, Chaldaica, Syriaca, liturgiam propriam habent; sed jampridem earum Ordinarii jus liturgicum non exercent, quia Sedi Apostolicæ reservatum fuit. Itaque liturgiæ orientales regulantur, et omnes illarum libri revisuntur et corriguntur a Sancta Sede (1).

2. *Liturgia Ecclesiarum occidentalium seu ritus latini.* — A tempore S. Pii V, liturgia romana correcta in toto Occidente (salvis quibusdam exceptionibus) ita præscripta est, ut jus liturgicum deinceps Sedi Apostolicæ sit absolute reservatum; unde Episcopi nihil possunt statuere circa cultum divinum, nisi ad illum dirigendum et promovendum juxta leges a S. Sede sancitas (2).

674. — Ex ista regula deducuntur tria corollaria :

(1) Benedicti XIV const. *Demandatam, Etsi pastoralis, Ex pastorali, Ex quo primum*, — Const. Leonis XIII, *De disciplina orientalium conservanda et tuenda*, 30 nov. 1894 — (2) S. Pii V const. *Quod a nobis, Quo primum tempore*.

Corollarium 1m. S. Pius V excepit tum Ecclesiam Mediolanensem, in qua observabatur ritus Ambrosianus ; tum capellas Toletanas, quibus concessus erat ritus Mozarabicus ; tum quasdam alias Ecclesias, in quibus vigebat liturgia ducentis annis antiquior, v. g. Lugdunensem.

Corollarium 2m. Libri liturgici a Summis Pontificibus editi, nempe, Missale, Breviarium, Rituale, Pontificale, Cæremoniale Episcoporum et Martyrologium, omnes Ecclesias obligant, præter Orientales et quasdam alias in Bullis S. Pii V exceptas.

Corollarium 3m. Constitutiones S. Pii V vim obligandi habent etiam in Gallia, tum quia sunt universales quoad Ecclesias liturgiæ romanæ adstrictas, tum quia receptæ fuerunt in Gallia.

Inde infertur illegitimas fuisse liturgias in Gallia sæculo XVIIIo et ineunte XIXo adinventas. Nunquam hujusmodi innovationibus consensit Sancta Sedes, nec silentium plurimorum SS. Pontificum haberi potuit ut approbatio tacita novarum liturgiarum, quia timor majoris mali illos coegit dissimulare. Aliunde, vix aliqua gloriari potuit usu bis sæculari, a S. Pio V ad retinendas liturgias a Romana diversas requisito. Quamobrem, ubi apud nos restaurata fuit liturgia romana, Pius IX ad Episcopos Galliæ scripsit : « Vehementer gaudemus, dum conspicimus, in quamplurimis diœcesibus, Romanæ Ecclesiæ liturgiam singulari vestro studio juxta nostra desideria fuisse restitutam. Quæ sane res eo magis grata nobis accidit, quod noscebamus in multis Galliæ diœcesibus ob temporum vicissitudinem haud ea fuisse servata, quæ sanctus decessor noster Pius V provide sapienterque statuerat (1). »

CAPUT II

DE EXERCITIIS CULTUS DIVINI

675. — Sacrificium est præcipua pars cultus divini. De illo disserere non est nostri instituti, cum id sive ad Theologiam sive ad Liturgiam pertineat.

Præter Missæ celebrationem, plura exercitia cultum divinum respiciunt, instituta et præscripta ut temporis divisiones Deo consecrarentur. Præcipua autem sunt : 1o horæ canonicæ seu divinum officium ; 2o dies jejunii ; 3o festa per annum liturgicum celebranda.

ARTICULUS I

DE HORIS CANONICIS (2)

Exponentur : 1o Origo divini officii ; — 2o illius notio ; — 3o obligatio illud persolvendi.

§ 1. — *Origo divini officii.*

Officium divinum est munus laudandi Deum, oratio publica Ecclesiæ. Ejus origo inquiritur quoad *psalmodiam* et quoad *Breviarium*.

676. — I. *Origo psalmodiæ* est antiquissima. Præter laudem, qua Deus

(1) Litteræ encyclicæ, 21 martii 1853. — (2) Inst. mor., Alph., n. 2203 et seqq.

seipsum et angeli Deum glorificant, a primis parentibus usque ad Christum semper viguit divini cultus studium, et ipse Dominus orationem docuit, in ea pernoctavit, et post cœnam hymnum dixit.

1. Jam a tempore Apostolorum habuit Ecclesia *preces communes publicas*, quales quotidie in officio divino persolvuntur. Id compertum est ex multis Scripturæ testimoniis (1), et ex SS. Patribus, qui, dum sermonem instituunt de publicis Christianorum precibus, testes sunt illas psalmis, hymnis atque lectionibus absolutas fuisse (2).

2. Ipsi Apostoli *certis horis* persolvebant officium divinum; statutis enim horis ad orationem communem conveniebant (3). Deinceps Ecclesia divinis laudibus dicavit ipsas horas quæ in orando fuerunt Apostolis solemniores.

677. — II. *Origo Breviarii* innotescit tum ex illius nomine, tum ex studio SS. Pontificum ad formam officii divini perficiendam.

1. *Officium divinum*, quod nunc vulgo appellatur etiam *Breviarium* et *Horæ Canonicæ*, diversis olim nominibus nuncupabatur, v. g. *Cursus ecclesiasticus*, *Synaxis*, *Opus Dei*, *Agenda*.

Officium divinum dictum est *Opus Dei*, *Agenda*, quasi unum e sanctioribus et gravioribus Ecclesiæ muneribus; *Cursus*, quia diei et anni cursum concomitatur; *Synaxis*, quia clerici ad psallendum congregantur; *Breviarium*, tum quia brevis est summa præcipuorum locorum Scripturæ Sacræ, SS. Patrum et piorum auctorum, tum ex eo quod officium ad breviorem formam redactum fuit.

2. Studium SS. Pontificum circa divinum Officium testantur : psalmorum, lectionum et orationum distributio, curantibus SS. Damaso, Leone, Gelasio et Gregorio Magno; Officii compendium Romæ per omnes ecclesias inductum, approbante S. Gregorio VII: librorum liturgicorum revisio a Gregorio IX Franciscanis commissa; Breviarium romanum a S. Pio V restitutum et editum, atque a Clemente VIII et Urbano VIII recognitum; tandem suppressio breviariorum gallicanorum, sæculo XIX°, promovente Pio IX.

§ 2. — *Officii divini notio.*

678. — I. *Ejus definitio et excellentia.* — Officium divinum est *oratio publica, seu psalmodia Deo persolvenda nomine Ecclesiæ, in persona populi fidelis.*

Dicitur 1° *Oratio publica.* Etenim alia est oratio *privata* singulorum, alia oratio *communis* plurium, alia oratio *publica*, quæ fit in persona Ecclesiæ, juxta ejus statutum et a ministris illius. Hæc autem efficacior est apud Deum, propter dignitatem et sanctitatem sponsæ Christi.

Dicitur 2° seu *Psalmodia;* duobus enim modis Horæ canonicæ proferuntur, nempe vel recitatione privata et sensibili tantum voce, vel in choro psalmodia et cantu.

Dicitur 3° *Deo persolvenda.* Quatenus est oratio quotidiana, vocalis et publica, Officium divinum, ut ipsum nomen significat, Deo exhibet cultum totius mundi visibilis, hominum, et speciatim Ecclesiæ.

(1) Act. App. I, II, IV. — Ep. I ad Corinth., XIV. — Ephes., V. — Coloss., III. — (2) S. Ignatius, S. Justinus, S. Ambrosius. — (3) Act. App., II, III, X. — Tertullianus. — *Constitutiones apostolicæ.*

Dicitur 4° *Nomine Ecclesiæ*, siquidem divinum Officium a ministris Ecclesiæ persolvitur, eamque triumphantem laudat, patientem consolatur, atque militantem adjuvat.

Dicitur 5° *In persona populi fidelis*. Cum fideles universi, ac præsertim clerici, continuis laudibus Deo benedicere debeant, idque ob naturæ humanæ infirmitatem et hujus vitæ negotia perfici nequeat, statis saltem horis laudes Deo a ministris deputatis persolvendæ præcipiuntur, ut hoc pacto per diei cursum Deo preces sine intermissione offerre videamur.

679. — II. *Partes divini Officii* et *Horarum canonicarum numerus.*

1. Septem sunt Horæ canonicæ : Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium.

Septenarius earum numerus non caret mysteriis; nam septem diebus constat hebdomada, qua ubique terrarum distinguitur successio temporum, septem sunt sacramenta, septem petitiones orationis dominicæ, septem dona Spiritus Sancti ; atque tot quotidianis canticis æquum est jugiter celebrari tanta Dei beneficia. Insuper his horis impleta sunt mysteria Passionis dominicæ, semper et ubique recolenda, ut ab omnibus incessanter eorum fructus percipiatur : Christus quippe nocte captus, hora prima illusus, tertia condemnatus, sexta crucifixus est, nona exspiravit, vespertina de cruce depositus est, et hora completorii quievit in sepulchro.

2. Officium divinum dividitur in *nocturnum* et *diurnum*. Nimirum, primitiva Ecclesia imitata est morem antiquorum, qui noctem dividebant in quatuor vigilias, et diem in quatuor stationes æquales ; continebant autem singulæ tum vigiliæ, tum stationes diei, tres circiter horas.

Hinc vel dicebantur simul media nocte Matutinum et Laudes, vel Nocturna seorsim secundum vigilias noctis, ita ut prima vigilia diceretur primum nocturnum, secunda secundum, tertia tertium, et quarta Laudes, jam aurora illucescente.

Cæteræ partes divini officii dicebantur horis ex quibus nomen acceperunt. Incipiebat dies naturalis ab ortu solis; unde tunc primam clerici recitabant horam, et deinceps tertiam, sextam et nonam. Vesperæ dicebantur paulo ante occasum solis, et Completorium in diei crepusculo.

§ 3. — *Obligatio persolvendi horas canonicas.*

680. — I. *Quinam obligentur ad officium divinum.* — Obligatio ejusmodi oritur ex triplici titulo Ordinis sacri, beneficii et religionis. Itaque Horas canonicas recitare debent :

1. Clerici in sacris Ordinibus constituti ;

2. Clerici beneficium obtinentes;

3. Regulares qui professi sunt solemniter religionem choro adstrictam. (Cf. n. 575.)

II. *De modo persolvendi officium divinum* disserit Theologia moralis (1).

(1) Vide S. Alph., lib. IV, 140-179. — Inst. mor. Alph., n. 2208 et seqq.

ARTICULUS II

DE DIEBUS JEJUNII

Inter actus ad cultum divinum spectantes, recensetur observatio jejuniorum, quæ præcipuis festivitatibus et anni divisionibus, sive ad excitandam devotionem majorem, sive ad gratiam ampliorem promerendam, ab Ecclesia præmittuntur (1).

Licet ad theologiam moralem potius pertineat præsens materia, pauca tamen dicemus : 1° de jejunio in genere ; — 2° de diebus quibus jejunium ab Ecclesia est præceptum fidelibus.

§ 1. — *De jejunio in genere* (2).

681. — I. Jejunii nomine significamus parcimoniam victus in quantitate et qualitate.

Distinguitur jejunium in *naturale* et *ecclesiasticum*. Jejunium naturale nihil cibi potusque permittit a media nocte ; tale est jejunium eorum qui Eucharistiam accipiunt.

Jejunium ecclesiasticum, ab Ecclesia certis diebus præceptum omnibus qui 21^{m} ætatis annum compleverunt, permittit cibum ac potum, modo statuto tempore talis tantum capiatur qualis tunc capi potest.

682. — II. *Forma jejunii ecclesiastici*. — Ad illud tria requiruntur : 1° abstinentia a carnibus ; 2° unica refectio ; 3° tempus cœnæ congruum.

Lex mitigatur sive consuetudine, quæ induxit usum collatiunculæ vespertinæ primum, et postea frustuli matutini duas uncias non excedentis, sive dispensatione apostolica quoad abstinentiam quibusdam diebus Quadragesimæ.

Ab obligatione jejunii excusant ætas, infirmitas, paupertas, labor corporalis et pietas.

§ 2. — *Dies jejunii*.

683. — Solemnia jejunia, ab omnibus servanda, sunt quadragesima, quatuor tempora et vigiliæ.

1. *Jejunium Quadragesimæ* ab Apostolis institutum fuit, ad exemplum Christi. Nunc complectitur 40 dies, atque ejus initium fit a die Cinerum ; olim vero incipiebat a prima dominica Quadragesimæ et constabat sex hebdomadibus seu 36 diebus, eo quod die dominica christiani non jejunant, ob memoriam Dominicæ Resurrectionis. Mos incipiendi jejunium post primam dominicam Quadragesimæ retentus est et viget Mediolani.

2° *Quatuor temporum jejunia* quotannis feria quarta, sexta et sabbato, celebrantur. Ratio hujus institutionis assignatur triplex : 1° Exemplo Judæorum, qui quater in anno jejunabant, ejusmodi jejuniis id sibi vult Ecclesia, ut pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus, divinam opem exoremus, et pœnitentiæ operibus nostra crimina expiemus. — 2° In quatuor anni partibus, trina jejunia pro mensium numero prædicant omnes totius

(1) *Gregor. Decretales*, lib. III, tit. 46, *de Observatione jejuniorum*. — Benedicti XIV const. *Non ambigimus, In suprema*. — Schmalzgrueber, lib. III, XLVI. — Thomassin, *Traité des jeûnes de l'Eglise*. — (2) S. Alph., lib. III, 1004-1050. — Inst. mor. Alph., n. 1218 et seqq.

anni eventus et actiones nostras a Deo pendere; unde jejunium vernum in Quadragesima, æstivum post Pentecosten, autumnale mense septembri, hiemale vero mense decembri celebramus. — 3° Jejunamus ut dignos altaris ministros impetremus. Sicut Apostoli ordinationes præmisso jejunio peragebant, ita hæc jejunia ideo instituta sunt, quia illis temporibus clerici ordinantur. (Act. Ap., XIII, 2-3.)

3. *Vigiliæ* erant nocturni cœtus, quos primi christiani in ecclesia habebant ante aliquos festos dies, oratione et jejunio se ad solemnitatem præparantes. Justa de causa sublatis vigiliis, una excepta vigilia Nativitatis Domini, remanserunt jejunia in pervigilio quarumdam solemnitatum.

Jamvero Ecclesia jejunio celebrat vigilias Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et SS. Apostolorum, *præter vigilias apostolorum Philippi et Jacobi, et Joannis evangelistæ, quoniam illorum solemnitas intra tempus paschale, istius autem infra Nativitatem Domini incidit* (1). Si vero vigilia incidat in dominicam, jejunium anticipatur die sabbati.

Extra Galliam, fere ubique reducta sunt vel translata jejunia vigiliarum, sive consuetudine præscripta, sive indultis pontificiis.

Ad Galliam quod attinet, eodem decreto quo sublatæ sunt pleræque festivitates de præcepto, pleraque etiam vigiliarum jejunia fuerunt sublata (2). Cum festum SS. Petri et Pauli non sit omnino suppressum, sed solum ad dominicam subsequentem translatum, diversa fuit interpretatio decreti, diversaque praxis invaluit. Ex consuetudine vel ex indulto S. Sedis, istud jejunium in plerisque diœcesibus non servatur. Ubi viget lex, ordinarie jejunatur pridie solemnitatis.

684. — II. Præter dies jejuniorum, sunt etiam alii *dies abstinentiæ*, scilicet, singulis hebdomadibus Ecclesia per abstinentiam celebrat feriam sextam in memoriam Passionis dominicæ, et sabbatum in honorem tum sepulturæ Christi, tum dolorum B. Mariæ Virginis, nisi Nativitas Domini vel in feriam sextam vel in sabbatum incidat; tunc enim licet vesci carnibus, ob excellentiam festivitatis.

Abstinentia est insuper servanda die S. Marci et tribus feriis Rogationum; sed pro illis diebus et pro sabbatis per annum S. Sedes pluribus locis concessit indulta plus minusve ampla, quibus standum est.

ARTICULUS III

DE FESTIS ANNI LITURGICI

Quæ de præstantissima hac materia indigitari hic potius quam tractari possunt, reducuntur ad dicenda: — 1° de festis in genere; — 2° de festis et cultu Sanctorum.

§ 1. — *De festis in genere* (3).

685. — I. *Origo festorum* innotescit ex eorum antiquitate et fine.

1. *Festorum antiquitas.* — Apud christianos, jam ab Apostolorum ætate instituti sunt dies festi. Antiquitate cæteros vincunt dies dominici, Pas-

(1) *Decretal.* lib. III, tit. 46, cap. *Consilium.* — (2) Indultum Legati pro reductione Festorum, 9 april. 1802. — (3) S. Alph., lib III, 266 et seqq.

cha, Ascensio et Pentecostes. Postmodum iis accesserunt Nativitas Christi, Epiphania, festa B. Mariæ Virginis, solemnitates SS. Apostolorum, Martyrum et Confessorum, aliæque complures.

2. *Finis* hujus institutionis est communis et peculiaris. *Communis* finis designatur, dum asseritur festivitates institutas esse ad recolendam memoriam divinorum beneficiorum, ad cultum Deo præstandum, atque ad nostrum solatium.

In finem *particularem* festivitates Sanctorum institutæ sunt, scilicet, ut Deo gloria detur ob victorias ab eis Christi gratia adjuvante relatas, ut eorum laudes celebremus et cultum promoveamus, ut illi nos interventu suo protegant, atque ut exemplis ad eorum imitationem accendamur.

686. — II. *Variæ species festorum.* — 1. Dies festi sunt vel *mobiles*, vel *immobiles*. Mobiles dicuntur qui non eodem die quovis anno celebrantur; immobiles, qui certis semper diebus hærent, v. g. Natalis Domini, Circumcisio ejus.

Dierum festorum mobilium celeberrimus est Paschalis, a quo principaliter reliqui mobiles pendent. Pascha præceditur jejunio quadragesimali, ad quod animi præparantur tribus hebdomadibus, nempe, *septuagesima*, *sexagesima* et *quinquagesima*, in quibus Ecclesia deponit canticum *Alleluia* et indumenta lætitiæ. Pascha sequitur Ascensio Domini post 40 dies, post 50 Pentecostes. Reliqui dies dominici usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, numeris distinguuntur. Unde in figendo Paschate præcipuus labor.

Porro Pascha celebrandum est die dominica quæ post æquinoctium vernum ip am lunam XIV^{m} proxime sequitur; unde nec ante diem 22^{m} martii, nec post 25^{m} aprilis occurrere potest (1).

2. Alia sunt festa generalia, alia particularia quibusdam regionibus vel institutis.

3. Distinguuntur festa de præcepto et festa devotionis.

Festa de præcepto recensentur ab Urbano VIII in const. *Universa*, cui tamen variis in locis derogatum est.

687. — III. *Potestas instituendi festa de præcepto* spectatur vel quoad Ecclesiam universam, vel quoad Ecclesias particulares.

1. Dies festos, quos de præcepto omnes christiani observare debeant, constituit solus Summus Pontifex, ad quem pariter pertinet jus imminuendi numerum festorum, ratione primatus jurisdictionis.

2. Ex Concilio Tridentino (2), Episcopi videntur dies festos in sua diœcesi præcipere posse. Verum Urbanus VIII, in laudata constitutione, illos monet ut a novis festis præcipiendis abstineant.

§ 2. — *De festis et cultu Sanctorum.*

Festa non instituuntur in honorem Servorum Dei, neque cultus publicus eisdem exhibetur, antequam de illorum sanctitate constiterit Ecclesiæ judicio, quod per beatificationem et canonizationem Sanctorum profertur;

(1) Rubricæ Breviarii Romani, *de Computo et Calendario.* — (2) Sess. XXV, cap. XII, *de Regularibus.*

quare dicemus : — 1° de beatificatione et canonizatione Sanctorum ; — 2° de cultu eis exhibendo.

I. — De beatificatione et canonizatione Sanctorum.

688. — I. *Justorum multiplex gradus* distinguitur nominibus *Servorum Dei, Venerabilium, Beatorum* et *Sanctorum.*

Servi Dei appellantur qui cum publica sanctitatis fama obierunt ; — *Venerabiles*, quorum sanctitatis fama judiciali ratione comprobata est, et causa canonizationis apud S. Cong. Rituum introducta ; — *Beati*, quorum cultus pontificio decreto permittitur Ecclesiis particularibus ; — *Sancti* denique, qui supremo Papæ judicio in universa Ecclesia colendi esse decernuntur.

Itaque beatificatio differt a canonizatione. Beatificatio est actus quo R. Pontifex certis aut cœtibus indulget (sed non præcipit) ut aliquis servus Dei nuncupetur Beatus et cultu limitato recolatur. Canonizatio autem est sententia *ex cathedra*, qua R. Pontifex infallibiliter definit aliquem servum Dei esse sanctum et in cœlis regnare, atque decernit in universa Ecclesia ejus memoriam recoli debere.

689. — II. *Cujus auctoritate fiant beatificatio et canonizatio ?*

Olim sufficiebat auctoritas Episcopi, qui in synodo una cum clericis suis causam examinabat ac probabat. Post judicium episcopale, novus Sanctus in diœcesi tantum colebatur ; ad alias vero diœceses aut provincias cultus ejus traducebatur, cum per encyclicas aliæ Ecclesiæ de judicio Episcopi factæ fuerant certiores, ipsumque judicium probaverant. Præcipua autem habebatur ratio judicii Summi Pontificis, ad quem acta Episcoporum aliquando referebantur ut, statim ac ab eo probata fuissent, in universa Ecclesia cultus Sancti celebraretur (1).

Ex quo liquet tunc jam agnitum fuisse duplex Beatorum genus, quorum aliqui tales habebantur in una Ecclesia post judicium Episcopi, alii autem post judicium pontificium omnibus Ecclesiis propositum.

Paulatim factum est ut reservaretur R. Pontifici facultas decernendi cultum publicum, non solum in universis, sed etiam in singularibus Ecclesiis ; quod jam obtinuisse tempore Alexandri III constat ex Decretalium titulo, *de Reliquiis et veneratione Sanctorum*, qui est 45[us] lib. III. Unde S. Rituum Congregationi *extraordinariæ* omnes causæ Beatificationis et canonizationis committuntur examinandæ. (V. supra, n. 363.)

690. — III. *Quis possit beatificari et canonizari?*

Ille tantum beatificari et canonizari potest, de cujus *sanctitate* et *miraculis* per probationem juridicam plenissime constat. Præter vitæ sanctitatem, quæ demonstrari debet tum ex integritate fidei, tum ex cæteris virtutibus theologicis et moralibus in gradu heroïco, exiguntur etiam miracula, quæ, velut Dei ipsius suscriptio plane authentica et omnibus obvia, servi Dei sanctitatem probent, et voluntatem Dei patefaciant circa cultum illi decernendum et exhibendum.

(1) Berardi, *Commentaria* in librum V *Decretalium*.

Ad beatificandum et canonizandum martyrem, oportet constare de martyrio, et regulariter requiruntur miracula.

691. — IV. *Forma procedendi ad beatificationem et canonizationem Sanctorum.*

1. *Forma procedendi ad beatificationem.* — *Primo*, procurante postulatore ad causam promovendam deputato (1) ab Episcopo vel ab alio prælato cui subjectus fuit servus Dei, aut ab illius successore, et auctoritate Ordinarii vel Ordinariorum, fit processus informativus 1° de fama sanctitatis et miraculorum, tum ut dijudicari possit an causa mereatur introduci apud S. Sedem, tum ne pereant probationes ; 2° de non cultu. Uterque processus mittitur ad S. Congr. Rituum in linguam latinam translatus, si fuerit vernaculo idiomate exaratus ; et intoductio causæ petitur a S. Pontifice, supplici libello suffragium suarum litterarum addentibus regibus et principibus, episcopis et aliis prælatis tum sæcularibus tum regularibus, magistratibus et collegiis.

Colliguntur etiam quotquot supersunt scripta servi Dei, vel eorum apographa authentica, examini S. Congr. Rituum subjicienda sive ante, sive post introductionem causæ.

Secundo, S. Congr. Rituum excipit utrumque processum informativum, communiter factum ab Ordinario loci in quo obiit servus Dei ; eos tamen non aperit et examinat ante decennium ab eorum receptione expletum, nisi a S. Pontifice concedatur dispensatio ad eos citius aperiendos.

Tertio, supplicante Postulatore causæ, et referente secretario S. Congr. Rituum, S. Pontifex designat Cardinalem *Ponentem* seu relatorem causæ.

Quarto, auditis defensore causæ et Promotore fidei, mature deliberat S. Congregatio utrum introducenda sit causa proposita. Postquam autem statuit eam posse introduci, si S. Pontifici placuerit, S. Pontifex annuit et signat propria manu decretum introductionis, quo ad S. Congr. Rituum exclusive devolvitur causa, extra delegationem apostolicam ; et deinceps servus Dei auctoritate apostolica appellatur *Venerabilis*.

Quinto, S. Congregatio inquirit 1° de non cultu (nisi agatur de beatificatione extraordinaria seu *æquipollente*, quæ consistit in approbatione cultus a pluribus sæculis redditi alicui servo Dei), 2° de fama sanctitatis in genere, præsertim in loco ubi obiit. Ad hoc eligit, et constituit per litteras *remissoriales* commissarios, qui conficiant *processum in genere*, ex quo constet perseverare famam sanctitatis servi Dei, nec quidquam post processum informativum contigisse quod obstet prosecutioni causæ. Litteris remissorialibus adduntur etiam *compulsoriæ*, v. g. in causa S. Vincentii a Paulo, ut liceat commissariis recurrere ad processum informativum Ordinarii, quoties testificari impediuntur vel mortui sunt testes quorum depositiones in eo inscriptæ fuerunt. Imo, si timeatur ne testes conspicui mox moriantur, supplicatur ut cum processu in genere fiat *processus in specie*, ad effectum audiendi testes seniores aut infirmos, *ne pereant probationes*.

(1) Ex decreto S. C. Rit., 21 dec. 1893. « Postulator principalis unicus esse debet, et in Urbe fixam habere sedem. Vicepostulatores autem nonnisi a principali postulatore eligendi sunt, sub pœna nullitatis actorum omnium quæ per eosdem aliter deputatos fieri contigerit. »

Expleto munere, tribunal commissariorum ad S. Congregationem mittit suæ inquisitionis processum; qui, si quoad res et formam videatur probandus, postquam contradictorie discussus est, decreto publico S. Pontificis approbatur; et sic clauditur prima instantia, ad famam sanctitatis et miracula in genere limitata.

Sexto, iterum supplicante Postulatore, vi alterius mandati a S. Pontifice ratihabiti, commissarii novum instituunt processum, scilicet de virtutibus et miraculis in specie, in cujus termino aperitur sepulcrum et fit minutissima corporis servi Dei descriptio. Recognita validitate hujus processus, examinantur scripta Venerabilis servi Dei, quotquot reperiri potuerunt; postmodum vero separatim discutiuntur virtutes et miracula in specie.

Septimo, post annos 50 saltem ab obitu servi Dei, juxta regulam Urbani VIII (super qua hodie facile conceditur dispensatio), primum examinantur ejus virtutes in triplici congregatione, scilicet, antepræparatoria, præparatoria et generali. In *antepræparatoria*, quæ veluti præambulum est præparatoriæ et coram Cardinali Ponente habetur, Promotor fidei (vulgo *Advocatus Diaboli*) objicit difficultates ex parte rei ductas, non vero ex parte formæ. — *In præparatoria*, coram S. Rituum congregatione, per singula discutitur dubium : *An constet de virtutibus theologicis et cardinalibus, earumque annexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* In hac congregatione, singuli consultores quidquid sibi visum fuerit objiciunt et proponunt. — In *generali*, coram S. Pontifice, Cardinales suum suffragium scripto emittunt per verba *constat* vel *non constat;* sed ipse Pontifex suspendit de more resolutionem suam, eam postea pronuntiat coram quibusdam cardinalibus aliisque accersitis, et tandem tempore sibi bene viso edit decretum quo declaratur Venerabilem servum Dei in gradu heroico coluisse virtutes theologicas et cardinales, cæterasque istis annexas.

Octavo, similiter in triplici congregatione examinantur miracula, antequam S. Pontifex decreto speciali duo saltem ex illis approbet. Ea autem approbare non solent cardinales, nisi concurrant saltem duæ tertiæ partes consultorum; nec S. Pontifex, nisi concurrant fere omnes cardinales.

Nono, approbatis virtutibus heroicis et miraculis, obiter, absque processu judiciali, et in congregatione generali ad aliam causam adunata, proponitur et resolvitur dubium : *An tuto procedi possit ad beatificationem Venerabilis servi Dei, N...?* Sed postea tantum S. Pontifex fert decretum quo statuitur *tuto procedi posse ad beatificationem.*

Decimo, in congregatione generali, S. Pontifex diem indicit pro solemni promulgatione decreti Beatificationis, quo indulgetur ut deinceps Venerabilis servus Dei nuncupetur Beatus, et in aliquibus locis cultu publico honoretur. Die vero indicta, decretum coram cardinalibus et cæteris adstantibus promulgatur a secretario Congr. Rituum, absente S. Pontifice.

Forma procedendi ad beatificationem hucusque descripta adhibenda est in causis confessorum, virginum et aliarum mulierum; sed in causis martyrum longe brevior et simplicior forma servatur. Non enim examinantur virtutes; sed, post processum informativum aliasque prævias

inquisitiones, ordinarie in congregatione generali unicum proponitur et resolvitur dubium : *An constet de martyrio et causa martyrii, necnon de signis et miraculis, in casu et ad effectum de quo agitur ?*

Solum martyrii factum probari stricte requiritur, nec aliqua lege præscribitur proferri et approbari miracula a Venerabilii servo Dei patrata; mos est tamen allegari et probari quædam miracula, quibus Deo auctore confirmantur testimonia et argumenta humana martyrii.

2. *Forma procedendi ad canonizationem.* — Post beatificationem, ad canonizationem non proceditur, nisi continuante ac crescente fama sanctitatis, et supervenientibus saltem duobus novis miraculis.

Auditis novis miraculis, et supplicante postulatore causæ, signatur commissio, et processus a tribus commissariis apostolicis conficiuntur, juxta regulas pro beatificatione servatas. In tribus congregationibus, examinantur processus, sanctitatis fama et miracula; quibus approbatis, proponitur dubium : *an, approbatis miraculis, deveniri possit ad canonizationem ?*

Absolutis consistoriis privato, publico et semipublico, S. Pontifex se aliorum orationibus commendat, diemque peragendæ canonizationis statuit, in qua, solemni pompa adhibita, definit servum Dei esse sanctum, ac ejus memoriam ab universa Ecclesia recoli debere decernit (1).

II. — De cultu Sanctis exhibendo.

692. — I. *Cultus Beatis exhibendus* duplici regula determinatur : si sermo sit de Beatis immemorabilem cultum possidentibus, eis exhibentur actus cultus quos usu obtinuerunt; Beatificatis vero in forma consueta exhibetur cultus in Indulto S. Pontificis designatus. Sic Benedictus XIII, inter Beatos inscribens S. Vincentium a Paulo, indulsit ut ejus corpus et reliquiæ venerationi fidelium exponerentur, quin tamen deferri possent in sacris processionibus; ut ejus imagines radiis insignirentur; atque ejus festum quotannis celebraretur in congregatione Missionis, in oratoriis Puellarum Caritatis et in quatuor locis, nativitate, vita et obitu servi Dei illustratis. Insuper, nomen ejus in martyrologio romano insertum fuit.

693. — II. Cultus Sanctis canonizatis exhibendus septem actibus constat : 1° inscribuntur in catalogo sanctorum; 2° invocantur in publicis Ecclesiæ precibus, neque pro eis orare licet; 3° templa in eorum memoriam eriguntur; 4° in eorum honorem missa offertur et divinum officium celebratur; 5° dies festi in eorum anniversariis aguntur; 6° eorum imagines cum radiis et diademate in signum gloriæ pinguntur; 7° eorum reliquiæ publice honorantur.

CAPUT III

DE ADJUNCTIS CULTUS DIVINI

Præcipua adjuncta cultus divini sunt : 1° loca sacra; 2° res sacræ.

(1) Benedictus XIV, *de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum.*

ARTICULUS I

DE LOCIS SACRIS

Ut loca sacra habentur : — 1° ecclesiæ, quæ *consecrari* solent; — 2° cœmeteria, quæ *benedicuntur*; — 3° loca *sancta*.

§ 1. — *De ecclesiis.*

694. — Ecclesiæ dicuntur ædes sacræ in quibus fideles ad cultum divinum publice congregantur.

Variæ illarium species. — Ecclesiæ, ratione dignitatis, vel rectorum, vel functionum, varia sortiuntur nomina.

1. Ratione *dignitatis* seu *privilegiorum*, *Basilicæ* (etymologice *regales*) vocantur ecclesiæ cæteris sive antiquitate, sive amplitudine aut celebritate nobiliores, et ideo majori veneratione gaudentes.

Basilicæ dicuntur *majores* vel *minores*. Quatuor sunt Romæ basilicæ majores in memoriam quatuor primarum Ecclesiarum patriarchalium, nempe Lateranensis, Vaticana, Sancti Pauli in via Ostiensi et Liberiana Sanctæ Mariæ Majoris, quibus repræsentantur Sedes Romana, Constantinopolitana, Alexandrina et Antiochena.

Sunt plures, tum Romæ, tum in variis regionibus, basilicæ minores, quas R. Pontifex hoc titulo et quibusdam privilegiis honestari voluit.

2. Ratione *rectorum* qui eis præsunt, distinguuntur ecclesiæ *patriarchales*, *primatiales*, *metropolitanæ*, *cathedrales*.

3. Ratione *functionum* quæ in eis obeuntur, ecclesiæ sunt *collegiatæ*, *parochiales*, ecclesiæ regularium vel confraternitatum.

4. Ecclesia *mater* seu *matrix* fixam notionem non habet. Nunc denotat eam a qua aliæ ecclesiæ propagatæ sunt; nunc cathedralem, cui opponuntur inferiores tituli; nunc ecclesiam aliis digniorem in oppido; nunc denique parochialem, relate ad ecclesias filiales eidem unitas.

5. Prævaluit usus distinguendi *ecclesias proprie dictas* et *oratoria*.

I. — De ecclesiis proprie dictis.

Dicendum est de ecclesiarum ædificatione et reparatione, consecratione et benedictione, immunitate, exsecratione et pollutione, atque reconciliatione.

1. — *De ecclesiarum ædificatione et reparatione.*

695. — I. Ad ædificandas novas ecclesias, maxime parochiales, requiruntur : — 1° *auctoritas Episcopi*, si in loco non exempto ecclesia construenda sit; — 2° *justa causa*, v. g. difficultas adeundi parochialem ecclesiam pro percipiendis sacramentis et audiendis officiis divinis, crescens fidelium numerus; — 3° *citatio rectoris* parochiæ intra cujus fines nova ecclesia est erigenda, quia Episcopi est providere ut ecclesiæ matrici servetur honor debitus; — 4° *dos competens*, novæ ecclesiæ assignanda, sive ex reditibus certis, sive ex eleemosynis et oblationibus verisimiliter obventuris (1).

Episcopus decernit an justæ sint et audiendæ reclamationes contra novæ

(1) Pontificale Romanum, *de Benedictione et impositione primarii lapidis.*

ecclesiæ ædificationem ab iis quorum interest exortæ; et potest iis invitis permittere et jubere ut ædificetur ecclesia quam necessariam judicavit. Postquam autem consensit, per se vel per delegatum novæ fabricæ locum inspicit, crucem in eo figit et primarium lapidem benedicit et ponit, juxta ritum in Pontificali et in Rituali Romano descriptum.

696. — II. Deficiente requisita decentia, reparandæ sunt ecclesiæ, necnon illarum partes accessoriæ, supellex, atque ædes habitationi rectoris destinatæ.

Quis autem concurrere debeat ad reparationem ecclesiæ parochialis, non determinatur ubique eadem et immobili regula. Ante omnia standum est fundationis instrumento, locorum consuetudinibus et specialibus conventionibus. Sic in Gallia, si deficiant reditus ecclesiarum parochialium, ad municipium vel etiam ad gubernium recurritur.

Seclusis statutis particularibus,

1. Ecclesia parochialis reparanda est primum ex reditibus ejus ad fabricam destinatis; deinde ex superfluis reditibus parochi vel aliorum beneficiatorum.

2. Istorum defectu, parochiani ab Episcopo compelluntur ad ecclesiam instaurandam.

Quoad ecclesias quæ non sunt parochiales, nec parochialibus unitæ seu annexæ, onus eas conservandi et reparandi incumbit cœnobiis aliisve institutis quorum propriæ sunt, vel earum patronis aut rectoribus, juxta legem fundationis, vel incolis quibus proficiunt. In casu dubii aut impotentiæ, Episcopus statuit quomodo procedendum sit.

Si nullus suppetat modus ecclesiæ reparandæ, illa converti potest in profanos usus, non sordidos; ibi tamen crux erigitur, et jura subsistentia ad ecclesiam matricem vel viciniorem transferuntur (1).

2. — *De ecclesiarum consecratione et benedictione.*

697. — Ædificata ecclesia ritu solemni consecratur seu dedicatur, vel saltem prævia benedictione cultui divino addicitur, ex præcepto.

I. *Consecrationis* antiquitas, ritus et minister. — 1. Templorum consecratio seu dedicatio e Veteri Testamento ad Novum, atque ab Apostolis ad eorum successores transiit, et in Ecclesia semper observata fuit, quibusdam tantum cæremoniis additis a S. Sylvestro aliisque Romanis Pontificibus.

2. *Ritus* consecrandæ ecclesiæ describuntur in Pontificali Romano. Pridie jejunatur et celebrantur vigiliæ coram Reliquiis quæ in altari collocandæ sunt; sed hoc jejunium stricte servare non tenentur nisi consecrator et qui postulaverunt ab eo ecclesiam sibi consecrari (2). Die dedicationis, Episcopus ter exterius ecclesiam circumit aspergendo; in ipso templi pavimento delineat in modum crucis (*vulgo S. Andreæ*), prius effuso cinere, duplex alphabetum, nempe græcum ac latinum; 12 cruces in interioribus parietibus vel columnis pictas vel incisas signat atque sacro Chrismate ungit, quæ remanere debent et sedulo conservari in perpetuum testimo-

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. VII, *de Reform.* — (2) Instit. Alph., n. 1221.

nium consecrationis ecclesiæ. Præter has 12 cruces omnino necessarias, alia in superliminari portæ signari potest et ungi. Demum psalmis, hymnis, precibus, consecratione altaris majoris saltem, et missa, ab ipso consecratore celebranda, nisi gravi incommodo aut indulto pontificio excusetur, perficitur ecclesiæ consecratio.

Valide et licite a pluribus Episcopis fit ecclesiæ consecratio, non solum quando plura altaria consecrantur, sed etiam quando cruces parietum aliæ ab uno, aliæ ab altero liniuntur; nec est præfixus numerus Episcoporum qui partem rituum singuli explere possunt. — Præterea, alio tempore altaria minora seorsim consecrare licet.

Sicut homini baptizato nomen sancti imponitur, ita ecclesiæ consecratæ *titulus* alicujus mysterii vel unius aut plurium sanctorum, quo appellatur et ab aliis ecclesiis discernitur. Sæpe ille titulus nuncupatur *patronus;* sed patronus proprie dicitur aliquis sanctus in cœlestem protectorem alicujus loci electus a clero et populo, vel auctoritate apostolica designatus, vel immemorabili traditione ut talis invocatus. Hic habet patronatum totius territorii sibi pietate incolarum crediti, nec necessario illi dicatur ecclesia vel altare. Quia tamen consuetum est eumdem sanctum eligi in patronum loci et titulum ecclesiæ, usu communi indiscriminatim adhibentur nomina patroni et tituli.

Solemnitas dedicationis cum octava celebratur, et singulis annis anniversarium pariter cum octava iterandum est, ad instar majorum festivitatum. Attamen in Gallia anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum, quocumque die et tempore consecratæ sint, celebrandum est in dominica post octavam Omnium Sanctorum, vi decreti Cardinalis Legati, legi communi derogantis (9 april. 1802).

Consecratio ecclesiæ iterari nequit, nisi vel amissa fuerit per exsecrationem, vel de illius validitate dubitetur.

3. Consecratio ecclesiarum est propria *muneris episcopalis.* Ratio est, quia solemniter per unctionem Chrismatis perficitur.

Legitime fit ab episcopo loci in quo sita est ecclesia, vel ab alio cum illius licentia; valide vero quicumque Episcopus consecrat.

II. *Benedictio* a consecratione differt, quatenus sine unctione perficitur et sacerdoti ab Episcopo delegari potest; unde illius ritus habetur in Rituali Romano.

3. — *De ecclesiarum immunitate.*

698. — Ecclesiæ, semel cultui divino addictæ, *immunitatis* privilegio gaudent. Duæ autem sunt hujus immunitatis partes : prima in eo consistit quod in ecclesiis certi actus fieri prohibentur; altera eo spectat ut rei in eis reperiant asylum.

699. — Primo quidem, *actus profani* in ecclesia prohibentur (1). — Isti actus sunt duplicis generis : alii sunt actus peccaminosi, quibus ecclesia polluitur; alii vero, per se liciti, ob specialem domus Dei et orationis sanctitatem in ecclesia exerceri prohibentur, quia vel turbant divinum officium, vel offendunt Dei majestatem.

(1) S. Alph., lib. III, n. 36-37

I. Non omnes actus peccaminosi qui fiunt in ecclesiis, speciem sacrilegii contrahunt, sed tantum illi qui, ex determinatione legis ecclesiasticæ, sanctitati ecclesiarum specialiter adversantur, et infra recensentur.

II. In ecclesiis fieri prohibentur : 1. judicia sæcularia, tum criminalia, tum civilia ; — 2. contractus, negotiationes et nundinæ, excepta venditione rerum piarum in atrio ecclesiæ, quæ ex consuetudine licet ; — 3. profani ludi theatrales et cantus alia quam pietatis causa instituti ; — 4. conciones politicæ, convivia, deambulationes, conversio in habitationem hominis, extra necessitatem ; — 5. munitio ecclesiarum per modum castri.

Præcipue sub sacrilegii reatu prohibetur ne vis inferatur ecclesiæ, diripiendo res sacras, vel eas ad usus sordidos aut criminosos adhibendo.

III. Actibus sacris annumerantur, ac proinde in ecclesiis haberi possunt Concilia ecclesiastica, collationes graduum Universitatis canonice erectæ, disputationes de scientiis sacris, coronatio regum...

700. — *Jus asyli* consistit in securitate quam locus sacer quibusdam reis illuc confugientibus præstat, adeo ut inde violenter extrahi aut ad supplicia capitalia rapi non possint (1).

I. *Illius origo* repetenda est a reverentia erga ecclesias. Nimirum pietati christianæ videtur injuriosum in Deum et inhumanum reos in Dei tutelam se recipientes violenter e loco sacro extrahere. Quod apud Græcos et Romanos in ædibus et locis sacris, et apud Hebræos in sex civitatibus refugii et ad altare templi constitutum erat, deinceps legibus canonicis confirmatum est, et civilibus sancitum. Cum autem jus asyli ex ipsa religione procedat, consequens est ut ab Ecclesia regatur. Unde legibus ecclesiasticis ampliati vel arctati sunt asyli fines, uti rerum ratio postulare videbatur (2).

II. *Juxta Decretales quoad loca et personas determinatur jus asyli.*

1. Jure asyli fruuntur tum *loca sacra*, nempe, ecclesiæ etiam non consecratæ et ædificia eisdem adjuncta, item oratoria Episcopi auctoritate constituta, non autem oratoria privata ; tum *loca religiosa*, nempe monasteria, palatium Episcopi, presbyteria sive domus parochiales, cœmeteria et hospitia ab Episcopo erecta (3).

2. Criminosus qui ad loca ejusmodi confugit, rogante Episcopo, vel mitiori pœna (saltem non pœna mortis vel mutilationis) afficitur, vel cum judicis sæcularis consensu pœnitentiis ecclesiasticis subjicitur.

Verum, ob boni publici exigentias, graviorum quorumdam criminum rei ab asyli beneficio excluduntur, videlicet, latrones publici, homicidæ ex intentione deliberata, rei læsæ majestatis, corrumpentes monetas, et falsificantes litteras apostolicas (4). — In dubio an crimen rei illum excludat a jure asyli, solus Episcopus pronuntiat.

III. Ad *praxim* quod attinet, leges hujusmodi, olim admodum utiles, hodie in plurimis regionibus non integre observantur. Cum enim nostra ætate criminosi non tam gravi coercitioni subjaceant, istud privilegium ex consensu Sanctæ Sedis ad arctiores limites revocatur.

(1) S. Alph., lib. III, 38. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. II, tit. VII. — (3) Schmalzgrueber, *de Immunitate ecclesiarum.* — Const. *Apost. Sedis*, Excom. simp. reserv. V. infra, n. 955. — (4) Giraldi, *Expositio juris pontificii*, lib. III, sect 635.

Attamen non licet illud prorsus abrogare, eo quod ecclesiis jure quasi naturali inhæret. Igitur servandum est, « in quantum id publica securitas et ea quæ justitia exigit fieri sinant (1). » Imo Constit. *Apostolicæ Sedis* excommunicatione latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ plectit eos qui ausu temerario immunitatem asyli ecclesiastici violari jubent aut violant (V. infra, n. 955).

4. — *De ecclesiarum exsecratione et pollutione.*

701. — *Exsecratio ecclesiæ.* — I. Exsecratur ecclesia, seu consecrationem amittit duobus modis (2) : 1. quando incendio ita exuritur, ut parietum crusta interior majori ex parte tollatur ; nam consecratio inhæret superficiei parietum, qui crucibus signantur et chrismate liniuntur; 2. a fortiori, quando corruunt ipsi parietes, saltem ex majori parte. — Si autem sola tecta vel partes ligneæ renoventur, comburantur aut aliter concidant, non exsecratur ecclesia.

II. Ecclesia prius diruta, quæ ex eadem prorsus materia de novo exstruitur, nova consecratione indiget. Ratio est, quia priorem amisit formam, cui consecratio inhærebat; nova enim censetur fabrica.

III. Si partes ecclesiæ successive reparentur, non deperditur consecratio. Idem dicendum est, si interior crusta per partes minores paulatim reficiatur.

Similiter, quando ecclesia amplificatur, ita ut nova pars addita sit minor, non opus est nova consecratione ; attamen laudabiliter nova pars aspergitur aqua benedicta.

702. — *Pollutio ecclesiæ.* — Polluitur ecclesia per quasdam actiones loco sacro injuriosas, ob quas, ex communi æstimatione, non decet et ab Ecclesia prohibetur in ea sacram Eucharistiam conservare, missam celebrare et divinum officium peragere, antequam reconcilietur (3).

I. Ecclesia quinque causis polluitur : 1. sepultura infidelis, non autem sepultura catechumeni aut infantis parentum fidelium, quorum corpora, licet extra locum sacrum recondi debeant, illum tamen in æstimatione hominum non videntur contaminare ; — 2. sepultura excommunicati vitandi ; — 3. homicidio voluntario et injusto, intra ipsam ecclesiam perpetrato ; — 4. gravi vulnere in illa inflicto cum sanguinis effusione ; — 5. fornicatione vel alia voluntaria seminis humani effusione, intra ipsam ecclesiam consummata.

II. Actus inducens pollutionem ecclesiæ debet esse publicus notorietate juris aut facti. Ratio est, quia in casibus occultis ecclesia suam bonam famam retinet. Si tamen causa pollutionis primum occulta fiat publica, tunc incipit pollutio cum suis effectibus.

III. Aliis criminibus ecclesia non polluitur. Hinc illius desolatio seu conversio ad usus profanos, v. g. tempore belli, eam non violat. Verum ex praxi recepta tales ecclesiæ ad cautelam reconciliantur, ne forte pollutæ sint.

(1) Concordatum Austriacum, art. 15. — (2) S. Alph., lib. VI, 368. — (3) Ibid., 364-367.

5. — *De ecclesiarum reconciliatione.*

703. — Diverse peragenda est ecclesiæ reconciliatio, prout agitur de ecclesia consecrata vel de ecclesia benedicta (1).

Reconciliatio ecclesiæ consecratæ nonnisi per Episcopum regulariter fieri potest, neque ab Episcopo sacerdoti delegatur, nisi ex indulto R. Pontificis et sub conditione utendi aqua ab Episcopo benedicta ; dum ecclesia benedicta per sacerdotem ab Episcopo delegatum reconciliatur, juxta ritum in Rituali Romano descriptum.

Sola celebratione missæ non reconciliatur ecclesia polluta. Ratio est, quia in Pontificali et Rituali Romano præscribitur modus omnino diversus reconciliandi ecclesiam.

II. — De oratoriis.

Oratoria sive Capellæ dicuntur sacella ad missæ celebrationem aliaque sacra munia exstructa, sed commoditati alicujus collegii vel familiæ destinata, potius quam libero usui populi fidelis; in quo differunt ab ecclesiis proprie dictis. — Distinguuntur in *publica* et *privata* seu *domestica*, prout omnibus fidelibus liber ad ea patet accessus, saltem hora missæ, vel in privatis ædibus continetur.

704. — *Notio oratorii publici.* — Oratorium publicum, ecclesiis annumerandum et earum privilegiis gaudens, sequentibus criteriis ab oratorio privato distinguitur :

1° Oratorium publicum habet ingressum in via publica, dum in oratorium privatum non patet aditus nisi per locum privatum.

2° Oratorium publicum usui publico destinatur, ita ut fideles in illud libere admittantur, etiam ad audiendam missam de præcepto.

3° Oratoriis publicis, non ratione situs, sed ratione personarum, accensentur quoad missæ celebrationem et auditionem, aliaque jura, et ideo oratoria semipublica appellantur, tum oratoria in privatis Cardinalium et Episcoporum domibus instituta, tum capellæ communitatum religiosarum utriusque sexus, seminariorum, hospitalium, carcerum, etc., quæ non habent ingressum in via publica, sed in quibus ex instituto aliquis Christi fidelium cœtus convenire solet ad audiendam missam, de episcopi licentia (2) ; et ipsis pariter conveniunt pleraque dicta supra, n. 693-703. — Imo, oratoria interna quæ Regulares et alii privilegiis eorum communicantes, in suis claustris seu domibus permanenter erigunt, licet sine designatione et approbatione Episcopi, idonea sunt ad missarum celebrationem aliasque quasdam functiones, et ipsi externi in eis satisfaciunt præcepto audiendi missam quocumque die.

4° Licet jure communi SS. Sacramentum servetur tantum in ecclesiis cathedralibus, parochialibus et Regularium, vi tamen immemorialis consuetudinis Episcopi solent concedere ut asservetur quoque in oratoriis publicis, quoties illud decere et expedire judicant (3).

(1) S. Alph., lib. VI, 362, 363. — Pontificale et Rituale rom., *De ecclesiis et cœmeteriis reconciliandis.* — (2) S. C. Conc., 2 jul. 1661. — S. C. Rit., 8 aug. 1854, 8 mart. 1879 et 23 jan. 1899. — (3) Bened. XIV const. *Quamvis justo*, 30 april. 1749, et *Magno cum animi*, 2 jun. 1751. Non permittitur, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus SS. Eucharistiam visitare cupientibus (S. C. Rit., 15 nov. 1890).

705. — *Facultas concedendi oratoria privata* (1).

1. Ante Concilium Tridentinum, præter amplissima privilegia Regularibus concessa, poterant Episcopi concedere licentiam celebrandi missam in oratoriis privatis ; sed, ob indiscretam facilitatem concedendi privilegium oratorii privati eoque utendi, sæpe sacra mysteria sine debita reverentia celebrabantur, et fideles a parochialibus ecclesiis avertebantur

2. Ad abusus removendos, Concilium Tridentinum statuit : « Ne patiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi (2). »

Tum ex decisionibus Congregationis Concilii (20 dec. 1856), tum ex pluribus Constitutionibus apostolicis, constat concessionem celebrationis missæ in oratoriis privatis, vi hujus decreti Tridentini, R. Pontificibus reservatam esse ; nec Episcopis competere nisi ex delegatione, vel « nisi magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum ».

706. — *Conditiones communiter requisitæ ab Indulto apostolico* (3).

1. Oratorium, decenter exstructum parietibus, per quos ab usibus domesticis segregetur, nec dormitorio suppositum, instruendum est omnibus necessariis ad missam celebrandam. Non est necessario benedicendum, nec benedici potest ritu præscripto pro ecclesiis et oratoriis publicis ; decet tamen illud per sacerdotem aliqua benedictione sanctificari, qualis v. g. habetur in Rituali *pro loco* et *pro domo nova*.

2. Prius ab Episcopo vel ejus delegato visitandum est et approbandum ; et, si transferatur, ratione mutationis habitationis solitæ privilegiatorum, cui connectitur, necesse est ut semper Episcopus novum sacellum recognoscat, ac de illius decentia judicium proferat.

3. Unica missa singulis diebus permittitur, nec potest celebrari, nisi actu intersit aliqua e personis quibus *principaliter* indultum concessum est, vel viaticum deferendum sit infirmo, cui aliunde difficillime porrigeretur ; imo in solemnioribus festis ordinarie non licet missam in oratoriis privatis celebrare, nisi pro infirmis. Eucharistia vero non potest in eo servari absque expressa concessione.

4. Designantur personæ quæ præcepto audiendi missam in oratorio satisfacere possunt, nempe ordinarie omnes qui sunt de familia indultarii, hospites, et famuli tempore missæ necessarii servitio domini sui.

5. Prohibetur ne juribus parochialibus præjudicium inferatur, v. g. quoad baptismum, nuptiarum benedictionem, primam aut paschalem communionem.

§ 2. — *De cœmeteriis* (4).

707. — I. *Notio et antiquitas*. — Cœmeteria apud Christianos vocantur loca sepulturis destinata. Ecclesia benedicit loca in quibus cadavera fidelium sepeliuntur, et respuit cœmeteria communia, in quibus digni et indigni sepultura christiana promiscue humantur. Ubi autem, sacra

(1) Gatticus, *de Oratoriis domesticis*. — (2) Sess. XXII, *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ*. — Clementis XI const. *Quoniam sancta* (1703). — Benedicti XIV const. *Magno*. — (3) S. Alph., lib. III, 318, 319. — (4) Vide supra, n. 626-630.

invadente et contemnente potestate civili, cœmeteria promiscua facta sunt, singulorum fidelium sepulturæ præmittitur benedictio fossæ.

Cum romanæ leges neminem intra urbem sepeliri permitterent, hæc loca initio erant extra civitatem. Verum, lapsu temporis, primum principibus, Episcopis et aliis viris præstantibus, deinde populo universo, non tantum in civitate prope ecclesias, sed intra ipsam ecclesiam sepultura concessa est; sed requiritur cadavera ab altari tribus saltem cubitis distare (*S. C. Rit., 5 aug. 1898*).

Attamen, videtur Ecclesiæ mens semper fuisse ut fidelium corpora non in ecclesiis, sed in cœmeteriis sepeliantur; nam Rituale Romanum sic decernit : « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur; et, ubi fieri potest, restituatur. »

708. — II. *Benedictio cœmeterii*. — Ante benedictionem, oportet cœmeteria muro circumdari et alta cruce signari.

Ab Episcopo, vel a presbytero quem Episcopus deputaverit, ritu solemni benedicuntur, ut animæ defunctorum magis a spiritibus immundis immunes reputentur, et suffragiorum Ecclesiæ sint participes. Propterea, in cœmeteriis benedictis illi tantum humari debent qui in communione Ecclesiæ defuncti sunt.

709. — III. *Cœmeterii pollutio et reconciliatio*. — 1° Cœmeterium polluitur iisdem modis quibus ecclesia. Imo, polluta ecclesia, etiam cœmeterium contiguum polluitur, quia est accessorium ecclesiæ, et accessorium sequitur principale.

2°. In cœmeterio polluto, donec reconcilietur, non debet aliquis sepeliri. Reconciliatio autem fit vel solemniter ab Episcopo juxta ritum Pontificalis, vel a presbytero delegato juxta Rituale.

§ 3. — *De locis sanctis.*

710. — Ecclesia, præter templa et cœmeteria, veneratur loca quæ Dei vel Sanctorum operibus sanctificata censentur. Jamvero ejusmodi locis cultus exhibetur per visitationem, quæ multiplici modo perficitur, sed præcipue per processiones, peregrinationes et *viam crucis*.

1. *Processiones* ad loca viciniora diriguntur; sunt enim publicæ supplicationes Deo factæ a clero et christiano populo, velut agmine ducto per vias ordinatim incedentibus, et de loco sacro ad sacrum procedentibus.

Aliæ sunt ordinariæ et generales, aliæ vero extraordinariæ et particulares. — Quædam constant ex solis clericis, quædam ex personis sæcularibus, quædam sunt mixtæ ex utrisque. — In quibusdam deferuntur Sanctorum reliquiæ vel sacræ imagines, in quibusdam Sanctissimum Sacramentum vel particula veræ Crucis. — Ex variis causis ob quas fiunt, aliæ dicuntur lætæ et festivæ, aliæ sunt tristes, in quibus fideles pœnitentiæ signa exhibent.

Episcopi est processiones indicere, permittere et ordinare, ac insuper invigilare ut honeste fiant, ad tramites juris et juxta rubricas.

II. *Peregrinationes* ad loca remota ordinantur, easque sive turbæ fidelium sive privati aggrediuntur. Præcipuæ sunt peregrinationes ad limina

Apostolorum sive sepulcrum SS. Petri et Pauli, Romæ; ad S. Jacobum Compostellanum; ad Loca sancta Palestinæ, in quibus scilicet Christus natus est, vixit et mortuus est; ad B. Mariam de *Lourdes* in Gallia, ubi Immaculata Deipara apparuit (anno 1858).

III. *Via crucis*, 14 stationibus constans, repræsentat loca Passione Christi sanctificata. Hujus institutionis ope, tot præcipuas circumstantias Passionis Domini recolunt, et indulgentias lucrantur fideles qui nequeunt loca sancta Hierosolymitana visitare.

ARTICULUS II

DE REBUS SACRIS

Distinguuntur : 1° res consecratæ; — 2° res benedictæ; — 3° res sanctæ.

§ 1. — *De rebus consecratis* (1).

Consecrantur altaria, calices et patenæ, atque campanæ.

711. — I. *Altaria.* — Eorum species, materia et forma, consecratio et exsecratio successive considerari debent (2).

1. *Species.* — Duplicis sunt generis altaria, nempe, *fixa* et *portatilia.* Fixa dicuntur illa quæ stabilia sunt, et consecrantur tanquam suæ basi conjuncta, ut alicui ecclesiæ firmiter adhæreant. Portatilia vero seorsum a basi consecrantur, ut ex uno loco in alium portari possint.

2. *Materia* et *forma.* — 1° Altaria, prioribus sæculis lignea, deinde lapidea aut marmorea facta sunt; possunt etiam fieri ex schisto (*ardoise*) satis duro, non autem ex gypso, nec ex lapide puniceo (*tuf, pierre-ponce*). — 2° Tabula cujusque altaris unico lapide quadrato vel oblongo constat, et tantæ saltem magnitudinis esse debet, ut super ea commode collocari possit calix cum patena, aut saltem *capiat hostiam et majorem partem calicis*, ut ait rubrica. — 3° Altaria sepulcrum in medio tabulæ superioris habent, id est, cavitatem in qua reliquiæ e corporibus duorum saltem sanctorum martyrum, quibus reliquias aliorum sanctorum licet conjungere, operculo lapideo et sigillo Episcopi recluduntur, ut constet de consecratione altaris et de authenticitate reliquiarum. Attamen sigillum non pertinet ad validitatem consecrationis; et si non fuerit appositum, vel exciderit, sufficit illud denuo apponi, modo aliunde constet de consecratione.

3. *Consecratio* altaris ita necessaria est, ut gravissimum peccatum committeret ille qui celebraret in altari non consecrato.

Ex jure communi, altaria sunt ab Episcopo consecranda, juxta ritum Pontificalis romani; et iste actus ordinis episcopalis nonnisi a Summo Pontifice presbyteris delegari potest. Hæc delegatio Cardinalibus presbyteris et Abbatibus benedictis competit pro ecclesiis suis.

4. Altare tribus modis *exsecratur : Prima* causa exsecrationis est ejusdem læsio enormis. Censetur autem altare enormiter fractum, si calix cum patena et hostia in nulla ejus integra parte consistere possit; imo

(1) Schmalzgrueber, tit. *de Consecratione.* — (2) S. Alph., lib. VI, 369-373.

exsecrata erit tabula, si pars fracta unam contineat e quinque crucibus ab Episcopo specialiter benedictis (1).

Altera causa est violatio sepulcri. Illud autem censetur violatum, quando auferuntur reliquiæ, vel operculum sepulcri amovetur aut enormiter frangitur.

Tertia causa est remotio lapidis superioris a basi, in altari fixo. Si autem integrum cum basi sua absque ulla disjunctione transferatur in alium locum ejusdem ecclesiæ, non exsecratur.

5. Exsecrato altari, non exsecratur ecclesia; neque exsecratur altare per exsecrationem ecclesiæ. Ratio est, quia utraque, scilicet, ecclesiæ et altaris consecratio, stat per se principaliter, nec una alterius est accessoria; unde in ecclesia benedicta licet consecrare altare fixum, quin ipsa consecretur.

Aliter vero dicendum de pollutione; nam, altari polluto, ecclesia polluta censetur, et vicissim per pollutionem ecclesiæ polluitur altare fixum. Ratio disparitatis inter hunc et præcedentem casum est, quod pollutio afficit totum ambitum internum ecclesiæ; exsecratio autem afficit solos parietes, aut solum altare.

712. — II. *Calicis et patenæ* materia, consecratio et exsecratio (2).

1. Prioribus sæculis, non tam ad materiam calicis quam ad virtutem sacerdotis sacrificantis respexit Ecclesia. Postea vero prohibuit ne calix et patena conficerentur ex ligno, vel ex vitro, vel ex lapide, vel ex ære aut cupro; et præcepit saltem cuppam calicis et patenam ex argento fieri. Æs quidem, ferrum, stannum et cuprum pro pede calicis non sunt prohibita jure communi; sed non admittuntur, nisi ob paupertatem ecclesiarum. Semper vero cuppa calicis et patenæ pars superior deauratæ esse debent. — Ex recenti concessione, sunt liciti calices ex *aluminio*, confecti juxta instructionem S. Cong. Rituum (6 dec. 1866).

2. Calicis et patenæ consecratio necessaria est, et ab Episcopo solo per unctionem chrismatis perficitur.

3. Generatim, vasa sacra suam deperdunt consecrationem et tradi possunt artifici laico ut reficiantur, quando inepta fiunt suo ministerio.

In specie, consecratio calicis amittitur : 1° quando ipsius fundus perforatur; — 2° quando ita frangitur ut non amplius decenter inservire possit, non autem per aliquos ictus a fabro inflictos; — 3° quando cuppa separatur a pede, nisi sit tornatilis; — 4° quando de novo inauratur cuppa, vel omnino amittit inaurationem.

Quamdiu calix et patena retinent suam consecrationem, non possunt contrectari a laico; ideo requiritur licentia Ordinarii ut artifici committantur. Pes tamen calicis tornatilis ei sine licentia traditur, eo quod non est consecratus et potest a cuppa consecrata sejungi sine fractura.

713. — III. *Campanarum* consecratio et usus.

1. Campanæ baptizari dicuntur, eo quod abluantur et sacro chrismate ungantur, et iisdem nomen sanctorum imponatur. Hujusmodi consecratio

(1) Decret. authent. S. Cong. Rituum, n° 2612; Gardellini, n° 4577. — (2) S. Alph., lib. IV, 370.

fit ut campanarum sonitu quasi sacrato populus ad laudes divinas convocetur, repellantur insidiæ dæmonum, tempestates noxiæ fugentur.

Campanarum consecratio ad Episcopum pertinet jure communi, eadem lege quæ ei reservantur omnes benedictiones per unctionem Chrismatis perficiendæ ; nec presbyter ab eo delegari potest absque indulto pontificio.

2. Campanæ benedicuntur in usum tantum ecclesiasticum. Propterea usui mere civili et profano inservire nequeunt, nisi in quibusdam circumstantiis Episcopus saltem tacite permittat hoc fieri, v. g. ad monendum populum in casu periculi imminentis, occasione adventus Principis, ad signum scholæ dandum, etc., quia tunc campanarum usui inest aliqua ratio virtutis.

§ 2. — *De rebus benedictis.*

Ad res benedictas pertinent quædam vasa sacra, altaris linteamina et vestes sacræ (1).

714. — I. *Vasa sacra* quæ solummodo ad recipiendam Eucharistiam destinantur, nempe, ciborium seu pyxis et lunula ostensorii, benedici debent. Benedictio vero totius ostensorii et tabernaculi, etsi laudabilis, non est imperata.

Hæc vasa benedicuntur ab iis qui habent facultatem benedicendi vestes sacras.

Vascula in quibus chrisma et olea sancta continentur debent esse argentea vel stannea, propriisque inscriptionibus distincta. Decet illa benedicere, sed nulla lege præcipitur.

715. — II. *Linteamina altaris.* — Benedici debent mappæ sive tobaleæ altaris, corporalia et pallæ, non vero purificatorium, bursa et velum calicis.

Omnia lintea altaris, sicut albæ, cingula et amictus, conficiuntur ex lino vel cannabe, et expresse prohibitum fuit uti corporalibus, pallis et purificatoriis ex gossypio confectis (2).

716. — Rubricæ Missalis et Ritualis romani, decreta Congr. Rituum et legitimæ consuetudines præfiniunt *vestium sacrarum* materiam, formam, colorem et benedictionem.

Vestimenta quibus Domino ministratur debent esse honesta, ex filo serico confecta, saltem quoad externam partem panni, et benedicta ab Episcopo vel a presbytero delegato. Suam autem benedictionem amittunt, quando vel non amplius sunt apta ad ministerium, vel suam formam non retinent.

Nota. — Præter vasa, linteamina et vestes sacras, plurima in ecclesiis adhibentur utensilia, v. g. cruces, candelabra, baptisterium, sedes confessionales, cathedra ; sed illa suppellex ecclesiarum nulla benedictione sanctificari consuevit.

§ 3. — *De rebus sanctis.*

717. — Generatim ad res sanctas referuntur omnia quæ cultui divino et religioni inserviunt. — Hic sufficit ut in specie expendantur *Reliquiæ* Sanctorum, et *Imagines sacræ.*

(1) S. Alph., lib. VI, 371-389. — (2) Decretum Pii VII : *Decr. auth. S. C. Rit.* n° 2362 ; Gardellini, n° 4113.

I. — De reliquiis Sanctorum (1).

Reliquiarum nomine intelliguntur Sanctorum corpora et quælibet ipsorum particulæ; item, cineres et pulveres in quæ conversa sunt, ea quibus in terra degentes usi sunt, et alia quæ ipsorum corpora tetigere.

718. — I. *Reliquiarum species.* — 1. Reliquiæ Sanctorum sunt vel proprie dictæ, vel minus proprie, vel sanctificatæ seu improprie dictæ.

Ad *reliquias proprie dictas* directe spectant Sanctorum corpora et partes ad humani corporis integritatem pertinentes, v. g. brachium, ossa, dentes, capilli; quibus eorum sanguinem et lacrymas oportet addere.

Reliquiis proprie dictis affine est aliud reliquiarum genus, nempe, liquor qui ex quorumdam Sanctorum cadaveribus, v. g. S. Nicolai, defluxit; cui adjungere licet lacrymas ex Sanctorum statuis aut picturis aliquando delapsas.

Ad *reliquias minus proprie dictas* revocantur vestes et aliæ res quibus Sancti, dum viverent, usi sunt; item, instrumenta martyrii, ædes quas Sancti incoluerunt, et cætera hujusmodi.

Ad *reliquias sanctificatas seu improprie dictas* referuntur linteola, vela, aliaque id genus sacris cadaveribus admota; ex contactu enim aut etiam propinquitate cadaverum Sanctorum cœlestem virtutem recipiunt.

2. Partes corporis sancti sunt vel *insignes*, vel *notabiles*, vel *minutæ*.

Insignes reliquiæ sunt caput, brachium integrum vel illius pars anterior aut superior, crus, aut illa pars corporis in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva; item, cor, lingua, manus, si ex miraculo intacta conserventur (2); — *notabiles* reliquiæ sunt manus, pes, tibia, maxilla, etc.; — *minutæ* reliquiæ sunt particulæ parvæ quantitatis, ut dens, digitus, auricula.

719. — II. *Recte coluntur reliquiæ Sanctorum.* — Prob. *Auctoritate* Conc. Trid. decernentis (3) « Sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandi sint. »

Ratio colendi reliquias Sanctorum, ut patet ex illo decreto, est tum quod *viva membra fuerint Christi et templum Spiritus Sancti*, proinde in consummatione sæculi suscitanda et in æternum glorificanda; tum quia per illa Deus multa beneficia præstat.

720. — III. *Reliquiarum approbatio et recognitio.* — Reliquiarum approbatio differt a recognitione. Etenim approbatio est actus Superioris ecclesiastici illas cultu publico dignas decernentis, dum recognitione constat tantum earum identitas.

Reliquiæ omnino novæ cultui publico exponi nequeunt, nisi prius aucto-

(1) Schmalzgrueber, tit. *de Reliquiis et veneratione Sanctorum.* — Cavalieri, *Commentaria in decreta Congregationis Rituum.* — (2) S. Cong. Rit., 27 jun. 1899. — (3) Sess. XXV, *Decretum de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum.*

ritate R. Pontificis fuerint approbatæ. Ratio est, quia R. Pontifici reservatur beatificatio et canonizatio Sanctorum. Porro Episcopus, reliquias omnino novas approbando ad cultum publicum, indirecte sanctum canonizare videretur pro sua diœcesi.

Si vero reliquiæ sunt alicujus sancti cujus cultus ab Ecclesia approbatus est, sufficit auctoritas Episcopi eas recognoscentis.

Si reliquiæ approbatæ transferantur in aliam ecclesiam, non debent iterum approbari, sed tantum ab Episcopo recognosci seu examinari an sint ipsæ reliquiæ quæ in litteris apostolicis vel Ordinarii testimonio describuntur.

721. — IV. *Reliquiarum inventio, concessio, custodia et expositio.*

1. Plurima corpora Sanctorum, Romæ præsertim in Catacumbis latentia, *inveniuntur* cum notis et signis martyrii, inter quæ eminet phiala sanguinis; et ignotis imponuntur nomina appellativa, v. g. Felix, Deodatus, Gratiosa.

2. Reliquiæ Sanctorum per ecclesias convenienter *distribuuntur*. Principibus, Ecclesiæ Prælatis, monasteriis, ecclesiis et piis institutis, conceduntur reliquiæ etiam insignes, imo corpora integra. Reliquiis autem minutis non privatur pietas fidelium. Verum neutræ possunt exponi venales, absque simoniæ reatu.

3. Ut sanctorum reliquiæ vindicentur ab injuriis quibus imponuntur in privatis domibus, omnino decet eas in ecclesiis aut sacrariis ordinarie recludi et caute custodiri, exceptis particulis quas secum fideles reverenter gestare consueverunt. Ideo intra capsas sigillo Ordinarii munitas, et seorsum nomine Sancti distinctæ reconduntur.

4. Reliquiæ vetustate consumptæ vel alia ex causa deformes, dum populo ostenduntur, non debent extrahi e capsis, ne vilipendantur aut in pulverem redactæ pereant.

Duo saltem lumina honoris causa juxta reliquias ardere oportet, quoties et quamdiu exponuntur.

II. — De sacris imaginibus (1).

722. — I. Licitum est Deum, SS. Trinitatem et Angelos, picturis symbolicis figurare, atque imagines depingere Christi, Beatæ Virginis Mariæ et Sanctorum, hisque imaginibus cultum relativum latriæ, vel hyperduliæ, vel duliæ exhibere. Mandavit enim Concilium Tridentinum ut fideles doceantur (2) « Imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam ; non quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant ; sed quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illa repræsentant ; ita ut per imagines Christum adoremus, et Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt veneremur... Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis vel aliis simili-

(1) Ferraris, *Prompta Bibliotheca canonica.* — (2) Sess. XXV, *Decretum de invocatione... Sanctorum et sacris imaginibus.*

tudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis ; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi. »

723. — II. Sollicitudo sacrarum imaginum præcipue spectat ad Episcopum ; nam Concilium Tridentinum decernit (1) : « Nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur... Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione et imaginum sacro usu, tollatur ; omnis turpis quæstus eliminetur ; omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur... Postremo, tanta circa hæc diligentia et cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. »

Non licet transferre sacras imagines in locis sacris expositas, Episcopo invito, vel contradicente rectore loci.

Imagines sive pictura sive statuis expressæ, et in ecclesia collocandæ, a sacerdote privatim tantum benedici possunt ; nam earum benedictio solemnis est inter reservatas Episcopo et ejus delegatis (2).

TRACTATUS II

DE REBUS TEMPORALIBUS ECCLESIÆ

Disserendum venit 1° de bonis Ecclesiæ in genere ; — 2° de bonis Ecclesiæ in specie.

DISSERTATIO I

DE BONIS ECCLESIÆ IN GENERE

Ut Ecclesiæ jura quoad bona temporalia declarentur, agendum est : 1° de jure acquirendi ipsi proprio, et de modo possidendi ; — 2° de inviolabilitate bonorum ecclesiasticorum ; — 3° de eorum administratione et alienatione.

CAPUT I

DE JURE ECCLESIÆ AD ACQUIRENDUM ET DE MODO POSSIDENDI (3)

ARTICULUS I

DE JURE ECCLESIÆ AD ACQUIRENDUM

724. — I. *Ecclesiæ competit jus acquirendi*, tum ex jure naturali, tum ex jure divino positivo.

1. *Ex jure naturali.* Omnis societas legitima cui sunt onera ferenda et

(1) Sess. XXV, *Decretum de invocatione... Sanctorum et sacris imaginibus.* — (2) « Norma liturgica est, quam continuo urget S. Rit. Cong., haud posse in eadem ecclesia, multoque magis in eodem altari, publicæ venerationi exponi duas vel pictas tabulas vel statuas, eumdem repræsentantes sanctum, et, si de alma Virgine agatur, Deiparam sub eodem titulo repræsentantes. » (Præfect. S. Rit. Congr. epist. encycl., 20 mai 1890). — (3) Brabandere, n. 51-63.

sumptus faciendi, habet jus acquirendi et possidendi bona et reditus temporales, sine quibus eadem onera sustineri nequeunt. Atqui Ecclesia est societas legitima, et, quatenus visibilis, bonis temporalibus indiget, quibus cultus divinus celebretur, sustentetur clerus et pauperes ei peculiariter a Christo commendati curentur. Ergo Ecclesia habet jus acquirendi bona temporalia.

2. *Ex voluntate Christi.* Dominus Ecclesiam instituit iis omnibus instructam quæ forent ad finem consequendum necessaria. Atqui Ecclesiæ necessarium est jus acquirendi bona, unde possit sumptibus divini cultus providere, suos ministros alere et operibus caritatis instare. Igitur, ex sua institutione et Christi voluntate, ac proinde independenter a potestate civili, habet jus sibi comparandi bona sive mobilia sive stabilia, sibi necessaria aut utilia.

Unde damnata est hæc propositio : « Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi (1). »

Hæc potestas divinitus accepta confirmatur exemplo Christi et praxi Ecclesiæ : ipse enim Christus habuit loculos, ex quibus discipulis et pauperibus opitularetur; Christi exemplum secuti sunt Apostoli eorumque successores; et sævientibus priorum sæculorum persecutionibus, quamvis leges civiles obstarent quominus Ecclesia temporalibus bonis potiretur, ipsam tamen domos, agros aliaque bona adeptam esse, compertum est (Cf. Act. Apost., IV, 32-37 ; I Cor., IX, 11-15; I Tim., V, 16 ; — item Conc. Lugd. II. anni 1274, c. 12).

725. — II. Inde colligitur *invalidam esse legem civilem amortizationis*, quam etiam *manuum mortuarum* vocant moderni Politici. Hac lege generaliter statuitur ne res temporales, præsertim immobiles, in ecclesias et religiosa instituta sine consensu civilis potestatis transferantur. Porro eo quod manus est instrumentum traditionis quæ fit aut censetur fieri in omni transmissione bonorum, *manus mortuæ* nomine designantur instituta et societates in quibus nulla fit traditio et transmissio bonorum, sed bona possessa in perpetuum pertinent ad eamdem personam moralem.

Prob. 1. Jus acquirendi competens Ecclesiæ, ad normam congruæ dotationis et sustentationis, est divinum. Atqui ad Ecclesiam solam spectat jura sibi divinitus tradita moderari, ac proinde judicare de congrua sustentatione quæ sibi competit. Ergo iniquæ sunt leges amortizationis, quæ huic libertati Ecclesiæ ejusque juribus adversantur.

Prob. 2. Lex ejusmodi, qua cives vetantur prout sibi placuerit bona sua ecclesiis donare, injusta est, non solum habita ratione Ecclesiæ, quam impedit quominus libere et integre jure proprio acquirendi fruatur, verum etiam habita ratione civium, quibus suarum rerum in pias causas transferendarum libera potestas adimitur.

Objiciunt quidem moderni Politici lege amortizationis consuli incolumitati et necessitati publicæ societatis civilis, dum præcavetur nimia copia bonorum ecclesiasticorum, quæ, juxta leges canonicas, libera sunt a tributis, et subtrahuntur commercio prohibitione fere absoluta ea alienandi.

(1) Pius IX, *Syllabus errorum*, XXVI.

— At respondetur bona ecclesiastica communi utilitati inservire, cum omnes eorum reditus religiose in ecclesias, sacros ministros et pauperes impendi debeant ; unde maximum bonum morale et ipsa prosperitas temporalis efficaciter procurantur. Quod spectat querelam inanem imminutionis commercii, ad abundantiam juris notatur augeri locationes ubi rariores sunt alienationes. Tandem, teste historia, nunquam Ecclesia recusavit subsidiis subvenire regnis christianis in angustia positis (1).

Cæterum, si quis abusus in copia aut usu bonorum Ecclesiæ videatur reprimendus, omnibus patet via recursus ad justum judicem, nempe, R. Pontificem.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO DOMINII ECCLESIASTICI

726. — I. Bona ecclesiastica non pertinent ad Statum seu potestatem sæcularem qua reguntur societates civiles. Equidem, multi moderni Pseudophilosophi et Politici, originem proprietatis repetentes a potestate civili, atque ab ejus nutu pendere fingentes quælibet instituta et corpora moralia, tum quoad existentiam, tum quoad possessiones, dominium directum bonorum ecclesiasticorum singulis nationibus sive statibus adscribere ausi sunt; quo sub prætextu multis in locis hæc bona direpta sunt. Verum ista sententia est prædonum et sacrilegorum, non canonistarum ; et viam aperit direptioni et usurpationi quorumlibet dominiorum sæcularium, etiam privatorum, a Socialistis et Communistis (2).

727. — II. Nonnulli dicunt istud dominium ad Deum ipsum aut Christum spectare, sola dispensatione et administratione hominibus relicta, siquidem in pluribus locis juris canonici res a fidelibus in Dei cultum erogatæ *res Dei*, *res dominicæ*, *res Deo sacratæ*, *patrimonium Christi* appellantur. Sed ejusmodi locutiones indicant tantum finem donationum ; dum hic non tam quæritur cujus servitio res Ecclesiæ sint consecratæ, quam quis in commercio humano ut earum dominus considerandus sit.

Itaque hæc sententia vera est, in eo sensu quod bona ecclesiastica, ob finem cui destinantur, non possint in usus profanos impendi. Hæc autem destinatio non impedit quominus eadem bona constituantur sub humano dominio alicujus, qui eis utitur et de illis disponit.

Alii, duce Fagnano, istud dominium tribuunt S. Pontifici suam sententiam repetentes præcipue e summo moderamine seu tutela et dominio alto quod S. Pontifex exercet in universa bona ecclesiastica.

728. — III. Dominium proprie dictum bonorum ecclesiasticorum est *penes ipsas ecclesias particulares et religiosa instituta* (3). — Ita communiter canonistæ et ipsum plenarium Concilium Americæ latinæ (1899).

Prob. 1. *Ratione.* Ecclesiæ particulares, ut finem suum assequantur, capacitate dominii fruuntur, et consequenter acquirunt bona quæ ipsis legitimo titulo obveniunt.

(1) Craisson *Elementa juris can.*, n. 763. — (2) Pius IX, *Alloc.* 5 *sept.* 1851. — Conc. Trid., sess. XXII, c. 11, *de Reform.* — (3) Conc. Trid., sess. XXII, cap. 11, *de Ref.* — Schmalzgrueber, lib. III *Decretalium*, tit. *de Peculio clericorum*. c. 25.

Prob. 2. *Ex jure positivo.* In corpore juris canonici, institutis religiosis suæ possessiones vindicantur, et bona ecclesiastica dicuntur *res ad ecclesias pertinentes.*

Inde colligitur singula instituta, v. g. diœceses, parochias, ecclesias, capitula, ordines religiosos et congregationes, monasteria, quælibet loca pia, tanquam personas dominii capaces considerari, iisque certam bonorum substantiam attribui velut dominium suum, quod revera proprio nomine acquirunt, conservant, administrant et alienant, iisdem prorsus mediis ac titulis quibus privati et sæcularia instituta jus dominii exercent.

729. — IV. Hæc proprietas singulis institutis attributa non est illimitata, sed quasi divisa inter Ecclesias particulares et Ecclesiam universalem. Ratio est, quod Ecclesiæ particulares sunt in Ecclesia universali sicut membra in corpore; unde illarum bona subjiciuntur dominio universali totius Ecclesiæ.

Hæc autem relatio sic recte exprimi potest: subjectum immediatum et proximum dominii ecclesiastici est institutum locale, subjectum vero remotum et mediatum est Ecclesia universalis. quæ mediante isto instituto illa bona possidet, sicut corpus humanum operatur mediantibus membris, eorumque dominium per S. Pontificem et Episcopos moderatur et regit.

Præterea, dominium bonorum ecclesiasticorum sæpe limitatur clausulis seu conditionibus, in actu donationis vel fundationis explicite vel implicite adjectis; summa est enim lex religiosissime servandi voluntatem acceptatam eorum qui rerum suarum dominium in ecclesias transtulerunt. Quod si necessitatis aut publicæ utilitatis ratio requirat alienari hæc bona, vel mutari eorum usum, S. Pontificis est, utpote supremi administratoris et judicis, prædictam voluntatem interpretari et commutare, atque de quibuslibet bonis ecclesiasticis disponere, prout expedire judicaverit. Hujusmodi alienationes, translationes, commutationes et condonationes sæpe factas testatur historia, signanter per Concordatum anni 1801 cum Gallia.

730. — V. Supremam dispensationem et administrationem tantum bonorum Ecclesiæ ad S. Pontificem spectare, confirmatur his verbis Pii IX : « Jura S. Sedis ad omnes catholicos pertinent (1). » Unde non potest arbitraria voluntate iis uti: sed, exigente necessitate vel magna utilitate, cujus ipse interpres est et judex, ea valide et licite transfert, alienat, imo laicis cedit.

CAPUT II

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM INVIOLABILITATE

731. — I. Violatores dominii ecclesiastici *rei sunt injustitiæ, et tenentur ad restitutionem.* Etenim, tum ex jure acquirendi et possidendi, tum ex ipsa acquisitione, dominium plenum Ecclesiæ competit. Atqui res in dominio pleno alicujus posita non potest invito domino detineri sine

(1) Pii IX Encyclica *Nullis certe verbis*, 19 januar. 1860. — Cf. S. Alph.. lib. III, 931.

injustitia, et ista violatio juris alieni perdurat donec res domino restituta fuerit. Ergo violantes dominium ecclesiasticum debito restitutionis subjacent.

732. — II. Dominium ecclesiasticum est sacrum, ideoque illius violatio *inducit sacrilegium.*

Prob. 1° *ratione.* Hæc est conditio bonorum ecclesiasticorum : Deo sunt dicata, in finem sacrum tradita, in dominio societatis spiritualis posita, demum ad usus sacros applicata, siquidem impenduntur tum ad dotationem divini cultus et ecclesiarum, tum ad sustentationem clericorum et pauperum. Ergo sunt sacra, et eorum usurpatio est sacrilegium.

Prob. 2° *auctoritate.* S. Gregorius M. ait (1) : « Sacrilegium est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur pravæ voluntatis studiis tentaverit retinere. »

Juxta formulam a Martino V editam, omnes suspecti de hæresi Wicleffi interrogandi erant : « Utrum credant quod bonorum ecclesiasticorum invasio inducat sacrilegium. »

Apud capitularia Regum Francorum, *populi petitio ad imperatorem* (Carolum M.) in conventu Wormatiæ oblata, hæc dicit : « Scimus res Ecclesiæ Deo esse sacratas ; scimus eas esse oblationes fidelium et pretia peccatorum. Quapropter, si quis eas ab ecclesiis aufert, sacrilegium procul dubio committit. »

III. Non solum usurpatio bonorum ecclesiasticorum iniqua est ; sed etiam onera civilia et gravamina eis imposita violant immunitatem realem, qua ex legibus Ecclesiæ gaudent et eximuntur a communibus taxis et tributis, ratione cultus Dei, cui consecrata sunt. Sed hodiernæ societates civiles, etiam catholicæ, vix aliquod vestigium hujus immunitatis seu privilegii agnoscunt et tuentur, v. g. quoad templa, et communiter bonis ecclesiasticis eadem onera ac profanis, imo longe majora non verentur imponere. Cum Ecclesia non reclamet, imo hæc communia onera aliquando acceptet, v. g. in Concordato Leonis XIII cum Gubernio Reipublicæ Columbiæ in America, illa immunitas realis dici potest ex taciturnitate S. Pontificis et Episcoporum in praxi cessare (2).

733. — IV. Proprietas Ecclesiæ in bona ecclesiastica est justis pœnis ac *censuris* communita, ideoque eam violantes incurrunt illas pœnas ac censuras, ac præsertim excommunicationem Papæ reservatam.

Legitur quippe in Decretalibus : « Invasores rerum ecclesiasticarum tanquam sacrilegi sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi (3). »

Equidem hæc verba intelligi possunt de excommunicatione ferendæ sententiæ. Sequenti autem canone Concilii Tridentini excommunicatio latæ sententiæ infligitur : « Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura... per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam

(1) S. Gregorii M. *Epist.* 5 *ad Salvian.* — (2) De Angelis, *De immunitate ecclesiarum.* — (3) *Decretalium* lib. II, tit. *de Foro competenti*, cap. *Conquestus.* — Cf. Const. *Apost. Sedis*, Excom. spec. modo reserv. XI.

per suppositas personas..., seu quacumque arte aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona... ecclesiæ, ejusque administratori... integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit (1). » Hanc censuram confirmavit Constitutio *Apostolicæ Sedis*.

Præterea, eadem Constitutio excommunicatione specialiter reservata S. Pontifici plectit « Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum. » — V. infra, n. 948.

CAPUT III

DE ADMINISTRATIONE ET ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

ARTICULUS I

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

734. — I. *Jus administrandi bona ecclesiastica* ad Ecclesiam pertinet.

Probatur 1. *Ex jure naturali*. Bonorum administratio, cum sit accessorium dominii, spectat ad dominum vel ejus vices gerentem. Ergo administratio bonorum Ecclesiæ pertinet ad personas ecclesiasticas, quæ manifeste ejus vices gerunt, imo quorumdam bonorum sacrorum habent dominium utile.

Prob. 2. *Ex praxi Ecclesiæ*. Apostoli collectas faciebant, ipsique a fidelibus accepta distribuebant. Ne autem procuratione rerum temporalium a ministerio distraherentur, exclusis laicis, septem diaconos constituerunt, qui earumdem rerum curæ et distributioni præessent.

Ecclesia religiose, quantum licuit, semper secuta est Apostolorum exempla. Hinc SS. Pontifices et Concilia nihil sanctius habuerunt, quam ut ab universo ecclesiastico patrimonio manus laicorum removerent (2).

Quæ ergo in pluribus regionibus latæ sunt et vigent leges civiles circa administrationem bonorum ecclesiasticorum, ex se sunt meræ usurpationes et oppressiones, nec servari possunt in foro conscientiæ, nisi ex ratihabitione vel tolerantia Ecclesiæ. Tale est decretum 30 dec. 1809, *de fabricis ecclesiarum*, in Gallia et Belgio vigens.

735. — II. *Varii sunt administratores bonorum ecclesiasticorum*.

1. Pontifex Romanus est supremus administrator bonorum totius Ecclesiæ.

2. Episcopi invigilant administrationi bonorum ecclesiasticorum suæ diœcesis. Sed, jam a prioribus sæculis, ne ipsorum administratio sine testibus esset, tum etiam ut quadam curarum parte levarentur, constituerunt administros, præsertim archidiaconum et œconomum, qui tamen Episcopis rationem reddituri erant.

(1) Sess. XXII, cap. XI, *de Reformatione*. — (2) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, lib. II, cap. IV.

3. Unus primum erat bonorum cumulus, ex quo providebatur Episcopo, clericis, pauperibus et impensis cultus divini. Cum autem ecclesiastica bona successu temporum singulis institutis ecclesiasticis attributa vel donata fuerint, quod plurimi canonistæ tradunt incœpisse ex divisione horum in quatuor partes, Episcopo, clero, pauperibus et cultui divino assignatas, alii præter Episcopum et sub illius auctoritate administratores instituti sunt. Exinde disciplina invaluit, ut beneficia ab ipsis beneficiatis, bona ecclesiarum a parocho, adscitis nonnullis laicis, et bona hospitalium, aliorum locorum piorum et confraternitatum a suis rectoribus, sub auctoritate Episcoporum administrarentur (1). — Ad rectam autem et utilem administrationem bonorum ecclesiasticorum pertinent computa rite conficienda et episcopo reddenda, inventorium rerum, titulorum proprietatis conservatio, redituum procuratio et usus lege fundationis aut aliter determinatus, etc.

ARTICULUS II

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM (2).

736. — I. Ne bona Deo dicata et ad quodcumque religiosum institutum pertinentia distrahantur administratorum incuria, *eorum alienatio generatim prohibetur, vel saltem certis conditionibus coercetur* (Vide infra, n. 976).

Nomine bonorum ecclesiasticorum hic intelliguntur immobilia et res mobiles pretiosæ quæ servari possunt, non autem pecunia numerata, nisi ad emptionem immobilium sit ex sua origine destinata. Unde potest impendi pecunia in arca reposita, vel apud bancarios collocata ut fructus annuos referat, donec necessitas aut occasio congrua ea utendi occurrat, sive prævisa, sive non prævisa ; et pariter vendi possunt tituli censuum et chirographa *ad tempus* acquisita ex pecunia quæ libere poterat impendi. Si vero hujusmodi pecunia aut tituli et chirographa sint bonum *stabile*, ad patrimonium seu dotationem instituti religiosi pertinens, non possunt alienari, nisi servatis juris regulis.

Immobilibus æquiparantur jura incorporalia, census annui, ususfructus et servitutes immobilibus adhærentes.

Mobilia pretiosa æstimantur vel ex *materia*, ceu calices ex auro, insignis bibliotheca, gemmæ ; vel ex *forma*, uti picturæ ; vel ex *reverentia*, v. g. reliquiæ (3) ; vel ex *magna utilitate* ad annuos fructus, v. g. grex ovium.

Res mobiles non pretiosæ, præsertim quæ sine corruptione servari nequeunt, ab administratoribus alienari possunt ex justa causa, modo ecclesia damnum non patiatur. Id extenditur etiam ad res immobiles *exigui valoris*, et inutiles vel noxias ; sed ad hoc requiritur Episcopi licentia, quia plerumque quæstio facti prævie examinanda est.

Prohibitio alienandi bona ecclesiastica late sumitur, et comprehendit :

1. Actus per quo transfertur jus in re et fit alienatio proprie dicta, quales sunt donatio, venditio, permutatio, cessio litis et actionis jam quæsitæ, translatio bonorum unius ecclesiæ ad aliam ;

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. II, tit. XIII — (2) S. Alph., lib. IV, 187. — De Angelis, lib. III, tit. XIII. — S. Congr. Conc., 7 sept. 1624. — (3) Decr. Congr. Indulg., 17 nov. 1676

2. Actus qui alienationem præparant, uti sunt pignus, hypotheca specialis ;

3. Quosdam actus per quos transfertur dominium etiam minus plenum, cujusmodi sunt locatio diuturna, concessio ususfructus, impositio novi gravaminis aut servitutis (1).

737. — II. Conditiones ad alienandum requisitæ sunt duplicis generis, nempe, *justæ causæ et solemnitates.*

A. *Legitimæ causæ alienationis* sunt : — 1. *necessitas*, nempe, si *ecclesiæ* alio modo subveniri non potest, aut si lex civilis, sententia judicis, expressave donatoris voluntas, alienandi necessitatem imponit. Quia vero jus e necessitate nascens stricte sumendum est, cavendum est ne ultra necessitatem procedatur ; hinc primum alienantur res minus necessariæ, neque ad alienationem perpetuam proceditur, si per locationem, mutuum, hypothecam, etc., necessitas levari possit.

2. *Evidens ecclesiæ utilitas*, qua status ipsius fit melior, aut incommoditas quædam aufertur, v. g. si res alienanda longe distet, vel exiguum nullumve fructum afferat, vel nimias exigat expensas.

3. *Pietas*, v. g. pro ædificanda ecclesia, pro redimendis captivis, sustentandis pauperibus in gravi inopia (2).

B. *Solemnitates*, præter justam causam, in alienatione adhibendæ. — 1. In ecclesia quæ capitulum habet (v. g. in ecclesia cathedrali aut collegiata, apud regulares), necessarius est prævius capitularium tractatus, ac eorum majoris partis consensus per actum capitularem præstitus, subscriptione prælati et quorumdam saltem de capitulo firmatus. Præter capituli consensum, debent audiri, si qui sint, cæteri quorum interest ut res alienetur vel non alienetur.

2. Requiritur consensus superioris ecclesiastici, videlicet, Episcopi aut alterius Ordinarii.

3. Requiritur beneplacitum apostolicum (a S. Congreg. Episc. et Regul. præstandum), præterquam in casibus in quibus ex juris dispositione consensus Episcopi sufficit, quales sunt locatio non ultra triennium frugiferum, et alienatio rei parvi valoris ; et solum sufficit, non obstante dissensu capituli aut prælati (3). — Si metuantur gravia incommoda ex necessitate recurrendi singulis vicibus ad Sedem Apostolicam, postulandum est indultum sive perpetuum, sive ad tempus, pro alienationibus quæ præsumuntur fore necessariæ aut opportunæ.

738. — III. *Alienatio illegitime facta suos naturales effectus non obtinet, et reparationi dat locum.* — Effectus alienationis rite factæ sunt : ut rei alienatæ dominium transferatur, ipsaque pro legitima habeatur, donec in forma juris quis eam impugnet. Jamvero alienatio illegitime facta, nempe, deficiente vel causa gravi vel aliqua solemnitate, non modo pro foro externo, sed et pro interno nullius omnino est roboris, etiamsi ecclesia non fuerit læsa, quia lex statuens alienationis solemnitates irritans est, et fundata in præsumptione periculi. Attamen, ille qui cum

(1) Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, lib. III, tit. XIII. — (2) Schmalzgrueber, lib. III, *de Rebus ecclesiæ non alienandis*. — (3) Extravag. comm. *Ambitiosæ*. — Conf. libellum Romæ editum, *Præceos regulæ circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos*.

ecclesia contraxit, si prælatus talem contractum deinceps ratihabere velit, a contractu resilire nequit, quia ex illius parte nihil defuit.

Male alienantes gravibus mulctantur pœnis, nimirum excommunicatione latæ sententiæ nemini reservata, privatione ipso jure beneficii vel dignitatis cujus bona alienaverunt, et obligatione reparandi ex propriis bonis damnum illatum ; qui vero male alienata recipere præsumunt, parem excommunicationem incurrunt. Attamen, ad pœnas incurrendas, requiritur quod alienatio utrinque sine conditione fuerit excutioni mandata.

Alienatio male facta variis modis reparatur :

1. Si nulliter facta fuerit alienatio, ecclesiæ competit jus bona sua contra possessorem vindicandi cum eorum fructibus et accessionibus ; et quidem istud jus exercent ipsemet alienans, ejus successor in beneficio vel administratione, capitulum, imo quilibet clericus ecclesiæ detrimentum passæ. Item ecclesiæ læsæ datur actio personalis adversus male alienantem, ad damnum ex ejus bonis propriis reparandum.

2. Alienatione facta etiam cum solemnitatibus, ecclesia damnum notabile passa juvatur beneficio restitutionis in integrum. V. n. 845.

DISSERTATIO II

DE BONIS ECCLESIÆ IN SPECIE

739. Variæ sunt bonorum ecclesiasticorum species, sive *ratione modi quo acquiruntur*, sive *ratione distributionis eorum.*

Ratione modi quo acquiruntur, differunt *oblationes* et *fundationes.*

Ratione distributionis eorum inter clericos et ecclesias, distincta sunt *bona beneficialia* et *bona fabricarum.*

De variis hisce speciebus in quadruplici capite agemus.

CAPUT I

DE OBLATIONIBUS

Primo de oblationibus in genere dicemus ; dein de primitiis et decimis.

ARTICULUS I

DE OBLATIONIBUS IN GENERE

740. — Oblationes, quatenus a fundationibus differunt, sunt bona mobilia quæ fideles donant intuitu religionis, præsertim occasione sacrarum functionum, ut cedant in usum ecclesiæ aut sacrorum ministrorum.

Olim tria oblationum genera fuerunt : Primum genus erat earum rerum quæ ad altare ferebantur tempore sacrificii ; tunc quippe fideles offerebant panem et vinum, ex quibus Eucharistia conficeretur, aliaque interdum munera, quæ vel altari vel clericis alendis inservirent. Cum illa desiit panis ac vini oblatio, cœpit offerri pecunia, et inde missæ honorarium seu stipendium ortum est.

Secundum genus erat oblationum quæ extra sacrificium pro arbitrio deferebantur in *gazophylacium*, ut vel cultui divino, vel clero, vel pauperi-

bus proficerent. His oblationibus successerunt munera quæ a fidelibus in arculas ecclesiarum immittuntur, vel in collectis eleemosynarum funduntur.

Tertium genus erat earum rerum quas fideles in exequiis mortuorum, in suscipiendis sacramentis, et in aliis sacris functionibus largiebantur. Inde nata sunt *jura stolæ*, quæ præcipue parochis tribuuntur post administrata sacra *cum stola*, ordinarie juxta rubricas adhibenda, et vulgo vocantur *casuale*.

Hodiernæ oblationes recte distinguuntur in *spontaneas*, quæ nullo titulo debentur, sed ex mera liberalitate fiunt, v. g. ad offertorium missæ ; et *debitas*, quas fideles tenentur præstare, juxta taxam diœcesanam aut consuetudinem probatam, occasione functionum sacrarum pro se vel suis, v. g. honoraria missarum, benedictionis nuptialis, exequiarum.

His præmissis, opportunum erit declarare quæ spectant honoraria missarum, jura stolæ, oblationes spontaneas et oblationes debitas.

741. — I. *Honoraria* seu *stipendia missarum* partim subrogantur oblationibus antiquis, quibus fideles singulari modo participes sacrificii fieri intendebant, et partim considerari debent tanquam eleemosyna quæ ad sustentationem sacerdotum confertur.

Regulæ a presbyteris servandæ circa missarum honoraria sic contrahi possunt (1) :

1. Legitima sunt honoraria missarum ; stipendium enim non datur tanquam pretium missæ, sed ut subsidium ad sustentationem ministri.

2. Titulo justitiæ, ratione contractus, missa debet applicari juxta intentionem illius qui stipendium obtulit.

3. Non potest sacerdos per unicam missam duplici stipendio satisfacere, quia duas sibi postulatas saltem tacite promisit.

4. Graviter peccat sacerdos qui, accepto stipendio, missæ celebrationem diu differt ; gravitas autem dilationis a multis circumstantiis pendet.

5. Attendenda est mens fidelium circa locum celebrationis missarum.

6. In stipendiis missarum accipiendis, sollicite evitanda sunt quæcumque simoniam, turpem quæstum aut inhonestam negotiationem sapiunt (2).

Hinc 1. Nemini licet exigere ultra stipem missarum ab Episcopo aut consuetudine taxatam ; sed non prohibetur recipere stipendium pinguius sponte oblatum.

2. Ex eadem causa, vetitum est missarum obligationes, reservata sibi quadam stipendii parte, in alios sacerdotes transferre. Ratio est, quia id adversatur tum voluntati dantis, tum voluntati Ecclesiæ; igitur hac agendi ratione læduntur virtutes obedientiæ et justitiæ (3).

3. Attamen, parochi et alii beneficiati non debent nisi taxam diœcesanam pro missis quas ex obligatione sui beneficii celebrare tenentur, quia excessus e beneficio proveniens illis cedit ratione dignitatis et sustenta-

(1) Inst. mor. Alph., n. 1608 et seq. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXII, *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ*. — (3) Vide Const. *Apost. Sedis*, excom. simpl. reserv. XII, infra, n. 962. — Benedicti XIV const. *Quanta cura*. — Decretum Congregationis Concilii, 25 maii 1893.

tionis. Item retineri potest excessus stipendii supra taxam ordinariam, quando *certo pertinet ad jus stolæ*, vel *intuitu personæ* datus est, v. g. ob sacerdotis paupertatem aut propinquitatem, ob amicitiam aut gratitudinem.

742. — II. *Jura stolæ* sunt honoraria quæ, occasione functionum spiritualium, in recognitionem jurisdictionis parochialis et pro sustentatione beneficiatorum a fidelibus funduntur, nempe, quando parochus in cujusdam favorem stola utitur. Ab initio hæc donaria erant spontanea ; sed lapsu temporis facta sunt obligatoria, tum quia partem sustentationis sacerdotum efficere censentur, tum propter laudabilem consuetudinem sub Innocentio III probatam in Concilio Lateranensi, in quo statutum fuit sacramenta libere administranda esse, fideles vero ad consuetas oblationes teneri. Cum obventiones *stolares* non dentur tanquam pretium pro functione spirituali, omnino licite accipiuntur, dummodo absit simoniæ et avaritiæ species, et congruæ functiones pauperibus non denegentur.

743. — III. *Oblationes spontaneæ* sunt pecuniæ aliaque munera quæ vel ad altare, præsertim intra missas pro defunctis et pro sponsis, vel in arcis ecclesiarum a fidelibus sponte offeruntur, vel in collectis funduntur.

1. Ex regula generali, oblationes, nisi specialem destinationem ab offerente vel ex consuetudine et adjunctis habeant, ad parochum pertinent, etsi alter sacerdos functiones sacras in parochiali ecclesia peragat. Unde parochus percipit tum oblationes quæ in altari reponuntur, tum pleraque *jura stolæ*.

2. Quædam oblationes ad alios sacerdotes pertinent, nempe, stipendia ipsis tradita occasione cujusdam ministerii personalis, v. g. præsentiæ exequiis defunctorum, et oblationes nullo titulo debitæ, si offerens expresse dicat se velle dare sacerdoti functionem peragenti ; at nemo jus habet ad stipendium, nisi præstet officium pro quo fuit stipulatum.

3. Ecclesiæ parochiali obveniunt tum ea quæ in navi ecclesiæ, sive in arcis sive in manibus collectorum donantur sine designatione specialis finis, tum oblationum certa pars fabricæ reservata.

4. Oblationes locis miraculosis factæ regulariter converti debent in usus ad quos intentione fidelium expresse vel verisimiliter destinantur. Ad parochum pertinet earum administratio, vel ad rectorem loci, si, ut sæpe contingit, independenter a parocho sit constitutus.

744. — IV. *Oblationes debitæ*. Oblationes generatim non debentur ex præcepto. Quatuor tamen modis deberi possunt, videlicet : 1° promissione acceptata ; 2° donatione inter vivos, vel ultima voluntate ; 3° indigentia ecclesiæ vel ministrorum ejusdem, non habentium aliunde sustentationem ; 4° consuetudine vim legis habente, vel mandato episcopi taxam diœcesanam statuente.

Episcopus judicat quænam oblationes ex justitia exigi possint. Sicubi fideles ex consuetudine non tenerentur ullas oblationes facere, et aliunde non deficeret conveniens cleri sustentatio, non posset Episcopus ejusmodi oblationes ex justitia exigere.

Cum vero contingere possit ut oblationes ex justitia obligatoriæ evaserint, tum ex titulo consuetudinis, tum ex eo quod alioquin deesset suffi-

ciens parochi sustentatio, v. g. in Hibernia, ubi fiunt in festis Nativitatis Domini et Paschatis; quoties dubium oritur sive de obligatione consuetudinis, sive de necessitate subveniendi clero per oblationes, sive de quantitate offerenda, sive de abusibus reprimendis, ad Episcopum pertinet normam decernere, cum hæc norma conferat ad bonum diœcesis regimen (1).

ARTICULUS II

DE PRIMITIIS ET DECIMIS

745. — I. *Primitiæ* sunt primi fructus agrorum et pecudum, qui sub Veteri Lege ex divino præcepto debebantur, sicut decimæ et certæ oblationes. Apud priscos christianos usus primitiarum receptus est, diuque perduravit; deinde vero contrariis moribus generaliter exolevit.

Tribus complectimur dicenda de primitiis :

1. Initio Ecclesiæ, nulla quidem exstitit certa lex qua primitias pendere oporteret. Canones Apostolorum eam legem meminisse videntur, sed ipsorum auctoritas dubia est; testantur tamen praxim primævam.

2. Ex more diuturno, ex doctrina SS. Patrum qui primitias commendabant, ac demum ex canonum præscripto factum est ut primitiæ a fidelibus præstandæ essent, sed offerentium arbitrio relictæ (2).

3. Temporibus sequentibus, et præsertim ætate nostra, in desuetudinem abierunt. Cum autem primitiæ non modo ad gratias Deo agendas tanquam bonorum omnium largitori, verum etiam ad ministrorum sustentationem offerrentur, inde colligitur in præsenti quoque disciplina primitias jure exigi, ubi viget legitima consuetudo loci, aut ministri altaris iis indigent (3).

746. — II. *Decimæ sunt certa pars fructuum vel lucri.* Dicuntur *certa pars*, non decima; nam interdum major est, interdum minor, ob diversam locorum consuetudinem. Dicuntur autem *pars fructuum vel lucri*, quia vel ex fructibus prædiorum, vel ex lucro industriæ persolvuntur; unde præcipua earum divisio est in *prædiales* et *personales*.

1. Ut definiatur quo jure debeantur, decimæ duplici modo considerantur : 1° quoad substantiam, quatenus sunt necessaria sustentatio clericorum; 2° quoad determinationem. Etenim, respectu necessariæ sustentationis, clericis debitæ sunt jure divino; respectu vero quantitatis, et modi determinati, ordinantur jure ecclesiastico (S. Th., 2^a, $2^æ$, q. 87, art. 1).

2. Consuetudine primum inductæ, canonibus postea firmatæ sunt. Propter curam animarum, olim Episcopo solvebantur : facta vero divisione bonorum ecclesiasticorum, ex jure communi ad parochos pertinent.

3. Obligatio solvendi decimas tolli potest consuetudine et conventionibus; unde in multis locis penitus abolitæ sunt. Verum non præscribitur contra legem suppeditandi clero necessariam sustentationem, et religiose præstanda sunt stipendia loco decimarum suppressarum promissa (4).

(1) Conc. Trid., sess. XXII, *Decret. de observ.* — (2) Decret. Greg. lib. III, tit. XXX, cap. I. — (3) Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici privati*, lib. II. — (4) S. Alph., lib. I, appendix *de Privilegiis*, 81-87. — Giraldi, *Expositio juris pontificii*, lib. III, sect. 508.

CAPUT II

DE FUNDATIONIBUS

747. — Fundationes sunt dispositiones *ad pias causas*, quibus bona quædam alicui instituto ecclesiastico donantur aut legantur, cum obligatione certas functiones sacras quotannis obeundi in perpetuum, vel saltem ad longum tempus. Proinde ad notionem fundationis hæc quatuor pertinent : 1° peculium ; 2° illius assignatio stabilis ad certum finem religiosum ; 3° persona moralis seu ecclesia, cui tum dominium, tum finis piæ causæ præstitutus, inhærere censetur ; 4° persona (vel personæ) quæ commoda ex fundatione percipiunt ac ejusdem operibus satisfaciunt.

Ab oblationibus differunt, 1° quia fundationes semper sponte fiunt, dum oblationes sæpe debentur et exiguntur ; 2° quia oblationes exclusive constant bonis mobilibus ; 3° quia fundationum onera quotannis persolvuntur, et ordinarie in perpetuum.

Regulæ canonicæ circa fundationes spectant ad earum *acceptationem*, *executionem*, et *reductionem*.

748. — I. *Acceptatio*. — Ad fundationem perficiendam, requiritur consensus tum administratorum instituti, tum Episcopi vel alterius Prælati seu superioris.

1. Necessarius est consensus administratorum. Etenim fundatio induit naturam contractus ; atqui contractus mutuo consensu offerentis et acceptantis perficitur.

2. Requiritur consensus Episcopi vel alterius superioris, eo quod ad illum spectat officium invigilandi ne ecclesiæ sibi tanquam tutori subditæ onerentur fundationibus minus recte conceptis, aut quibus forte satisfacere non possent.

3. Fundatio per actum inter vivos, sicut cæteræ donationes, revocabilis manet, donec rite acceptata fuerit ; et nulla fit, si fundator antea obierit. Fundatio vero per testamentum valere incipit in morte fundatoris, et fit irrevocabilis per legitimam acceptationem.

749. — *Modus faciendi fundationes* summarie describitur :

1. Attendendum est an institutum ecclesiasticum cui attribuenda sunt bona valeat convenienter implere onera novæ fundationis.

2. Curandum est ut reditus fundationis sufficientes sint, juxta statuta aut consuetudinem uniuscujusque diœcesis. Ne labentibus annis reditus evadant impares, majori stipendio providetur celebrationi missarum perpetuarum, aliisque oneribus ; semper enim probabilis est et timenda in posterum imminutio bonorum, præsertim censuum publicorum.

3. Si testator neglexerit expensis necessariis consulere, Episcopus unum ex duobus eliget : vel novam conventionem cum hæredibus iniri providebit, vel fundationem non approbabit.

Episcopus potest ordinatione stabili declarare fundationes non acceptandas fore, nisi sub certis conditionibus, v. g., onera missarum extinguenda esse post 50 annos ; exinde, qui fundationes testamento constituunt merito

præsumuntur suas intentiones juxta hujusmodi ordinationem componere. Nisi vero lex diœcesana aut ipse fundator præcaverit, vel nova conventio ineatur ex mutuo consensu partium, Episcopus non potest jure proprio reducere numerum missarum ; sed a S. Sede debet reductionem expetere, quia leges pontificiæ de reductione missarum afficiunt non solum fundationes jam factas, sed etiam nondum acceptatas (1).

4. Specimen litterarum fundationis conficitur, et ad Episcopum revisionis causa transmittitur. Post hanc correctionem, veræ et validæ fundationis litteræ conficiuntur, quarum forma interna diversa est, juxta varios modos quibus fundator sumptibus fundationis providere potest ; vel enim pecuniam, vel publicam syngraphum, vel bona immobilia donat.

5. Plura harum litterarum exempla conscribuntur, quorum unum apud Episcopum reponitur, alterum apud ecclesiam cui fundatio facta est, et cætera, si opus sit, apud eos quorum interest.

5. Quamvis solemnitates juris civilis non sint necessario servandæ ut validæ sint donationes et legata *ad pias causas*, quæ ex suo fine sunt spirituales, ideoque directe subjacent jurisdictioni Ecclesiæ (2) ; quantum fieri potest implendæ sunt, ad præcavenda incommoda ex earum omissione secutura, si hæredes sive ex malitia, sive ex ignorantia et bona fide nolint exequi pias dispositiones sui auctoris civiliter invalidas.

750. — II. *Executio.* — Regulas canonicas de implendis oneribus fundationum ediderunt Urbanus VIII (3) et Innocentius XII (4). Earum hæc est summa :

1. Episcopis præsertim incumbit cura promovendi executionem fundationum. Hac de re Concilium Tridentinum ait : « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores (5). »

2. Curandum est ut bona pro fundatione assignata fiant aut maneant frugifera, qualia sunt prædia et ædes urbanæ, quæ, si fieri possit, anteponenda sunt etiam censibus publicis, utpote magis stabilia.

3. Oneribus fundationum satisfaciendum est juxta intentionem expressam vel verisimiliter præsumptam fundatoris, quoad numerum, tempus, locum et solemnitatem missarum et aliarum functionum, necnon quoad personas ad executionem designatas. Casu quo modus a fundatore præscriptus servari nequit, Episcopi est tanquam interpretis voluntatis fundatoris, alium modum æquipollentem statuere, v g., quoad altare, diem et horam functionis sacræ ; sed recurrendum est ad S. Sedem pro dispensatione et commutatione proprie dicta.

4. Ut accuratius adimpleantur fundationes, in singulis ecclesiis conficienda est et exponenda in sacristia tabella onerum quæ, vel in perpetuum vel ad tempus, ipsis imposita fuerunt ; et in libro speciali distincte notanda est subsecuta exoneratio.

(1) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. ult. n. 19. — (2) S. Pœnit., 23 jun. 1884. — (3) Const. *Cum sæpe contingat.* — (4) Const. *Nuper a congregatione* (die 21 decemb. 1669). — (5) Sess. XXII, *de Reform.*, cap. VIII.

751. — III. *Reductio onerum fundationis.* — 1. Onera fundationum non manent, si reditus pro iis assignati perierint. Ratio est, quia stipendium et beneficium dantur propter officium; cessante ergo stipendio aut beneficio, æquitas postulat ut etiam officium cesset. — Non cessant autem præscriptione, tum quia non currit contra non valentes agere, tum quia vetat naturalis æquitas percipi reditus, neglectis oneribus pro quibus implendis dati sunt.

Si bona fundationis injuste ablata aut amissa restituantur, reviviscunt onera.

Si moveatur dubium circa existentiam aut cessationem oneris missarum aliarumve functionum, Episcopi est declarare, judicare et definire an hujusmodi onus sit valide impositum, vel resolutum, vel satis impletum; ad hoc non est imploranda auctoritas Apostolica, sed sufficit ordinaria jurisdictio (1).

Si reditus imminuti fuerint, vel taxa diœcesana augeatur, missæ et cæteræ functiones ad minorem numerum reduci possunt per legitimam auctoritatem, nisi fundatoris hæredes adduci possint ad supplendam summam deficientem; sed reductio nonnisi futurum tempus respicit.

Quando fit reductio, si debeantur simul missæ et alia opera pia, ultimo loco minui debent missæ, quæ animæ fundatoris magis proficiunt, et ideo præsumuntur illius menti magis consonare. Si vero missæ fundatæ sint solemnes, prius reducitur earum ritus et solemnitas, quam numerus. Tandem, reductio fit ad tempus tantum, quando redituum diminutio videtur accidentalis et temporaria.

2. Ep scopis jure proprio non competit facultas reducendi onera fundationum, sed ex voluntate fundatoris aut delegatione S. Sedis tantum. Ratio est, tum quia fundatio se habet per modum quasi contractus obligatorii, quem Episcopus acceptavit; tum præcipue quia S. Sedes hanc causam sibi reservavit.

Equidem Concilium Tridentinum (Sess. xxv, *de Ref.*, c. 4) Episcopis tribuit facultatem reducendi in prima secutura synodo onera missarum ante ipsum concilium suscepta; sed pro reducendis oneribus missarum impositis post Concilium Tridentinum, recurrendum est ad Sedem Apostolicam, Urbano VIII, in constitutione supra (n. 750) allegata, districte prohibente ne Episcopi reducant onera missarum, et decernente ut pro his omnibus reducendis ad Apostolicam Sedem recurratur.

3. Reductioni accedit *absolutio*, seu *remissio* et *condonatio*, qua Summus Pontifex aliquando onera quæ tempore debito impleta non fuerint condonat, sive simpliciter, sive sub certis conditionibus, prout suadent circumstantiæ bonæ vel malæ fidei, extremæ vel relativæ paupertatis debitorum; vel in alios illa transfert, præcipue in quosdam capellanos basilicæ Vaticanæ, quos Benedictus XIV testatur huic muneri addictos. Sed talis remissio, S. Pontifici privative reservata, respicit solummodo præteritum tempus, dum reductio proprie dicta providet futuro tempori (2).

(1) Bened., XIV, *de Syn. diœc.*, l. XIII, cap. ult. n. 9. — (2) Bened. XIV, *de Syn. diœc.*, l. XIII, cap. ult. n. 15.

CAPUT III

DE BENEFICIIS

Tractandum est: — 1° de beneficiis in genere; — 2° de collatione beneficiorum; — 3° de juribus et obligationibus beneficiatorum; — 4° de vacatione beneficiorum.

ARTICULUS I

DE BENEFICIIS IN GENERE

Huc spectant: 1. Notio et varietas beneficiorum; 2. illorum erectio et innovatio.

§ 1. — *Notio et varietas beneficiorum.*

I. — Beneficiorum notio (1).

752. — *Definitio.* — Nomine beneficii canonistæ intelligunt *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione officii spiritualis, auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Dicitur 1. *Jus ratione officii spiritualis.* In beneficio duplex jus distinguitur, nempe, exercendi officium spirituale et percipiendi fructus officio annexos. Ad naturam beneficii requiritur officium spirituale, velut illius præcipua causa et fundamentum. Unde infertur pensiones laicales quæ ex bonis Ecclesiæ dantur, v. g. ædituis et musicis, non esse beneficia, et laicis beneficia non posse conferri. — Jus percipiendi reditus officio spirituali annexos vocatur *præbenda* seu *dos* beneficii.

2. *Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ.* Quamvis hoc jus sit aliquid officio accessorium, attamen beneficium formaliter constituit. Dum vero dicitur jus percipiendi *fructus*, indicatur beneficii dominium directum apud Ecclesiam remanere, nec a beneficiato alienari posse.

3. *Auctoritate ecclesiastica constitutum.* Ut reditus temporales naturam beneficii induant, requiritur actus Episcopi illos officio spirituali annectentis, et sic beneficium erigentis. Unde laicus fundans Missas pro quibus stabiles reditus assignat, fundationem constituit, beneficium vero non erigit.

Ex dictis innotescit discrimen inter *capellanias* et beneficia. — Capellania est onus plures Missas singulis annis celebrandi in certa ecclesia aut capella. Capellaniæ dividuntur in *simplices* seu laicales, quæ sola fundatorum voluntate clericis conferuntur; et in *collativas* seu ecclesiasticas, quæ auctoritate Episcopi eriguntur et conferuntur. Simplices capellaniæ non sunt beneficia; collativæ autem beneficiis accensentur.

3. Dicitur *jus perpetuum*, tum *objective* ratione ipsius beneficii, tum *subjective* ratione beneficiati. *Beneficium ipsum* perpetuo debet perdurare, ita ut cum amotione vel morte beneficiati non cesset, sed vacet tantum, et alteri conferendum sit. Propterea differt beneficium a *pensione*, quæ morte pensionarii extinguitur.

Ratione *beneficiati*, perpetuitas beneficii proprie dicti consistit in eo quod beneficium non conferatur ad tempus, sed in titulum perpetuum et

(1) S. Alph. lib. IV, 83.

ad totam vitam, ita ut auferri nequeat sine causa per canones approbata et sententia judiciali. Idcirco proprie beneficiati non sunt, qui obtinent beneficia manualia ad nutum superioris revocabilia, vel administrant beneficium vacans, vel gerunt illas administrationes quæ morte concedentis exspirant, v. g. vicarii generales.

Attamen, propter priorem perpetuitatem, beneficiorum numero adscribuntur beneficia manualia, licet auferri possint ad voluntatem superioris (1). Beneficium vero stricte sumptum, prout illud communiter accipiunt canones, utramque perpetuitatem requirit.

In Gallia et Belgio, pensiones annuæ a Fisco solvendæ episcopis, canonicis et parochis etiam amovibilibus, rationem habent beneficii, eo quod auctoritate Ecclesiæ bonis usurpatis suffectæ fuerunt et officiis spiritualibus canonice in perpetuum erectis in dotationem assignatæ (*S. Pœnit.*, 19 jan. 1819, et 9 aug. 1821). — Idem dicendum est de prædiis, censibus, aliisque bonis stabiliter annexis his titulis beneficialibus. Imo recte a multis canonistis asseritur *jus stolæ* stricte dictum, quod parochis qua talibus adscribitur, absque functione, aut labore determinato, aut præsentia corporali, pertinere ad beneficium parochiale, quia percipitur vi tituli permanentis, sicut pensio soluta a Gubernio, et juxta Ecclesiæ ordinationem (2).

Non autem habent rationem beneficii pensiones quæ vicariis et sacerdotibus senio aut infirmitate confectis solvuntur (*traitement des vicaires, pensions et retraites ecclésiastiques*), eo quod non sunt dotatio autoritate Ecclesiæ constituta pro officio spirituali proprio, sed merum stipendium propter adjutorium parochis præstitum, vel subsidium propter necessitatem et amissum pristinum statum. Unde merito accensentur bonis quasi-patrimonialibus.

753. — II. *Origo.* — Beneficia stricte accepta prioribus Ecclesiæ sæculis ignota fuerunt. Equidem, semper clericorum jus fuit, propter officium, de altari vivere ; modus autem quo clerici ecclesiasticis bonis fruuntur, pertinet ad disciplinam, quæ non eadem semper remansit.

Ab initio clerici ex communi ærario alimenta accipiebant. Lapsu temporum (circa sæculum VI[ta]), facta bonorum divisione, certi reditus presbyteris ab Episcopo in usumfructum assignati sunt. Hujusmodi concessiones veluti quædam beneficiorum imagines exstiterunt ; non erant tamen proprie dicta beneficia, siquidem prædia, modo precario et ad tempus data, morte clerici vel elapso tempore concessionis, ad ecclesiam revertebantur. Paulatim vero factum est ut certis ejusmodi bonorum ecclesiasticorum partibus suus titulus et officium spirituale perpetuo annecteretur. Inde beneficia originem duxerunt (3).

II. — Varietas beneficiorum (4).

754. — Beneficiorum variæ sunt species ; dividuntur enim ratione officii spiritualis, ratione collatorum, ratione eorum quibus conferuntur,

(1) Schmalzgrueber, lib. III *Decretalium*, tit. V, § 1. — (2) Cf. Reiffenstuel, in tit. *De præbendis*, et *de Peculio clericorum*. — (3) Berardi, *Commentaria* in lib. III *Decretalium*, dissert. I. — (4) S. Alph., lib. IV, 84.

ratione modi quo conferuntur, et ratione perpetuitatis. Hinc versus : *Officium, dans, donatus, collatio, tempus.*

I. Ratione officii spiritualis, multa sunt beneficiorum genera :

1. Dividuntur in *majora* et *minora*. Majoribus adhærent primi in Ecclesia gradus cum externa jurisdictione, scilicet, S. Pontificatus, episcopatus, et abbatiæ quibus jurisdictio quasiepiscopalis competit. Minora censentur reliqua beneficia, quæ in odiosis sola veniunt nomine beneficii generatim sumpti.

2. Alia sunt *simplicia*, alia *duplicia*. Simplicibus incumbit tantum obligatio persolvendi officium divinum, vel ministrandi altari ; eis accensentur canonicatus quibus non annectitur dignitas, officium vel personatus. Quædam ex illis non postulant residentiam, v. g. præstimonium sive portio præstimonialis, solita conferri clericis in vitæ subsidium, præsertim tempore studiorum, quæ sæpe est veri nominis beneficium (1).

Duplicia specialem aliquam qualitatem annexam habent. Huc pertinent in capitulis *dignitates* ratione jurisdictionis, *personatus* ratione præeminentiæ, et *officia* ratione administrationis ; in parochiis vero, *beneficia curata*, ex cura animarum sic dicta (Cf. n. 453).

3. Ad invicem comparata, beneficia sunt *compatibilia*, vel *incompatibilia*, prout eorum officia ab uno et eodem clerico rite expleri possunt, vel non ; sic incompatibiles sunt duæ parochiæ et duo canonicatus etiam in eodem capitulo, dum beneficium simplex non residentiale ex se cum beneficio curato sociari potest.

II. Ratione collatorum, dividuntur in *reservata* seu *affecta*, quorum collatio ad R. Pontificem pertinet ; et in *non reservata* seu *non affecta*, quorum collatio Episcopis et aliis Prælatis relicta est.

III. Ratione personarum quibus conferuntur, alia sunt *regularia*, quæ solis regularibus ; alia *sæcularia*, quæ clericis sæcularibus conferuntur, juxta regulam : *Regularia regularibus, sæcularia sæcularibus.* In dubio, beneficia præsumuntur esse sæcularia. Regularia tum ex fundatione, tum ex consuetudine demonstrantur.

IV. Ratione modi quo conferuntur, dividuntur in *electiva, patronata* et *collativa*. — *Electivum* per electionem capituli, accedente superioris confirmatione, acquiritur ; *patronatum* per prævium patroni præsentationem, et subsequentem Episcopi institutionem obtinetur ; *collativum* per liberam superioris collationem confertur, sine prævia electione vel præsentatione.

V. Ratione perpetuitatis, dividuntur in *titularia* et *manualia*. *Titulare* confertur in titulum perpetuum, ita ut sine causa in jure expressa nequeat auferri ; *manuale* vero confertur revocabiliter.

In dubio, beneficia sæcularia præsumuntur esse titularia, juxta regulam communem. Beneficia autem regularia præsumuntur esse manualia, propter votum obedientiæ.

Amovibilitas non repugnat beneficio sæculari, quod hanc qualitatem acquirere potest vi primæ suæ institutionis, vel ex consuetudine, vel ex

(1) Ferraris, verbo *Præstimonium.* — Conc. Trid., sess. XXIII, c. XVIII, *de Reform.*

privilegio Summi Pontificis. Si beneficia manualia clericis sæcularibus collata fuerint ad tempus indeterminatum, honeste non revocantur sine justa causa ; nam revocatio sine causa censetur irrationabilis (1).

§ 2. — *Erectio et innovatio beneficiorum.*

I. — Erectio beneficiorum.

755. — Erectio beneficii est actus legitimus, quo reditus annui auctoritate ecclesiastica constituuntur propter officium spirituale. Multa requiruntur ad eam rite perficiendam.

I. Requiritur *legitima superioris ecclesiastici auctoritas ;* id ex notione beneficii colligitur. Romano Pontifici reservata est erectio majorum beneficiorum ; ad Episcopum vero spectat erectio beneficiorum minorum.

II. Requiritur *titulus*, cujus nomine significatur non solum ecclesia in qua beneficium erigitur, verum etiam ipsum officium spirituale quod in ea beneficiarius obire debet ; nam cultus divinus est beneficiorum finis.

III. Requiritur *constitutio dotis*, quo nomine veniunt bona certa, stabilia et frugifera, quorum annuos reditus rector beneficii percipiet.

IV. *Clausulæ* seu *leges fundationis* determinantur ; nam fundatori liberum est statuere conditiones sacris canonibus non repugnantes, a prælato probandas, et deinceps a beneficiato religiose observandas.

V. Ad *modum erectionis* quod attinet, Episcopus audit eos quorum interesse potest, conditiones approbat, et per contractum utrinque obligatorium erigit titulum in beneficium ; de quibus publicum instrumentum conficitur.

II. — Innovatio beneficiorum.

Innovatio beneficiorum appellatur quidquid statum eorum immutat. Hæc innovatio pluribus modis contingit, nempe : unione et incorporatione, divisione, dismembratione et diminutione, extinctione et suppressione. — Vide supra, n. 324.

1. — *De unione et incorporatione beneficiorum.*

756. — I. Unio beneficiorum fit, cum duo aut plura beneficia per legitimum superiorem ex juxta causa conjunguntur,

Distinguuntur unio *æque principalis*, unio *per confusionem*, et unio *per subjectionem.*

Unio est *æque principalis*, quando duo beneficia in perpetuum uni rectori subjiciuntur, salvis utriusque beneficii juribus, statu et nomine.

Unio fit *per confusionem*, cum plura beneficia in unum veluti corpus coalescunt, ita ut singula quidem existere desinant, eorum tamen jura compatibilia in beneficium novum transferantur.

Unio *per subjectionem* fit, cum unum beneficium alteri tanquam accessorium principali subjicitur ; tunc beneficium unitum cum suis juribus efficitur pars beneficii principalis.

757. — II. *Incorporatio* est quoddam unionis genus, præsertim medio

(1) Schmalzgrueber et Maschat, lib. III, tit. *de Præbendis.*

ævo frequentatæ. Consistit in eo quod beneficium, præsertim parochiale, non directe alteri beneficio, sed cuidam monasterio vel capitulo uniatur. Istæ uniones, ad vitam monasticam vel canonicalem instaurandam institutæ, aut ad procurandum melius regimen parochiarum, triplici forma absolvuntur.

Prima est incorporatio *quoad temporalia tantum*, seu *non pleno jure*, qua reditus parochiæ assignati sunt monasterio, sed cura animarum administratur a beneficii rectore, quem Episcopus instituit ad præsentationem monasterii.

Secunda est incorporatio *pleno jure*, qua tum temporalia tum spiritualia pertinent ad monasterium vel capitulum, ita ut cura animarum habitualiter resideat penes collegium, sed actualiter exerceatur per vicarium e gremio collegii deputandum.

Tertia est incorporatio *plenissimo jure*, qua Prælatus monasterii obtinet in clerum et populum jurisdictionem quasiepiscopalem, a potestate Episcopi diœcesani exemptam.

Nunc, ex prohibitione Concilii Tridentini, novæ incorporationes ecclesiarum parochialium absque licentia S. Pontificis fieri nequeunt (1).

758. — III. Beneficiorum unio est odiosa, siquidem contra fundatorum voluntatem per illam diminuitur numerus beneficiatorum, et consequenter cultus divinus, cui incumbunt ex officio. Quapropter multis regulis restringitur.

Requiritur *auctoritas legitima*, scilicet, eorum ad quos spectat erectio, ac proinde immutatio beneficiorum. Itaque R. Pontifex amplissimam habet potestatem uniendi quælibet beneficia ; nec præter illum ullus inferior potest ecclesias cathedrales et alia majora beneficia unire.

Jure communi, Episcopo competit facultas uniendi beneficia minora suæ diœcesis (2).

759. — IV. *Regulæ servandæ* in unione beneficiorum.

1. Beneficia non sunt unienda, nisi id ecclesiæ necessitas vel utilitas postulaverit. *Justa causa* est tum paucior fidelium numerus, tum paupertas ecclesiæ, quæ vel injuria belli vastata fuit, vel aliter necessariis reditibus destituta est.

2. Non possunt uniri beneficia diversarum diœcesium (3), neque beneficia regularia cum sæcularibus, neque beneficia collativa cum patronatis.

3. Unio debet esse perpetua et intuitu Ecclesiæ facta, non vero in personæ favorem, alioquin non esset nisi palliata beneficiorum pluralitas, quæ generaliter prohibetur.

4. Audiendi sunt illi quorum interest, nempe, capitulum et beneficiorum possessores.

5. Cessante causa unionis, vel superveniente causa ex qua unio evadit noxia, fit *dissolutio* seu disjunctio, qua beneficia unita in pristinum statum restituuntur. Ad dissolutionem requiruntur eadem auctoritas et eædem solemnitates quam ad unionem.

(1) Conc. Trid., sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XIII. — (2) Ibid., eadem sess., cap. XIII et XV. — (3) Ibid., sess. XIV, *de Reform.*, cap. IX.

2. — *De beneficiorum divisione.*

760. — I. Unioni opponitur divisio seu sectio et dismembratio improprie dicta beneficii, per quam ex uno beneficio fiunt duo vel plura, ita ut, divisis reditibus, juribus et oneribus, duo vel plures beneficiati deinceps instituantur; vel e pluribus beneficiis distrahuntur partes, ex quibus conjunctis novum constituitur beneficium.

Divisio ecclesiarum cathedralium pertinet ad supremam R. Pontificis potestatem. Parochias vero aliaque beneficia Episcopus dividit, modo adsit justa causa.

761. — II. In divisione parochiarum, non quælibet necessitas præstat sufficientem causam dividendi, sed eam esse oportet, ut aliud ei remedium adhiberi nequeat. Concilium Tridentinum de novarum parochiarum constitutione sequentia statuit (1) :

1. Ob populum nimis numerosum, Episcopi cogant rectores sibi tot sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In eumdem finem erigi potest capella seu ecclesia adjutrix, in qua sub dependentia parochi determinatas functiones sacerdos coadjutor obeat pro aliqua parte populi.

2. In iis vero parochiis, in quibus, ob locorum distantiam vel difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad ecclesiam parochialem accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, constituere possint, juxta formam constitutionis Alexandri III (2); sed requiritur, antequam peragatur dismembratio, ut audiantur partes quarum interest. Quæ autem sit distantia vel difficultas sufficiens ad dividendam parochiam, relinquitur arbitrio Episcopi. Regulariter duo millia passuum habentur ut distantia sufficiens.

3. Novo parocho assignetur competens portio ex fructibus ad ecclesiam matricem pertinentibus, nisi aliquis eam sponte tribuat; et, si necesse fuerit, populus compelli potest ea subministrare quæ ad vitam dicti sacerdotis sustentandam et expensas necessarias ecclesiæ sufficiant.

Quod concilium Trid. expresse faciendum decernit ob distantiam vel difficultatem itinerum, extendendum est ad numerum fidelium ita ingentem, v. *g.* excedentem sex millia, ut impossibile sit eos etiam pluribus turmis confluentes in ecclesia contineri, ac a parocho cognosci. Est enim « præcepto divino mandatum omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere (3) ».

5. In Gallia et Belgio, vi articuli 9 Concordati 1801, erectio et circumscriptio novarum parochiarum fieri non potest, aut saltem effectu caret in

(1) Sess. XXI, *de Reform.*, IV. — (2) Lib. III *Decretalium*, tit. XLVIII, cap. III, *Ad audientiam* — Bouix, *De parocho*, pag. 263. — S. Cong. Negot. extraord., 16 nov. 1896. — (3) Conc. Trid. sess. XXIII, cap. I, *de Ref.* — Pius VI, in Brevi ad Episcopos Galliæ, 10 martii 1791, edixit unum parochum non posse populum sex millium personarum rite gubernare; nec contextus patitur istam declarationem restringi ad parochos vicariis destitutos.

foro civili, nisi accedat Gubernii consensus. Eodem modo parochiæ succursales in perpetuas transmutantur (1).

3. — *De beneficiorum dismembratione et diminutione.*

762. — Per dismembrationem, salva beneficii unitate, pars aliqua illius ab eo detrahitur, et alicui ecclesiæ vel personæ attribuitur. Hoc nomine comprehenduntur nova limitatio parochiarum et diminutio beneficii.

I. Fit parochiarum *nova limitatio*, quando pars populi a sua parochia distrahitur, et viciniori ecclesiæ addicitur. Hæc dismembratio territorii non perficitur nisi ex gravi causa.

II. *Diminutio beneficii* fit, quando pars redituum alteri applicanda subtrahitur, vel novum onus, v. g. pensio, taxa, imponitur. Odiosa est, et generatim juri adversatur, nam regulam facit inscriptio tituli 12, libri III Decretalium : *Ut beneficia sine diminutione conferantur*. Itaque status beneficii primitivus, quantum fieri potest, servari debet, salvis exceptionibus in jure admissis.

763. — In specie vero attendendæ sunt sequentes regulæ :

1. Translatio partis fructuum ex uno beneficio ad alterum fieri nequit, nisi justa causa exigente, nempe, morali necessitate ecclesiæ, cui aliunde provideri non potest (2).

2. Prohibitum diminutionis genus adest, si collator, cum beneficium confert, partem fructuum sibi, aut suis, aut mensæ suæ, vel capitulo *reservet*.

3. *Pensio ecclesiastica* est certa pars redituum, qui ex alieno beneficio distrahuntur, atque alicui clerico, justa de causa et legitima auctoritate, assignantur vel ad tempus, v. g. vitam beneficiati resignatarii, vel in perpetuum.

Summus Pontifex solus potest beneficiis imponere pensionem perpetuam. Episcopus vero imponit tantum pensionem temporalem, ad quam opus habet justa causa, moderatione et consensu saltem tacito beneficiati (3).

4. *Taxa seminarii* est altera beneficiorum dismembratio, ex decreto Concilii Tridentini introducta (4).

4. — *De beneficiorum extinctione, suppressione et translatione.*

764. I. *Extinctio beneficii* contingit, quando ecclesia una cum reditibus destruitur, vel ab infidelibus, hæreticis, aut schismaticis occupatur.

II. *Suppressio beneficiorum* fit, sicut eorum divisio, auctoritate ecclesiastica competente, et ex justa causa; secus enim, diminuto numero præbendarum cultus divinus minui non debet. Istiusmodi causæ sunt : paucitas incolarum, vindicta gravis sceleris, diminutio redituum tanta ut non possit persona idonea congrue sustentari.

III. *Translatio beneficii* ab una ecclesia in aliam non habet rationem suppressionis, quia jura, reditus et obligationes ob mutationem loci non immutantur.

Causam et formam translationis indicat Concilium Tridentinum, sta-

(1) Icard, n. 602. — Bouix, *De parocho*, page 239. — (2) Schmalzgrueber, tit. *de Præbendis*, § 5. — (3) S. Alph., lib. IV, 137-139. — (3) Sess. XXIII, cap. XVIII, *de Reform.*

tuendo quod si qua ecclesia, vetustate vel alias collapsa, propter inopiam instaurari nequeat, beneficia ibidem erecta non supprimi, sed in alias ecclesias ab Episcopo transferri debent, cum omnibus suis emolumentis et oneribus (1).

ARTICULUS II

DE COLLATIONE BENEFICIORUM (2)

765. — I. *Collatio* seu *Provisio* beneficiorum est *concessio beneficii vacantis, facta ab habente potestatem.* Triplici potissimum actu perficitur : 1° *Designatione personæ idoneæ* per electionem, vel præsentationem, vel proprium motum collatoris ; 2° *Collatione tituli* seu juris in beneficio, per confirmationem R. Pontificis quoad beneficia majora, et per collationem seu institutionem Episcopi quoad beneficia minora ; 3° *Introductione in possessionem beneficii*, seu institutione corporali.

Sola personæ designatio, scilicet, electio, præsentatio, et ipsa collatio nondum acceptata, merum *jus ad rem* tribuit ; sed confirmatio electionis, institutio præsentati, et collatio acceptata, *jus in re* conferunt.

766. — II. Multiplex provisio distinguitur. — Spectata competentia collatoris, alia est *ordinaria*, alia *extraordinaria*. Ex regula generali, Summus Pontifix confert beneficia majora, Episcopus vero minora ; inde habetur notio provisionis *ordinariæ*. Si vero ex titulo speciali jus institutionis ad tertium spectat, vel ex jure devolutionis ad superiorem transit, vel si quædam beneficia specialiter R. Pontifici reservantur, provisio dicitur *extraordinaria*.

2. Prælaturas principaliter respicit electio, de qua diximus, ubi sermonem habuimus tum de *Summo Pontifice*, tum de *Episcopo*.

Præter electionem, distinguitur collatio vel *libera* vel *necessaria*. Collatio *libera* est ea quæ jure prorsus independenti exercetur. Collatio *necessaria*, seu *institutio*, præsentationi aut electioni est adstricta.

§ 1. — *De collatione libera.*

Dicendum est : — 1° de iis quibus competit jus conferendi beneficia ; — 2° de iis quibus beneficia conferri possunt ; — 3° de forma collationis.

I. — De collatoribus beneficiorum.

767. — Cum beneficii collatio sit actus potestatis spiritualis, profecto ad solos Ecclesiæ præsules pertinet. Quapropter laici, secluso speciali privilegio apostolico, sicut sunt incapaces possidendi jus spirituale, ita ex nulla consuetudine possunt beneficia conferre.

Triplici autem jure, nempe, vel *plenario*, vel *ordinario*, vel *delegato*, præsules Ecclesiæ beneficia conferunt.

1. *Collatio jure plenario* competit Summo Pontifici, respectu beneficiorum totius Ecclesiæ ; sicut enim est universalis pastor, ita supremus est omnium beneficiorum collator. Attamen jure suo non utitur nisi ob graves

(1) Conc. Trid., sess. XXI, cap. VII, *de Reform.* — (2) S. Alph., lib. IV, 85 et seqq.

causas, et consuevit servare ordinem sacris canonibus aut consuetudine statutum.

Multiplici modo R. Pontifex beneficia conferre potest, videlicet jure vel *concursus*, vel *prœventionis*, vel *devolutionis*, vel *reservationis*, prout collatio ordinaria ipsi simul et alteri competit, vel plenario jure utens collatorem ordinarium prævenit, vel ob negligentiam aut culpam istius succedit in ejus facultatem, vel talis beneficii collationem sibi reservavit, v. g. beneficiorum in curia romana vacantium, beneficiorum certis mensibus vacantium, primæ dignitatis in capitulis, per regulas cancellariæ (1).

II. *Collatores jure ordinario.* — Post R. Pontificem, proximum locum inter collatores obtinent Episcopi et alii locorum Ordinarii, qui ordinario et nativo jure beneficia conferunt. Cum ipsi *fundatam in jure communi habeant intentionem* seu universalem et plenam potestatem conferendi beneficiæ suæ diœcesis, inde duo inferuntur (2) :

1. Episcopi illa potestate recte utuntur in collatione omnium beneficiorum, exceptis conferendis a Sede Apostolica.

2. Si quis alius contenderit collationem alicujus beneficii ad se pertinere, tenetur id probare ex privilegio vel consuetudine rite præscripta. In dubio, adjudicanda est Episcopo, cui præsumptio juris favet.

III. *Collatores jure delegato.* — Cardinales ex privilegio, quamvis non sint Episcopi, acceperunt potestatem conferendi aliqua beneficia.

Ex simili privilegio, vel ex consuetudine præscripta, alii, v. g. capitula et canonici, etsi ordinariam jurisdictionem non habentes, obtinuerunt jus quædam beneficia conferendi.

II. — De iis quibus beneficia conferri possunt.

768. — Ex regula generali, beneficia idoneis seu *dignis* conferenda sunt. Jam vero multæ qualitates desiderantur, ut aliquis ad beneficium idoneus habeatur.

I. *Legitima ætas* requiritur, videlicet, pro episcopatu annus 30^{us} completus, pro beneficiis duplicibus annus 25^{us} inchoatus, pro dignitatibus in capitulis annus 22^{us} completus. Ad beneficia simplicia, sufficit annus 14^{us} inchoatus; imo minor ætas sufficit in designatis actu fundationis ad suscipiendum beneficium.

II. *Legitimi natales* requiruntur, nisi dispensatio concedatur in favorem eorum qui morum integritate et doctrina commendantur ; quæ pro beneficiis simplicibus ab Episcopo, pro cæteris a S. Pontifice conceditur.

III. Requiritur *status clericalis* et *cœlibatus* pro quibuscumque beneficiis, et *ordo* pro qualitate beneficii. Sic ad curam animarum necessarius est presbyteratus infra annum suscipiendus.

IV. Requiritur *vitæ integritas*, ad quam refertur immunitas a censura, irregularitate et simonia.

V. Beneficia postulant *scientiam* quæ officiis rite obeundis saltem sufficiat ; quædam etiam obtineri nequeunt nisi a graduatis in Universitate canonica, v. g. Episcopatus.

(1) Soglia, *Institutiones juris privati*, lib. II, cap. II. — (2) Berardi, *de Beneficiis*, dissert. V.

VI. Inter plures dotibus requisitis instructos, *digniorem* eligi justitia distributiva et bonum Ecclesiæ exigunt (1). Hæc obligatio per se gravis est, et respicit præsertim episcopatum et beneficia quæ jurisdictionem externam vel curam animarum annexam habent. Illicita, sed valida est collatio beneficii digno facta, prætermisso digniore ; eam tamen revocare potest judex appellationis, si ad eum infra decem dies a collatione numerandos devolvatur causa.

III. — De formâ collationis.

769. — I. Ut beneficia rite conferantur, plures observantur regulæ :

1. Beneficium conferendum debet esse *vacans;* etenim, præter coadjutorias Episcoporum, Concilium Tridentinum *exspectativas* prohibuit tum ne mortis alienæ votum ingeratur, tum ut præcaveantur alia incommoda (2).

2. Collatio fit *gratuito*, remota specie cujuslibet pacti simoniaci.

3. Beneficia conferri debent *libere*, citra vim et coactionem, veluti liberalis quædam donatio ; — *integre*, absque diminutione vel divisione, extra casus in jure admissos ; — *absolute*, non conditionate vel disjunctive ; — *palam* coram testibus, ut litibus occurratur ; — *tempore definito*, quia legibus cavetur ne beneficia diutius, v. g. ultra semestre, vacua permaneant. Si collator ordinarius intra tempus præfixum providere neglexerit, eo ipso jus ad superiorem devolvitur.

770. — II. Hodierna praxis neminem ad beneficii possessionem admittit, nisi *litteras* authenticas collationis exhibeat administratori beneficii vacantis. Hanc disciplinam induxit necessitas avertendi fraudes vel lites.

1. Si beneficium a R. Pontifice conferatur, id omnino requiritur ; etenim Bonifacius VIII prohibuit ne Episcopi, Prælati inferiores, et cæteri ad beneficium apud Apostolicam Sedem promoti, administrationem capessere præsumant sine litteris apostolicis (3).

S. Pontifex collationis litteras seu Bullas aut Brevia expedit multiplici modo :

Litteræ provisionis *in forma gratiosa* dantur, cum S. Pontifex, intuitu meritorum quibus aliquem clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, eidem beneficium confert, ac proinde executori non permittit merita ejusdem clerici ad examen revocare.

Litteræ *in forma Dignum* (ita dictæ ex eo quod bulla his verbis incipit : *Dignum arbitramur*) illæ sunt quibus S. Pontifex mandat Ordinario ut certum beneficium alicui conferat, si tamen prævio examine idoneum esse repererit. Hæ litteræ dicuntur etiam *in forma commissoria*, et *mandatis de providendo* assimilantur, quia S. Pontifex proprie beneficium non confert, sed collationem Ordinario committit.

Hujusmodi litteræ apostolicæ quinque partibus constant, nempe proœmio, narratione, dispositione, derogatione contrariis et designatione executorum.

2. Ordinarii collationis litteras expediunt tantum ad faciendam fidem.

(1) Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. I, *de Ref.* ; et sess. XXIV, cap I et XVIII. — S. Alph., lib. IV, n. 103. — (2) Sess. XXIV, cap. XIX, *de Reform.*— Sess. XXV, cap. VII, *de Reform.*— (3) Const. *Injunctæ*. — Cf. Const. *Apost. Sedis*, susp. reserv,, I. infra, n. 984.

Istæ litteræ plerumque sex partibus constant. In prima, Episcopus proprium nomen et dignitatem significat, et clerico salutem dicit. In secunda, exprimit collationis causam, nempe ipsius clerici merita. In tertia, titulus beneficii confertur eidem clerico proprio nomine et cognomine designato. In quarta delegatur persona ecclesiastica, ut clericum in possessionem beneficii mittat, facta primum fidei professione coram Vicario generali, quando præcepta est (V. supra, n. 300). In quinta, cancellarius Episcopi litteras collationis subscribit ; in aliquibus diœcesibus subscribunt etiam duo testes qui collationi interfuerint. In sexta denique, apponitur data expeditionis, seu dies mensis et anni, quo collatio perfecta est.

§ 2. — *De institutionibus.*

771. — Institutio est modus canonicus acquirendi beneficium. Quamvis, late accepta, collationem etiam includat, attamen stricte dicta, prout hic accipitur, differt ab ipsa collatione, eo quod collatio simplex sit libera, institutio vero sit collatio necessaria. In beneficiis et officiis electivis, dicitur etiam *confirmatio.*

Tres institutionum species recensentur : prima dicitur *collativa tituli ;* altera est *authorizabilis*, qua clericus jam beneficio provisus approbatur et promovetur ad curam animarum ; tertia est *institutio corporalis* seu *realis*, dicta etiam *investitura* et *installatio*, qua clericus accipit possessionem beneficii.

I. — De institutione collativa tituli et jure patronatus (1).

772. — I. Institutio collativa definitur : *concessio beneficii vacantis, auctoritate legitimi superioris facta, ad præsentationem patroni.* Quare duo hic necessaria sunt, nempe institutio et præsentatio. Hæc ad patronum pertinet, cujus est designare clericum ; illa spectat ad Episcopum, cujus est beneficium tribuere clerico designato, modo nihil obstet cujus causa repellendus videatur (2).

Ut fiat institutio canonica, sine qua beneficium ecclesiasticum non obtinetur (reg. 1, in VI *Decret.*), debet esse in instituente potestas, in recipiente habilitas, in actu ipso solemnitas (3).

773. — II. *Jus patronatus* innotescit ex illius definitione, origine, acquisitione, juribus et amissione.

1. *Definitio.* — Jus patronatus est *jus præsentandi clericum instituendum ad beneficium vacans.* Porro præsentatio est nominatio seu oblatio idoneæ personæ in beneficium instituendæ.

Definitur etiam : « Jus honorificum, onerosum et utile, competens alicui in ecclesia quam de Episcopi consensu fundavit, construxit aut dotavit. »

Utraque definitio est legitima, quia jus patronatus est complexus jurium et officiorum, piis fundatoribus aut aliis ex favore Ecclesiæ competentium intuitu cujusdam beneficii, quorum præstantissimum est

(1) S. Alph., lib. IV, 87-97. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. I, tit. V, sect. IV. — (3) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. III, tit. VII.

facultas præsentandi. Inde sequitur illud esse jus temporale spirituali annexum, et originem ex Ecclesiæ favore speciali ducere.

Jus patronatus est *ecclesiasticum* vel *laicale*, prout patrono competit ex titulo ecclesiastico, v. g. abbatia, vel ex fundatione aut dotatione e bonis patrimonialibus; aliquando est *mixtum*, seu partim ad clericos et partim ad laicos pertinet.

2. *Origo.* — A rationibus historicis, quæ variæ esse possunt, differt juris patronatus causa formalis, seu fundamentum cui innititur, nempe, concessio Ecclesiæ. Nimirum, sive quia collatio beneficiorum ad sacram hierarchiam unice spectat, sive quia jurium spiritualium incapaces sunt laici sine privilegio apostolico, ista liberæ collationis limitatio nonnisi indulgente Ecclesia fuit introducta.

Ad historiam quod attinet, initium juris patronatus prioribus Ecclesiæ sæculis occurrit. Ecclesia enim jam tunc templorum, altarium et beneficiorum fundatores quibusdam prærogativis donavit, ut gratum erga illos animum testaretur. Hinc nomina eorum in ecclesiis recitata, sacris diptychis inscripta, templis imposita fuisse constat (*v. g. Basilica Constantiniana*); hinc reliqua concessa jura, et ipsum jus offerendi clericum ad beneficium vacans. Concilium Arausicanum I (anno 441) Episcopis in aliena diœcesi templum ædificantibus concessit, ut clericos præficiendos possent Ordinario præsentare; quod præsentandi jus successu temporis ad ipsos laicos extensum est.

3. *Ad acquisitionem* juris patronatus referuntur tum modi quibus originaliter *obtinetur*, tum modi quibus in alios *transfertur*.

Ex duabus causis originaliter acquiritur: prima est *fundatio*, vel *constructio*, vel *dotatio* ecclesiæ in qua beneficium erigitur; altera est *præscriptio* immemorabilis (1).

Modi derivativi, quibus transfertur, sunt *successio*, *donatio*, et *permutatio*.

4. *Jura et obligationes patroni.* — Præcipuum patroni jus est *facultas præsentandi* clericum sibi bene visum, vel ex tali familia, aut loco oriundum; reliqua patronorum jura sunt *honorifica*, vel *utilia*, vel *onerosa*.

Jura *honorifica* sunt dignior sedes in ecclesia; dignior locus in processionibus; præcedentia in suscipienda aspersione aquæ, thurificatione, candela, palma, etc.; sepultura in loco honoratiori ecclesiæ.

Utilia patronorum jura duo sunt: primum est, quod patronus possit in ipsa fundatione sibi moderatam pensionem reservare; alterum est jus alimentorum, in casu quo patronus ad inopiam redigeretur.

Jura onerosa sunt jus simul et officium defensionis et vigilantiæ in rectam administrationem bonorum ecclesiæ patronatæ; patronis tamen non competit administratio, sed beneficiatis ipsis, qui, semel instituti, subjacent soli Episcopo.

Cum ultimo ejusmodi officio analogiam habet *advocatia* seu defensio qua principes, postulante Ecclesia, contra violentas oppressiones ipsam vel ecclesias particulares protegunt.

(1) Berardi, *de Beneficiis*, dissert. IV.

5. *Amissio juris patronatus.* — Juris patronatus exercitium amittitur, si terminus præsentationis præfixus (4 menses pro patronatu laicali, 6 pro ecclesiastico et mixto) frustra elapsus sit, vel si patronus ecclesiasticus indignum præsentaverit.

Jus ipsum patronatus amitti potest *ex delicto*, et *sine delicto*. Crimina quibus privatio illius annexa est, sunt : cædes vel mutilatio rectoris aut alterius clerici ecclesiæ patronatæ ; simoniaca venditio istius juris; usurpatio bonorum beneficii ; hæresis, schisma et crimen læsæ majestatis.

Sine delicto, amittitur pluribus modis, nempe : destructione ecclesiæ aut interitu dotis, extinctione familiæ fundatoris, voluntaria cessione et præscriptione.

In Gallia et pluribus aliis regionibus, postquam direpta sunt bona ecclesiastica et mutatus ecclesiarum status, vix aliqua supersunt vestigia patronatus, v. g. in præsentatione capellanorum ab administratoribus hospitiorum.

II. — De institutione authorizabili.

774. — I. Institutio authorizabilis est *auctoritas ab Episcopo data in oves*, seu commissio regendi fideles in parochia. Cum Episcopus plenum jus provisionis habet, unico actu confert titulum et curam animarum. Si autem institutio collativa beneficii curati spectet ad alium prælatum, approbatio ad curam animarum ex jure communi ab Episcopo concedenda est, et dicitur institutio authorizabilis (1).

II. Institutio authorizabilis ita competit Episcopo, ut ab inferiori acquiri nequeat, etiam consuetudine aut præscriptione immemorabili, quamdiu beneficia curata non eximuntur a jurisdictione Episcopi ; nam Conc. Tridentinum statuit : « Præsentati seu electi vel nominati a quibusvis... ad quævis beneficia, non admittantur..., nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, et idonei reperti (2). »

Ratio est, quia contraria consuetudo est irrationabilis : 1° quidem nocet Ecclesiæ, dum, sublato examine, multi imperiti irrepunt in curam animarum ; et 2° adversatur officiis Episcopi, qui jure divino tenetur gregem suum pascere, et consequenter scire an idoneos habeat pastores subordinatos.

Una exceptio admittitur, scilicet, ut curam animarum committat is qui habet jurisdictionem quasiepiscopalem in territorium exemptum.

III. Institutioni regulariter præmittendum est examen instituendi, ut probatur eodem decreto Concilii Tridentini, et eadem ratione (3).

III. — De institutione corporali.

775. — Institutio corporalis (relate ad Episcopos dicitur inthronizatio, relate ad canonicos installatio), non est nisi realis ingressus beneficii, sive missio in possessionem.

I. Clericus adeptus collationem tituli non potest propria auctoritate capere possessionem beneficii ; secus, puniendus est (4).

(1) Zallinger, lib. III, tit. VII. — (2) Sess. VII, cap. XIII, *de Reform.* — (3) Schmalzgrueber, lib. III, tit. VII, *de Institutionibus*. — (4) Cap. XVIII, *de Præbendis*, in 6.

II. Ad investituram, requiritur auctoritas superioris ecclesiastici ad quem pertinet collatio beneficii, eo quod possessio sequitur et perficit collationem. Unde laici dantes, et clerici ab eis recipientes investituram, excommunicantur.

Ex regula generali investitura spectat ergo ad Episcopum, qui vel per seipsum eam tribuit, vel executori delegato in statutis diœcesanis aut in litteris collationis tribuendam committit.

III. Quamvis certa forma capiendæ possessionis nullo jure sancita sit, tamen usu recepta sunt quædam signa externa, quibus possessionis traditio et acceptatio significentur; modus vero varius est pro varietate locorum et beneficiorum. Ista præcipue servantur :

Episcopi, juxta ritum in Cæremoniali Episcoporum præscriptum, in ecclesia cathedrali solemniter possessionem capiunt ; — Canonici per Decanum capituli investiuntur habitu canonicali, et tum in stallum proprium, tum in capituli conventum perducuntur; — Parochi per delegatum Episcopi populo præsentantur, et in ecclesiam inducuntur. At sæpe, ante solemnem installationem, beneficiatus per se vel per alium, exhibitis privatim litteris collationis, capit possessionem.

In pluribus locis, distinguuntur *investitura in spiritualibus*, et *missio in possessionem temporalium*.

IV. Captæ possessionis effectus generalis est, ut exinde beneficiatus officio spirituali fungatur, et fructus faciat suos.

Insuper, hi sunt speciales effectus annuæ vel triennalis possessionis :

1. Ille qui per unum annum pacifice beneficium possedit, inde dimoveri nequit, nisi primum lis contra eum mota judicio terminetur.

Triennalis possessio possessorem tutum reddit, ita ut amplius in possessione turbari nequeat. Sic statuunt Regulæ Cancellariæ Romanæ.

Scholium de commendis beneficiorum. — Olim viguit et gravissimis abusibus ortum dedit usus nunc fere obsoletus conferendi multa beneficia *in commendam*, in eo præsertim consistens quod monasteria vacantia sive ad tempus sive in perpetuum commendabantur custodiæ et administrationi clericorum sæcularium, qui sub certis oneribus eorum reditus percipiebant. Hujusmodi praxim, disciplinæ monasticæ exitialem factam et direptioni bonorum ecclesiasticorum a minus dignis prælatis faventem, Conc. Tridentinum restrinxit, sed penitus abolere non ausum est (1).

ARTICULUS III

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM

Hæc spectant vel ipsum beneficium seu jus ad temporalia, vel officium beneficio conjunctum.

§ 1. — *Jura et obligationes beneficiatorum intuitu beneficii sui* (2).

776. — *Bona ecclesiastica*, quæ ad ipsas ecclesias pertinent, differunt *a bonis clericalibus*, quæ ad clericos pertinent et in Decretalibus dicuntur *peculium clericorum*.

(1) Conc. Trid , XXV, c. 21, *de Regul.* — (2) S. Alph., lib. III. 490-492.

Bona clericorum sunt triplicis generis, scilicet, *patrimonialia*, *quasi patrimonialia et beneficialia.*

1. *Patrimonialia* sunt bona quæ titulo profano clericis obveniunt.

2. *Quasi patrimonialia* a clericis qua talibus acquiruntur, intuitu scilicet ministerii ecclesiastici, v. g. stipendia missarum et concionum, oblationes, distributiones chorales, emolumenta funeralia. Huc revocantur etiam *bona parcimonialia*, quæ clericus, parce vivendo, subtrahit de congrua sustentatione sibi competente e beneficio.

3. *Beneficialia* ex ipso beneficio proveniunt, vel ex compensatione ab usurpatoribus præstita, v. g. stipendia parochorum Galliæ, a tempore Concordati. Alia sunt *necessaria*, quæ clericis præstant honestam sustentationem, pro cujusque statu, dignitate et conditione; alia sunt *superflua*, quæ congruæ clericorum sustentationi supersunt.

Triplex quæstio hic instituenda venit, nempe : 1ª, An et quorum bonorum clerici sint domini? — 2ª, An clerici teneantur bona beneficialia superflua erogare in causas pias ? — 3ª, Quomodo in praxi clericus uti possit bonis beneficialibus ?

I. — An et quorum bonorum clerici sint domini ?

777. — I. *De bonis patrimonialibus clerici libere disponunt.* Ratio est, quia clericatus non inducit incapacitatem dominii, sicut professio religiosa votorum solemnium.

1. Sententia plurimorum asserit idem dicendum esse *de bonis quasi patrimonialibus*. Etenim tanquam merces laboris conferuntur, neque fideles eadem largiuntur sub conditione tacita vel expressa, ut in usus pios distribuantur. Hanc opinionem sequitur Benedictus XIV (1).

2. Ad clericos etiam pertinent bona parcimonialia, quæ singulari frugalitate paulatim acquiruntur. *Collet* hoc negans merito habetur ut rigidus.

778. — II. *Clerici sunt domini bonorum beneficialium quæ ad honestam sustentationem ipsorum necessaria sunt.* Ita sententia communis.

Prob. 1. *Concilio Trid.* (2), statuente beneficiatos, dummodo resideant, fructus suos facere; atqui fructus suos facere aperte significat acquisitionem dominii.

Prob. 2. *Ratione theologica*, sic ducta e ministerio clericorum et institutione beneficiorum : Merces militibus et operariis assignata ad ipsos stricte pertinet, etiamsi sint divites ; atqui fructus beneficiales ad sustentationem necessarii sunt merces a fundatoribus et Ecclesia clericis assignata, quatenus Christi militibus et vineæ ejus operariis ; ergo hi fructus stricte pertinent ad clericos beneficiatos, etiamsi isti aliunde divites sint. — Cf. I Cor., IX, 13-14.

779. — III. Ad *reditus superfluos* beneficiorum quod attinet, duo dicenda sunt :

1. Valde probabile est clericos esse dominos redituum beneficialium sibi superfluorum, ita tamen ut habeant obligationem eos in pios usus impendendi. Etenim clerici eos simul cum necessariis, sine ulla distinctione et

(1) *De Beatificatione servorum Dei*, lib. III, cap. XXXIV. — (2) Sess. XXIII, cap. I; et sess. XXIV, cap. XII, *de Reform.*

eodem jure, juxta Conc. Trid., *faciunt suos*. Igitur beneficiati sunt pariter domini redituum superfluorum (1).

2. Quando disputatur de obligatione beneficiatorum erogandi superflua in pias causas, caput controversiæ non est utrum clerici beneficialium redituum domini appellandi sint, vel dispensatores tantum aut administratores, sed utrum ex justitia, vel ex præcepto tantum ad id teneantur. Equidem, si clerici essent duntaxat dispensatores, obligatio justitiæ apertius in oculos incurreret. Verum idea dominii non excludit obligationem personalem ex justitia quidpiam præstandi; sic hæres totius hæreditatis dominium acquirit, etsi onerata sit debitis et legatis, quibus ex justitia satisfacere debet (2).

II. — An beneficiati teneantur reditus superfluos erogare in causas pias?

780. — I. Hanc obligationem sub gravi omnes Ecclesiæ canones aut imponunt, aut impositam agnoscunt. Id colligitur non tantum ex antiquis canonibus, verum etiam ex Concilio Tridentino (3), quod interdicit Episcopis ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos aut familiares augere studeant.

781. — II. Circa originem hujus obligationis duplex est sententia.

1° Plures, præsertim ex antiquioribus, arbitrantur hanc obligationem oriri ex stricta justitia; ac proinde clericos impendentes superflua in usus profanos, eorumque hæredes, teneri ad restitutionem, Ecclesiæ aut pauperibus faciendam.

Prob. 1. *auctoritate*. Argumentum præbent tum antiqui canones, asserentes bona ecclesiastica esse *patrimonium Christi*, *res Ecclesiæ*, *patrimonium pauperum;* tum Ecclesiæ Patres, qui furti et rapinæ reos declarant clericos expendentes reditus ecclesiasticos in profanos usus.

Prob. 2. *ratione*, scilicet, ex intentione fidelium et Ecclesiæ. Fideles quippe bona sua dederunt ad sustentationem clericorum, et simul ad levamen pauperum et alios usus pios, volentes promovere cultum Dei, minime vero luxum clericorum fovere. Neque Ecclesia aliter illa bona acceptat, et acceptata in clericos confert, nisi ut in pios usus impendantur, ut manifestum est ex sacris canonibus.

2° Alii canonistæ existimant istam obligationem non oriri ex stricta justitia, sed ex virtute religionis et positivo præcepto Ecclesiæ; quamobrem ab onere restitutionis excusant clericos superflua dissipantes. — Cf. S. Thomam, 2^a $2^æ$, q. 185, a. 7.

Prob. 1. *Origine beneficiorum*. Hæc enim, reservata parte bonorum ecclesiis et pauperibus obveniente, potissimum erecta fuerunt in gratiam clericorum, ut haberent reditus in mercedem laborum.

Prob. 2. *Textibus Decretalium et Concilii Tridentini*, quibus absolute asseritur clericum qui suis officiis fungitur facere *fructus suos;* facere autem fructus suos idem est ac eorumdem dominium integrum acquirere.

Prob. 3. *Ratione*. Nemo cogendus est ad restitutionem alicujus rei, nisi constet eam ex justitia deberi; atqui non constat beneficiatos ex justitia

(1) Pirhing, lib. III, tit. XXV, *de Peculio clericorum*. — (2) Zallinger, *eodem titulo*. — (3) Sess. XXV, cap. I, *de Reform.*

obligari ad partem redituum dandam alteri : neque ex intentione fidelium, qui bona sua dederunt quidem cum spe quod superfluum in pauperes erogaretur, non vero hanc obligationem imposuerunt ; neque ex voluntate Ecclesiæ, quæ nuspiam in canonibus clare clericis imposuit obligationem justitiæ (1).

III. — Quomodo in praxi clericus uti possit bonis beneficialibus ?

782. — I. Clericus, abstrahendo a bonis patrimonialibus et quasi patrimonialibus, videat quanti sint fructus beneficii sui, deductis expensis et damnis. Ex altera parte, videat quibus clericus suæ conditionis indigeat pro honesta sustentatione, secundum morem patriæ et praxim timoratorum ; nam regula generalis statui nequit, et attendenda est qualitas beneficii, loci et personæ. His computatis, facile deprehendet an quid notabile supersit suæ sustentationi.

II. Clericus ex superfluis potest consanguineorum debita solvere, eos juvare ut secundum decentiam status sui vivere possint, non tamen illos ad majorem splendorem attollere ; puellas inopes dotare ; moderata convivia modestiæ clericali non repugnantia instituere : denique non tantum pauperibus ostiatim mendicantibus succurrere, sed etiam nobilioribus personis quæ necessariis carent ad statum suum conservandum. Ratio est, quod omnes hi usus sunt pii.

III. Quanta materia sufficiat ad peccatum mortale, definiri generaliter nequit. Attamen certe aliquanto plus requiritur quam ad furtum, quia clerici pro filiisfamilias habentur, respectu Ecclesiæ et bonorum beneficialium, etiamsi admittatur obligatio justitiæ (2).

§ 2. — *Obligationes beneficiatorum intuitu officii sui* (3).

Præter obligationem emittendi professionem fidei, habitum clericalem constanter gestandi, et horas canonicas persolvendi, de quibus jam dictum est, duo beneficiatos stringunt, nempe, obligatio residentiæ et prohibitio pluralitatis beneficiorum.

I. — De residentia.

783. — I. *Notio residentiæ.* — Definitur : *assidua seu moraliter continua in loco beneficii commoratio, ad effectum servitii personalis.*

Residentia dicitur commoratio moraliter continua, quia ad modicum tempus absentes et statim reversuri non videntur abesse. In hac notione duo insunt : *Primum* est commoratio in loco beneficii, id est, relate ad Episcopos, in civitate episcopali vel in diœcesi ; relate ad alios, in loco ubi functionibus personaliter obeundis commode adesse possint ; proinde, relate ad parochos, in domo ad hoc destinata intra limites parochiæ.

Secundum est obligatio deserviendi personaliter, siquidem residentia otiosa non sufficit, sed requiritur laboriosa, propter quam talis persona electa est, absque facultate aliquem sibi substituendi.

Rationes quibus nititur obligatio residendi non æque cadunt in omnia

(1) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. VII, cap. II. — (2) Schmalzgrueber et Maschat, *de Peculio clericorum*. — (3) S. Alph., lib. IV, 119 et seq.

beneficia ; nam Concilium Tridentinum et subsequens jus pontificium aliter statuit de Episcopis et rectoribus animarum, aliter de canonicis et cæteris beneficia simplicia possidentibus (1).

1. Imprimis Episcopos ad personalem residentiam adstringit Concilium Tridentinum (2). Ratio est, quia pastor gregi suo invigilare debet, eumque pascere personaliter.

Attamen Episcopi ex justa causa, licet non sit gravis, e sua diœcesi abesse possunt singulis annis, per duos aut ad summum tres menses. Si vero per longius tempus abesse velint, duo concurrant necesse est, videlicet, justa causa et licentia superioris ecclesiastici, nisi absentiæ causa sit notoria.

2. Parochi a residentia non excusantur senectute, adversa valetudine, aeris intemperie. Per duos menses, sive continuos sive interruptos, abesse nequeunt, nisi causa prius per Episcopum probata et licentia discedendi obtenta, substituto interim vicario idoneo per Ordinarium approbando. Utrum ad paucos dies parochis abesse liceat, non petita Episcopi licentia, ex statutis diœcesanis judicandum est.

3. Canonici abesse possunt per tres menses, sive continuos sive interruptos ; at pro longiori tempore requiritur licentia Superioris et justa causa. Itaque canonici per annum novem mensibus tantum residere tenentur, nisi statuta ecclesiæ longius servitii tempus requirant. Sed Episcopus attendit ne absentia canonicorum vertat in detrimentum cultus divini, ut contingeret si plures tertia parte simul abessent.

4. Spectato jure communi, alia beneficia residentiam requirunt, nec ulla causa excusat, ubi lex fundationis imponit vel servitium chori, vel celebrationem missæ in certa ecclesia, vel onus adjuvandi parochum, vel ipsam residentiam. Sed consuetudo jamdiu passim obtinuit ut cætera beneficia simplicia, quæ solum onus divini officii imponunt, residentiam non exigant.

784. — II. *Quo jure residentia fuerit introducta?* — Equidem residentia clericorum beneficia curata non habentium est juris ecclesiastici ; nulla enim lex divina profertur, ex qua talis residentia colligatur. Verum controvertitur an Episcopi et parochi jure divino vel ecclesiastico tantum ad residentiam obligentur.

1. Hanc obligationem præstantissimi theologi et canonistæ ex ipso jure divino derivant, eam potissimum ob rationem, quod « præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere... ac pascere (4). » Nisi enim Episcopi et curati assidue resideant in sua ecclesia, ordinarie non possunt oves suas rite pascere. Ergo, sicut jure divino tenentur ad pascendum gregem suum, ita eodem jure tenentur ad residendum cum grege suo.

2. Quidquid sit de hac controversia, quæ in Concilio Tridentino non potuit ad finem perduci (5), saltem indubium est obligationem residentiæ tum ex naturali æquitate, tum ex sacris canonibus stricte præcipi. Æquitas

(1) Benedicti XIV const. *Ubi primum* (1740), *Ad universæ* (1746). — (2) Sess. XXIII, cap. I, *de Ref.* — (3) Conc. Tridentinum excipit tempus Adventus, Quadragesimæ, etc. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. I, *de Reform.* — (5) Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. VII, cap. I.

enim naturalis postulat ut qui ad munus publicum deputatus est, personaliter illud expleat, et in loco muneris sui talem præsentiam exhibeat, qualis pro illius adimpletione requiritur ex intentione expressa vel præsumpta fundatorum.

Ad canones quod attinet, hac in re jam in Ecclesia primæva summus eorum erat rigor; nam clerici ita suis titulis affixi censebantur, ut nemini eorum sine venia Episcopi ab Ecclesia sua abesse liceret. Verum deinceps in residendo negligentia ita invaluit, ut Patres Tridentini tum varia antiquorum Conciliorum decreta innovare, tum pœnas in reos decernere necessarium duxerint.

3. Hujusmodi sanctionibus pœnalibus Concilii Tridentini subest illud statutum generale, quod beneficiatus fructus non facit suos.

Proinde Episcopi, præter reatum gravis peccati, fructus, quamdiu absunt, nullos acquirunt; et ultra annum absentiam protrahentes a Metropolita denuntiandi sunt.

Similiter parochi non residentes peccant graviter, et fructus non faciunt suos. Insuper, si, per edictum citati, contumaces fuerint, liberum est Ordinariis per censuras, vel per subtractionem fructuum, vel per privationem beneficii eos compellere.

Pœnæ mitiores contra canonicos decernuntur. Isti, si ultra tempus sibi concessum absint, primo anno dimidiam partem fructuum amittunt; secundo anno, omnibus fructibus privantur; crescente contumacia, contra eos juxta canonum constitutiones procedendum est.

785. — III. *Causæ a residentia excusantes* numerantur quatuor, a Conc. Trid. approbatæ, nempe, christiana *caritas*, urgens *necessitas*, debita *obedientia*, et evidens Ecclesiæ vel reipublicæ *utilitas*.

II. — De prohibita beneficiorum pluralitate (1).

786. — I. Officium residentiæ plerisque beneficiis annexum excludit beneficiorum pluralitatem. Unde antiquis Ecclesiæ legibus clericum in duarum ecclesiarum catalogum referri vetitum erat; et deinceps, etiam postquam ordinatio a beneficiorum collatione sejuncta est, beneficiorum cumulationem in una persona semper abhorruit Ecclesia. Verum, neglectus residentiæ, dotationum insufficientia, ambitio et avaritia plurimorum, aliæque rationes, plura beneficia occupandi ansam præbuerunt.

Restitere quidem huic canonum contemptui SS. Pontifices et concilia tam generalia quam particularia. Sed neque Conciliorum Lateran. III et IV decreta, neque SS. Pontificum constitutiones malis inveteratis efficaciter mederi potuerunt. Concilium Tridentinum hac in re collapsam disciplinam instauravit. Illius legum tenor est, ut beneficiorum pluralitas generatim quidem prohibeatur, in quibusdam tamen casibus sive ipso jure, sive ex dispensatione permittatur. Hinc invaluit distinctio inter beneficia *compatibilia* et *incompatibilia*, antiquis sæculis incognita (2).

787. — II. — 1. Beneficia *compatibilia* sunt : *primo*, si reditus unius ita tenues sint, ut ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non

(1) S. Alph., lib. IV, 115-118. — (2) Berardi, *de Beneficiis*, dissert. I, cap. V.

sufficiant. Tunc liceat « aliud simplex beneficium, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri (1). » Si autem ad congruam sustentationem beneficiati expediret superaddere alterum beneficium simplex, indultum S. Pontificis necessarium foret.

Secundo, si quis plures habet ecclesias, quarum una ab altera pendeat, ita ut una dicatur matrix, alia filialis.

Tertio, si obtineantur duo beneficia *difformia*, id est, habentia dispar, sed consociabile officium, v. g. parochia cum canonicatu.

Quarto, præterea, Sedes Apostolica, cujus solius est in aliis casibus dispensationem concedere, justis de causis plura beneficia etiam incompatibilia ab uno clerico haberi interdum permittit.

2. *Incompatibilia* sunt tum beneficia quæ residentiam requirunt, v. g. episcopatus, parochiæ, canonicatus in diversis ecclesiis; tum beneficia uniformia sub eodem tecto, v. g. duo canonicatus in eadem ecclesia, quibus ab eodem obtentis minueretur cultus divinus (2).

Compatibilitas beneficiorum per se est contra mentem fundatorum, reducit numerum officiorum spiritualium et clericorum, et consequenter cultui divino detrahit; ideo habetur ut odiosa, et stricte interpretanda est.

ARTICULUS IV

DE VACATIONE BENEFICIORUM (3)

Agendum venit : 1° de modis amittendi beneficia ; — 2° de observandis, vacante beneficio.

§ 1. — *De modis amittendi beneficia.*

Beneficia vacant, quando suo rectore seu beneficiato destituuntur, sicut vacare dicuntur bona quæ hæredem vel possessorem non habent. Vacant vero vel beneficiatorum *libera voluntate*, vel *invitis possessoribus*.

I. — De libera vacatione beneficiorum.

Libera beneficiorum vacatio habetur dimissione, vel permutatione, vel translatione.

1. — *De dimissione* (4).

788. — I. *Illius notio et species.* — Dimissio, quæ dicitur etiam renuntiatio, resignatio, et cessio, est spontanea et libera beneficii abdicatio, ex justa causa facta, coram legitimo superiore eam acceptante. — Vide supra, n. 326.

Est *tacita* vel *expressa*. Tacita est, cum beneficium non dimittitur verbis aut scripto, sed facto ex quo jus inducit renuntiationem, v. g. si clericus beneficiatus contrahat matrimonium, si fiat miles, si solemniter religionem profiteatur, si beneficium incompatibile obtineat.

Expressa est, cum voluntas dimittendi verbis aut scripto declaratur; quæ iterum potest esse, vel *pura* seu simplex et absoluta, vel *conditio-*

(1) Conc. Tridentinum, sess. XXIV, cap. XVII, *de Ref.* — (2) Zallinger, lib. III, tit. V, *de Præbendis.* — (3) S. Alph., lib. IV, 133-136. — (4) *Decretalium* lib. I. tit. IX, *de Renuntiatione.*

nalis. (Stylo curiæ, dimissio absoluta dicitur *renuntiatio;* dimissio sub conditione pensionis, *renuntiatio sub modo*; et dimissio in favorem certæ personæ, *resignatio*).

789. — II. *Conditiones requisitæ ut valida sit dimissio spectant beneficia dimittenda, dimittentes, causas et formam dimissionis.*

1. *Quænam beneficia dimitti possunt?* — Omnia beneficia (imo dignitas papalis) resignari possunt, nisi specialiter sint excepta. Ratio est, quia quilibet juri proprio renuntiare potest. Attamen, discrimen faciendum est inter beneficia; nam resignationes beneficiorum simplicium facile admittuntur, difficilius resignationes parochiarum, difficillime resignationes sedium episcopalium.

Excipiuntur beneficia *litigiosa*, nisi in gratiam collitigantis fiat renuntiatio; beneficia ad quorum *titulum* aliquis ordinatus est, nisi aliunde habeat honestam et tutam sustentationem; tandem beneficia quibus possessores *ipso jure* privati existunt, vel quæ habent sine titulo canonico, cum objecto careat cessio juris jam amissi vel nondum acquisiti.

2. *Quinam beneficia sua dimittere possunt?* — Regulariter possunt omnes qui specialiter a jure non prohibentur.

Prohibentur autem: — 1. furiosi, et generatim quicumque sunt deliberationis incapaces; — 2. clerici constituti in sacris ordinibus, qui non habent aliunde necessaria ad suam sustentationem; — 3. novitii, nisi duobus mensibus ante professionem; — 4. criminosi qui ob crimen ipso jure privati sunt suo beneficio; — 5. infirmi, qui valide non renuntiant in favorem tertii, nisi post renuntiationem supervivant viginti dies completos. Ratio hoc posterius statuendi fuit gravissima, ut scilicet impedirentur hereditariæ successiones in beneficiis.

3. *Justæ causæ dimissionis.* — Cum beneficiis annexa sint munera publica, non pro arbitrio clericus susceptum beneficium dimittere potest, quia ista libertas cederet in detrimentum Ecclesiæ. Igitur resignatio fieri debet ex justa causa, qualitati beneficii proportionata.

Sex causæ ad episcopatuum resignationem ab Innocentio III admissæ sunt: conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum et irregularitas personæ; quæ notis versiculis sic exprimuntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Ad renuntiandum beneficiis inferioribus sufficiunt causæ minores (1).

4. *Ad formam dimissionis* quod attinet, *primo* requiritur libertas, atque irrita est renuntiatio extorta vi, fraude aut metu. *Secundo*, requiritur actus publicus, ut fraudes vitentur. *Tertio*, renuntiatio fieri debet pure et absolute, seu procul ab omni specie simoniæ et a conditionibus prohibitis in jure.

(1) S. Cong. Conc. (17 jan. 1892) declaravit Episcopos posse præcepto et censuris cogere etiam vicarios curatos, œconomos et capellanos, ut persistant in suo officio, quoties ex officii dimissione grave detrimentum curæ animarum sit obventurum; item, gravi urgente necessitate, ad tempus compellere sacerdotes otiosos et idoneos ad suscipiendam ecclesiarum curam; sed Episcoporum esse sollicite providere de idoneo successore, præsertim cum rationabili de causa dimissio expostulatur.

Conditionalis renuntiatio alia omnino vetatur, alia nonnisi cum consensu superioris fieri potest. Omnino prohibetur reservatio *accessus*, *ingressus* aut *regressus* ; id est, si quis beneficium sibi solummodo oblatum, v. g. ob ætatis incapacitatem, vel jam collatum sine reali ingressu, vel jam possessum, ea conditione resignet, ut certo tempore ad illud *accedere*, vel *ingredi*, vel *regredi* possit (1).

Romanus Pontifex solus admittit renuntiationes conditionatas sive in favorem tertii, sive cum reservatione pensionis perpetuæ ; Episcopus tamen constituit pensionem ad tempus, v. g. ad vitam resignantis aut beneficiati gravati, quæ certe non est perpetua (2).

5. *Auctoritas superioris* ecclesiastici necessaria est ad renuntiandum beneficio. Etenim, per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur ; igitur, sicut nemo potest beneficium sine consensu superioris acquirere, ita nec dimittere.

Episcopus admittit renuntiationes inferiorum beneficiorum simpliciter factas ; Summus Pontifex cæteras omnes.

790. — III. *Effectus dimissionis* a superiore acceptatæ sunt : 1° ut beneficium censeatur vacare, et resignans in illo jus amittat ; attamen conditionalis renuntiatio effectum suum non consequitur ante eventum condi tionis. — 2° Ut renuntianti ad idem beneficium non detur regressus, nisi ex novo titulo et nova collatione, quam renuntians acceptare regulariter non prohibetur.

2. — *De permutatione* (3).

791. — Renuntiationi sub conditione factæ accedit beneficiorum permutatio, quæ translationi etiam affinis est.

Definitur : mutua beneficiorum dimissio, sub conditione quod quilibet resignans alterius resignantis beneficium consequatur. Licita et valida est, si interveniat auctoritas superioris, et justa habeatur causa.

1. Uterque resignans suum beneficium debet resignare in manus superioris cui beneficium est subjectum, qui beneficia sic resignata permutando conferat ipsis permutantibus ; quamvis enim permutantes possint inter se convenire de permutatione facienda, tamen hoc negotium concludunt conditionate tantum, nempe, si placuerit superiori ; ita ut, si privata auctoritate permutationem faciant inter se, non solum irrita sit talis permutatio, sed permutantes per sententiam judicis privari possint beneficiis suis.

2. Debet permutatio fieri ex causa justa et a superiore probata, scilicet, in Ecclesiæ commodum, vel saltem in utilitatem permutantium talem, ut cedat in ipsius Ecclesiæ utilitatem, quæ est finis primarius cujuslibet collationis beneficii. « Si Episcopus, ait Urbanus III, causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uni loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere. » (Decretalium lib. III, tit. 19. c. v.).

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, *de Ref.*, cap. VII. — (2) Ferraris, verbo *Pensio*. — (3) *Decretalium* lib. III, tit. XIX, *de Permutatione*.

3. — *De translatione* (1).

792. — *Illius notio.* — Translatio est mutatio clerici ab una ecclesia ad aliam, superioris auctoritate ob utilitatem aut necessitatem facta, ita ut solvatur prius vinculum et novum inducatur. Spectatur tum in Episcopis, tum in beneficiatis inferioribus.

Episcoporum translationes improbant antiqui canones; sed hoc intelligendum est, nisi justa adsit causa. Non enim desunt exempla Episcoporum pietate et doctrina præstantium, qui olim ob utilitatem Ecclesiæ ad alium episcopatum translati sunt; nunc vero longe frequentior evasit hæc praxis, annuente S. Sede.

793. — II. *Conditiones requisitæ ad validam translationem :*

1. Requiritur *justa causa*, quæ est necessitas vel utilitas Ecclesiæ. Beneficiatus transfertur utilitatis causa, si alterius Ecclesiæ regimini utilior judicetur; causa necessitatis, si ipse populo suo in odium acerbum venerit.

2. Requiritur *auctoritas* legitimi superioris. Beneficiatos minores transferendi potestas penes Ordinarium est; sed translationes Episcoporum numerantur inter causas majores S. Pontifici reservatas.

3. Translatio fit cum consensu illius qui transferendus est. Ad Episcopos quod attinet, Summus Pontifex potest quidem vinculum cum priori Ecclesia ex causa gravi, etiam invito Episcopo, dissolvere; sed, ut translatus alteri Ecclesiæ alligetur, illius consensu opus est. Quando publicum Ecclesiæ bonum ejusmodi translationem exigit, translatus tenetur consentire, et, si nolit, pœnis compelli potest ut consentiat (2). Attamen, juxta vigentem disciplinam, translationes non fiunt, nisi prævia scientia et consensu Episcopi qui ab una ad aliam Ecclesiam est transferendus (3).

Intuitu beneficiorum minorum, distinguendum est inter beneficiatos proprie dictos et illos qui beneficium non obtinuerunt in titulum stricte perpetuum, quales sunt succursalistæ in Gallia et in Belgio. Episcopus, nisi causa canonica urgeat et servetur processus juridicus, nonnisi volentes transferre valet beneficiatos primi generis; parochi vero amovibiles transferuntur etiam inviti, ob bonum diœcesis, absque judicii forma.

II. — De necessaria vacatione beneficiorum (4).

794. — Beneficia quælibet vacant sine culpa et sententia judicis etiam mere declaratoria, non solum morte, sed etiam adeptione beneficii incompatibilis, matrimonio aut professione religiosa solemni. Insuper, juxta canones, amittuntur sive ob crimina enormia, propter quæ privatio beneficiorum ipso facto incurritur: sive ob crimina minus gravia, propter quæ pœna privationis non infligitur nisi post sententiam judicis.

I. Hæc sunt clericorum delicta, propter quæ beneficia ipso jure amittuntur : apostasia, hæresis, simonia confidentialis, percussio Cardinalium et Episcoporum, homicidium mandatum, falsificatio litterarum apostolicarum, duellum, injusta bonorum ecclesiæ occupatio, procuratio abortus fœtus animati et sodomiæ iteratio infanda.

(1) *Decretal.* lib. I, tit. VII, *de Translatione.* — (2) Schmalzgrueber, tit. *de Translatione.* — (3) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. XIII, cap. XVI. — (4) Berardi, *de Beneficiis*, dissert. VII.

II. Privationi beneficii quam jus non pronuntiat ipso facto incurrendam, sed comminatur a judice infligendam, obnoxii sunt : non residentes post prævias monitiones; non suscipientes intra annum ordines a beneficio requisitos; contumaciter omittentes clericalis habitus gestationem; insordescentes in excommunicatione vel suspensione; irregulares; inhoneste vitæ dediti; sæcularibus negotiis incumbentes, ita ut sui gradus sint immemores. — Sub una serie comprehendi nequeunt crimina quæ hanc pœnam merentur; sed prudenti Episcoporum arbitrio reservatum est ut, si quando clerici vel officio suo non fungantur, vel gravioris culpæ rei redarguantur, pro ratione delicti et contumaciæ pœnas exasperare possint usque ad beneficii privationem.

Aliquando privationem beneficii comitatur aut sequitur depositio aut degradatio.

795. — III. Magnum discrimen existit inter privationem ipso jure latam, et privationem sententia judicis inferendam; nam, privatio ipso jure inflicta non indiget sententia judicis condemnatoria, ut beneficii titulum adimat; et quamvis hujusmodi pœna sententiam criminis *declaratoriam* plerumque requirat, nempe, quoties delictum non est per se satis notorium, hæc sententia retrotrahitur, nec pœnam proprie infligit, sed declarat factum ex quo beneficii privatio inducta est. Propterea beneficium vacat a die patrati criminis, et fructus postea percepti sunt restituendi.

Dissimiles sunt effectus alterius privationis; nimirum, ipsa privatio per sententiam judicis infligenda vacationem beneficii non inducit, nisi sententia condemnatoria in rem judicatam transierit. Imo, si pœnam privationis jus quidem non statuerit, sed arbitrio judicis reliquerit, judex, si velit, abstinere potest a privatione beneficii, aliamque mitiorem pœnam infligere.

§ 2. — *De observandis, vacante beneficio.*

796. — Beneficiis vacantibus duplex sollicitudo impenditur, videlicet, ut interim a vicario peragantur munera spiritualia, et simul ab œconomo temporalium administratio geratur. Ad utrumque munus ut plurimum unus idemque deputatur.

I. *Ad munus spirituale* quod attinet, sede episcopali vacante, administratio diœcesis capitulo cathedrali et ejus vicario committitur.

Quoad parochias, ex decreto Concilii Tridentini, Episcopus, habita notitia vacationis cujusdam ecclesiæ parochialis, idoneum in ea vicarium seu administratorem cum assignatione portionis fructuum constituit (1).

797. — II. *De fructibus* tempore vacationis obvenientibus tria quæruntur :

1. *Quousque beneficiatus translatus possit fructus prioris ecclesiæ percipere ?*

Episcopo translato licet reditus prioris ecclesiæ percipere, donec suæ translationis testimonium accipiat; et beneficiati minores percipiunt fructus prioris tituli, quousque possessionem novi beneficii inierint.

(1) Sess. XXIV, *de Reformatione*, cap. XVIII.

2. *Ad quos pertineant fructus beneficii, tempore vacationis ?*

Fructus beneficii vacantis ex lege generali pertinent ad cameram apostolicam *de Spoliis*. « Ubi non est usus *Spolii*, ait S. Alphonsus (lib. VII, nº 181), citans Bonacina et Salmanticenses, fructus beneficii vacantis spectant ad successorem. » Indultis autem singularibus aut consuetudine aliquando conceditur illos impendi in utilitatem Ecclesiæ.

3. *Quomodo fructus beneficii sint dividendi inter priorem titularem et ejus successorem ?*

Duplici ratione dividi possunt : vel prædecessor retinet solum fructus perceptos, et fructus nondum percepti pertinent ad successorem; vel fructus pendentes dividuntur pro rata parte temporis quo uterque possedit beneficium intra annum, deductis expensis. Iste posterior modus generaliter servatur in Gallia.

CAPUT IV

DE FABRICIS

798. — Postquam beneficia instituta, iisque bona propria fuerunt attributa, ecclesiæ seu ædes sacræ obtinuerunt facultates a bonis beneficii sejunctas, quæ peculium ecclesiæ vel bona *fabricæ* vocantur, eo quod regulariter ad solos sumptus ædificii ac supellectilis sacræ sustinendos destinantur; ipsaque ecclesia, quatenus persona civilis et dominii temporalis capax, nomine *Fabricæ* vulgo designatur.

Inquirendum venit : — 1º a quibus personis bona ecclesiarum administrentur; — 2º quinam tenendus sit modus administrandi ecclesiæ peculium.

ARTICULUS I

DE PERSONIS A QUIBUS BONA ECCLESIARUM ADMINISTRANTUR

799. — I. Peculii ecclesiæ administratio primum ad ejusdem ecclesiæ rectorem unice spectabat, qui tamen Episcopo rationem reddere debebat. Paulatim tamen factum est, ut parochis pro ejusmodi administratione alii inferiores curatores e plebe suæ parochiæ adjungerentur. Hi adjutores dicti sunt *matricularii*, *mamburni*, æditui, provisores, operatores ecclesiarum; eorumque cœtus cum præside parocho nuncupatur *Consilium fabricæ*, vel *Fabrica*.

II. Quamvis jure communi non fuerit constitutum hujusmodi regimen bonorum parochialium, canonibus tamen non adversatur viris laicis committi temporalem parochiarum administrationem, dummodo ab Ecclesia deputentur, eique rationem reddant, et ab illa valeant revocari. Etenim matricularii sic constituti administrant non ex jure proprio, neque ex delegatione potestatis civilis, sed ex mandato Ecclesiæ, cujus est bona sua administrare juxta modum sibi bene visum. Id licitum esse constat his verbis Conc. Tridentini : « Administratores, tam ecclesiastici quam laici, fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ Montis Pietatis, et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis

Ordinario..., nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset... Si aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius ; et aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur (1). »

III. Eo sensu intellecta matriculariorum institutio, sicut canonibus consona, ita et rectoribus ecclesiarum dupliciter utilis esse potest :

1. Apud populum spargi solent sinistræ suspiciones, ne forte parochus dilapidet vel in proprios usus convertat quæ reficiendæ fabricæ addicenda sunt. Ad arcendas ejusmodi suspiciones, nihil magis aptum est quam deputare quosdam loci præcipuos cives, qui simul cum parocho de his omnibus deliberent atque decernant.

2. Dum ad solvendum adigendi sunt ecclesiæ parochialis debitores, vel ineundi contractus, v. g. locationis, venditionis, emptionis, decet et expedit illud non ab ipso rectore fieri, sed a deputatis laicis. Imo merito existimatur matricularios in hunc finem institutos fuisse.

IV. Cavent Concilia ne his laicis solis officium fabricæ seu procuratio ecclesiæ committatur, absque parocho velut principali administratore, vel civilis potestas absque Ecclesiæ consensu in eam se ingerat. Unde libertati et independentiæ Ecclesiæ repugnat illa quarumdam legum civilium dispositio, per quam tota fabricarum administratio sive magistratibus politicis, sive deputatis ex communitate concreditur aut subjicitur.

In antiquis temporibus, nullum reperitur vestigium administratæ rei temporalis ecclesiarum a viris laicis, nomine potestatis sæcularis. Id evenit in Gallia, quando ista potestas in hac re, sicut in tot aliis, propriam Ecclesiæ jurisdictionem invasit aut perturbavit, etiam post Concordatum anni 1801, quo asseritur liberum religionis catholicæ exercitium. In hunc finem Napoleo edidit decretum 30 Dec. 1809, cui stare cogit ineluctabilis necessitas, etiam in his quæ dissentiunt a sacris canonibus (2).

ARTICULUS I

DE MODO ADMINISTRANDI ECCLESIÆ PECULIUM

800. — Inferiorum administratorum munus est generatim bonis fabricæ tuendis, servandis, augendis, riteque impendendis curam dare, et regulas canonicas ipsorum officia respicientes atque mandata Episcopi observare, neglectis regulis juris civilis, nisi eas approbaverit vel saltem toleret auctoritas ecclesiastica.

In specie debent sequentia præstare :

I. *Inventarium* omnium bonorum ecclesiæ summa cura conficere, cum sedula mutationum contingentium adnotatione, ne quidquam amittatur aut negligatur (3).

II. *Armarium* fideliter custodire sub duabus vel tribus diversis clavibus, quarum una apud parochum, alia vel aliæ apud matricularios maneant. Ibi asservantur pecuniæ residuæ, exceptis quæ pro occurrentibus expen-

(1) Sess. XXII, cap. IX ; et XXIV, c. III, *de Reform.* — (2) Brabandere, *Juris canonici comp.*, n. 945-1184. — (3) Decretum Concilii Viennensis, relatum in cap. *Qui contingit, de Relig. dom.*, in Clement. — Sixti V const. *Provida* (1586).

sis quotidianis necessariæ videntur, syngraphæ, inventaria, litteræ fundationum, rationaria jam censuræ subjecta, aliaque majoris momenti instrumenta.

III. *Proventus* et *impensas* procurare, quod proprie matriculariorum est munus.

1. Ad *proventus* quod attinet, non est permittendum ut usuræ ex elocatis pecuniis debitæ, aliæque præstationes, ultra spatium ab Ordinario determinatum procrastinentur ; secus, executio judicialis imploranda est.

2. *Impensæ*, ex reditibus tantum faciendæ, salva semper peculii ecclesiastici substantia, contineri debent intra fines legitimos, nempe, onera fundationum, sumptus pro cultu divino et ædium conservatione ac reparatione necessarios, stipendia clericorum, remunerationes quotannis pendendas ; non autem licet res extraordinarias aggredi, nisi postulata Episcopi licentia. Inducere novas expensas annuatim faciendas, administratoribus vel omnino prohibitum est, vel usque ad certam summam tantummodo conceditur.

IV. Pecunias acceptas, si ad notabilem summam pertingant, confestim fenori dare cum cautionibus, v. g. emptione syngraphæ publicæ.

V. De acceptis et expensis fabricæ *librum rationum* quotannis conficere, cui singuli subscribunt. Hæ rationes, ab Ecclesiæ administratoribus examinatæ, ad Episcopum mittuntur revisendæ et approbandæ.

IV. Denique curatoribus incumbit defensio fabricæ. Attamen litem de juribus ecclesiæ movere non licet, nisi obtenta Ordinarii facultate.

TITULUS II

De mediis quibus ordo in Ecclesia reparatur, seu de judiciis.

Media quibus Ecclesia ordinem læsum reparat, reducuntur ad exercitium potestatis *judicandi* et *puniendi*, quæ ipsi competit. Hinc duplex tractatus :

Tractatus I. De exercitio potestatis judicandi.

Tractatus II. De exercitio potestatis puniendi.

TRACTATUS I

DE EXERCITIO POTESTATIS JUDICANDI

Exponentur : 1° notio judiciorum ; — 2° competentia fori ecclesiastici ; — 3° ordo servandus in judiciis ; — 4° remedia canonica adversus sententiam judicis.

CAPUT I

NOTIO JUDICIORUM

801. — I. *Judiciorum definitio.* — Judicium definiri solet : *legitima causæ inter actorem et reum controversæ discussio et definitio per judicem.* In hac notione tria insunt : 1° causa, tanquam *objectum* judicii

2° tres *personæ* distinctæ et necessariæ, nempe, actor, reus et judex; 3° legitima causæ discussio et definitio, tanquam *forma* judicii (1).

Ex definitione infertur discrimen quod existit inter judicium, quæstionem, causam, litem et instantiam. — Etenim, *judicii* nomine venit controversiæ in judicium deductæ tota discussio, quæ durat a citatione usque ad sententiam. — *Quæstio* est ipsa res seu jus controversum, quod in judicium deduci potest. — *Causa* est idem jus actu deductum in judicium. — *Lis* est actio qua res controversa in judicium deducitur. — *Instantia* denique est exercitium actionis judicialis (2); quæ totuplex esse potest quot sunt gradus judicum subordinati, si a primo ad ultimum procedatur.

802. — II. *Judiciorum origo.* — Judicia substantialiter sunt juris naturalis, juris vero humani formaliter seu quoad solemnitates. *Pars prima* resultat ex conditione humani generis lapsi, vi cujus sæpe evenit ut duo inter se contendant de jure dubio; itaque opus fuit ut esset qui ortas hujusmodi controversias solveret, et cuique jus suum tribueret. Hoc autem fieri non poterat ab ipsis partibus; nihil enim rectæ rationi magis repugnat, quam judicare in propria causa. Necesse igitur fuit ut auctoritate publica constitueretur tribunal, in quo dubia juris dirimerentur. *Pars secunda* patet ex solemnitatibus judiciorum, quas jure civili inventas, et jure canonico ad forum ecclesiasticum translatas esse constat ex documentis historicis.

Jamvero juris naturalis sunt petitio actoris, citatio rei, probatio causæ, ejusdem defensio, et sententiæ pronuntiatio; nam hæc ad substantiam judicii pertinent, et talia sunt ut sine illis causa recte decidi nequeat. Cætera sunt juris positivi humani, quia non pertinent ab substantiam, sed solemnitatem mere accidentalem sapiunt.

Ex quo sequitur: 1° Summum principem posse, omissis solemnitatibus, vel per seipsum sola facti veritate inspecta causam judicare, vel alicui causam ita delegare, ut eam dirimat sine figura judicii; — 2° in nullo judicio, etiam summario, omitti posse ea quæ dicuntur substantia judiciorum; nam hæc sunt juris naturalis, contra quod nulla potestas aut consuetudo prævalere potest (3).

803. — III. *Judiciorum variæ sunt species*, ratione *causæ efficientis*, *materiæ*, *formæ* et *finis*.

1. Ratione *causæ efficientis*, judicium dividitur in *ecclesiasticum* et *sæculare*. Illud a judice ecclesiastico, istud a judice laico instituitur.

2. Ratione materiæ, judicium distinguitur in *spirituale* et *temporale*, prout versatur circa rem spiritualem sive ab intrinseco, ut est sacramentum, sive ab extrinseca deputatione, ut est beneficium, vel circa rem profanam. Judicium *spirituale* differt ab *ecclesiastico*, sicut species a genere, quia in ecclesiastico agi possunt etiam causæ profanæ clericorum. Temporale autem differt a *sæculari*, sicut genus a specie, cum causa temporalis etiam coram judice ecclesiastico discuti valeat, v. g. circa fundum, censum, etc., inter clericos contendentes.

Ratione materiæ, judicium est etiam *petitorium* vel *possessorium*,

(1) Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, lib. I, tit. I. — (2) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. II, tit. *de Judiciis*. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. I.

prout versatur circa rei dominium, vel circa illius possessionem et usum.

3. Ratione *formæ*, aliud est judicium *ordinarium* seu *plenarium* et *solemne*, in quo omnes juris solemnitates observantur; aliud est judicium *summarium* seu *extraordinarium*, *de plano* et *œconomicum*, in quo, sola rei veritate attenta, simpliciter sine strepitu judicii solemnis proceditur, servatis tamen conditionibus quæ jure naturali requiruntur.

Processus summarius instituitur sive ob causas urgentes, quæ celerem expeditionem postulant; sive ob causas modicas, in quibus de parvo damno agitur (1); sive ex speciali dispositione juris, v. g. apud Congregationes romanas, apud Regulares. — V. infra, n. 856.

4. Ratione *finis*, judicium dividitur in *criminale*, *civile* et *mixtum*. Judicium criminale est illud in quo de delictis agitur criminaliter seu ad vindictam publicam. Civile est illud in quo dirimitur quælibet alia causa. Mixtum est illud in quo agitatur causa criminalis simul et civilis, v. g. furtum, ratione delicti et restitutionis.

804. — IV. *Personæ ad judicium concurrentes* sunt vel *necessariæ*, vel *auxiliares*.

1° *Necessariæ* sunt tres personæ ad judicium constituendum, nempe, *judex*, *actor* et *reus*.

Judex (quasi *jus dicens*) est persona publica, instructa potestate causam controversam cognoscendi, et sententiam secundum jus proferendi. Unde prorsus distinguitur ab *arbitris*, qui libere ab ipsis partibus constituuntur ad aliquam litem terminandam. — Ratione jurisdictionis, judex ecclesiasticus est ordinarius vel delegatus, superior vel inferior.

Actor (a verbo *agere*) est qui actionem proponit, et prior ad judicium provocat. In causis criminalibus dicitur *accusator*, cujus vicem sæpe supplent indicia criminis aut fama; vel *Procurator fiscalis*, qui ex officio in crimina inquirit.

Reus, ita dictus a *re* controversa, ille est qui ab actore in judicium legitime provocatus, ejus actionem propulsando se defendit (2).

805. — 2° *Auxiliares* personæ, seu minus principaliter in judicio intervenientes, spectari possunt vel *in genere*, vel *in specie* quoad *curiam episcopalem*.

1. *Personæ auxiliares* in genere sunt duplicis generis : aliquæ interveniunt ad juvandum judicem, aliæ ad juvandos litigantes.

Porro judicem adjuvant : *consultando*, *auditores* seu referendarii, et *assessores* seu consiliarii; acta judicii *scribendo*, *notarii*, qui vocantur etiam *scribæ publici*, *actuarii*, *tabelliones*, *protocollistæ*; *exequendo* quod judex imperat, *nuntii judiciales*, qui appellantur etiam *apparitores*, *cursores*, *pedelli* (3).

Ad juvandos litigantes interveniunt *advocati*, *procuratores* et *testes*. Etenim actor et reus possunt aut per semetipsos aut per procuratores judicium exercere. Procuratores autem vel in judicio pro aliis postulant, et *advocati* dicuntur; vel negotia clientis administrant, et *procuratores*

(1) Clem. *Sæpe contingit*, tit. *de Verborum significatione*. — (2) Pirhing, *Jus canonicum*, lib. II, tit. I. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. I.

proprie appellantur. Quamobrem advocatus et procurator in eo differunt, quod prior in judicio patrocinium clientis suscipit, causam secundum jura defendendo; procurator autem, nomine litigantis agens, factum exponit. Advocatus, cum munere publico et honorabili fungatur, tribus dotibus præstare debet, nempe, juris peritia, probitate et diligentia; munus vero procuratoris est privatum (1).

2. *Curia episcopalis* est collegium personarum quibus Episcopus utitur ad exercendam sive jurisdictionem generatim, sive potissimum potestatem judiciariam.

Varia fuit illius forma. Prioribus quinque sæculis, Episcopi judicium exercebant cum consilio clericorum. Eorum vice postea archidiaconi justitiam reddiderunt, primum ex potestate delegata et revocabili, deinde ex potestate ordinaria et officio perpetuo. Vicariis generalibus in locum archidiaconorum substitutis, pro tribunali sedit Officialis, ad nutum Episcopi revocabilis. Sed institutio Vicariorum generalium seu Officialium non impedit quominus Episcopi valeant per semetipsos, si maluerint, potestatem judicandi exercere (2).

Præter notarios, cursores et apparitores, ministri tribunalis episcopalis sunt *auditores*, *assessores*, *promotor* seu *procurator fiscalis*, et *advocatus fiscalis*.

Duplex distinguitur genus auditorum : alii sunt judices proprie dicti, v. g. *auditor Cameræ apostolicæ* et *auditores Rotæ*; alii vero deputantur tantum ad cognoscendas et discutiendas causas. Unde a judicibus ordinariis differunt curiarum episcopalium auditores seu relatores, quibus causa examinanda committitur, ita ut negotium judici exponant decidendum. Eis similes esse videntur *referendarii* qui in majoribus tribunalibus principum adhibentur. Illorum constitutio, cum in jure non præcipiatur, ab arbitrio Episcoporum pendet (3).

Assessores, ab *assidendo* dicti, in hunc finem assumuntur ut judici assideant, eumque consiliis adjuvent; unde etiam *consiliarii* vocantur. Ex jure communi, assessores nullam habent jurisdictionem; jure tamen particulari valet Episcopus collegiale tribunal constituere, et Officiali assessores assignare quorum consilia sequatur. An autem id expediat, a circumstantiis regionum et temporum pendere videtur (4). Igitur errant qui putant officialitatem Episcopi componi posse et debere pluribus judicibus perpetuis.

Promotor causas publicas ad communem Ecclesiæ utilitatem spectantes suscipit, illasque coram judice ex officio prosequitur; unde non solum est quodammodo advocatus, sed etiam actor, potissimum in causis criminalibus. Quapropter ipsius est disciplinæ observantiam promovere, de delictis occurrentibus inquirere, delinquentes ad judicium trahere et sententiam requirere. Constituitur, ne judex simul actor esse videatur. Nisi constitueretur in qualibet curia episcopali, plurima orirentur incom-

(1) *Decretalium* lib. I, tit. XXXVII, *de Postulando*; tit. XXXVIII, *de Procuratoribus*. — (2) Thomassin., *Vetus et nova Eccl. disciplina*, pars I, lib. XII, c. XVII. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. II. — (4) In diœcesibus pontificiæ ditionis, ab anno 1831 statutum est ut *tribunal criminale Ordinario et quatuor aliis judicibus constet.*

moda, siquidem causæ criminales non possent, servatis ordinarii judicii solemnitatibus, regulariter expediri (1).

Promotorem adjuvare potest *advocatus fiscalis*, sic dictus e fisco seu ærario, quo metaphorice designatur bonum publicum.

CAPUT II

COMPETENTIA FORI ECCLESIASTICI

Definiendum venit : 1° quodnam sit objectum potestatis judiciariæ Ecclesiæ (cujus existentia demonstrata est, n. 117-125) ? — 2° undenam dignoscatur competentia fori singulorum judicum ?

ARTICULUS I

OBJECTUM POTESTATIS JUDICIARIÆ ECCLESIÆ

806. — Hujusmodi objectum spectatur vel *in genere*, vel *in specie*.

I. *In genere* duobus principiis determinatur :

1. *Objectum generale potestatis judiciariæ Ecclesiæ sunt omnes causæ ecclesiasticæ*. Probatur 1° *auctoritate*. « Negotia ecclesiastica, ait Vigilius Papa, Episcoporum judicio reservata sunt, idque juxta ecclesiasticum morem, juxta paternas traditiones, juxta auctoritatem evangelicæ apostolicæque doctrinæ (2). »

Probatur 2° *ratione*. Causæ ecclesiasticæ sunt quæ circa Ecclesiæ negotia versantur, ad ejus finem ducunt, inter ejus media computantur. Atqui Ecclesia pleno jure seipsam regit. Ergo ad illam spectat proprias causas judicare.

2. *Ad forum ecclesiasticum pertinent causæ quas Ecclesia sibi subjacere declaravit*. Ratio est, quia Ecclesia, cum sit infallibilis, non potest aliquid erroneum per disciplinam generalem decernere.

807. — II. *Ad objectum speciale* potestatis judiciariæ Ecclesiæ referuntur plurimæ causæ.

1. *Causæ spirituales* exclusive ab Ecclesia dirimuntur. Etenim, in omnibus quæ fidei doctrinam, mores, sacramenta, divinum cultum aut ecclesiasticam disciplinam spectant, omnis potestas judicandi Ecclesiæ a Christo tradita fuit (3).

2. *Causæ matrimoniales* ipsum matrimonium christianorum spectantes ad forum ecclesiasticum pertinent. Ratio est, quia matrimonium a Christo elevatum est ad dignitatem sacramenti. Hinc canon Conc. Tridentini : « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit (4). »

3. Ratione sui, *causæ beneficiales*, quoniam spiritualibus accensentur, foro ecclesiastico addictæ sunt. Etenim res temporalis desinit esse talis, cum fuit annexa spirituali. Præterea, beneficia pendent ab auctoritate spirituali, quæ illa instituit (5).

4. Ratione personarum, solus Ordinarius est judex competens in quibus-

(1) Bouix, *de Judiciis*, pars II, cap. XIV. — (2) Vigilii epist. 15. — (3) Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. III, tit. IV. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXIV, can. XII. — (5) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. II.

libet *causis clericorum*, nempe, in causis de illorum vita, institutis, immunitate, et criminibus. Ideo Pius IX damnavit sequentem propositionem : « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede (1). »

Potest tamen S. Pontifex clericorum exemptionem a jurisdictione sæculari quoad quosdam clericos et quasdam causas revocare. (Cf. n. 283, 943 et 944.)

ARTICULUS II

COMPETENTIA FORI SINGULORUM JUDICUM

808. — Competentiam fori et judicis faciunt tum *natura causæ* quæ in controversiam adducitur, tum *qualitas personæ* quæ in jus vocatur.

I. Ratione causæ, forum competens duplici regula cognoscitur :

1. Compertum est omnes causas ecclesiasticas ad tribunal Ecclesiæ pertinere. Causæ autem ecclesiasticæ dividuntur in majores et communes. Jamvero *causæ majores*, quarum nomine omnia negotia gravioris momenti intelliguntur, ad Sedem Apostolicam referuntur.

2. Præter causas majores, causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes in *prima instantia* coram proprio Ordinario judicantur ; in *secunda instantia*, si a sententia Ordinarii appelletur, coram tribunali metropolitano ; in *tertia* et *quarta*, coram Primate et Patriarcha, ubi hi gradus sunt constituti ; in *ultima* coram S. Pontifice.

809. — II. Ratione personarum quæ in judicium vocantur, distinguendæ sunt causæ Episcoporum et clericorum.

1. Ad Episcopos quod attinet, ipsorum causæ ex jure communi antiquo ad synodum provincialem aut ad Metropolitam deferebantur. At Concilium Tridentinum causas ipsorum criminales graviores S. Pontifici reservavit, leviores vero synodo provinciali judicandas reliquit.

2. Causæ clericorum ab Ordinario judicantur ; nec ipsis licet privilegio fori renuntiare, vel in se prorogare jurisdictionem Episcopi alieni, nisi proprius consenserit.

Episcopus autem seu Ordinarius proprius quoad judicia dicitur : 1° Episcopus *domicilii*, seu judex loci in quo clericus reus habitat cum animo ibidem permanendi ; — 2° Episcopus *contractus*, sive judex loci ubi contractus initus est ; — 3° Episcopus *rei sitæ*, sive judex loci ubi res controversa sita est ; — 4° Episcopus *delicti*, seu judex loci ubi delictum commissum est (2).

CAPUT III

ORDO SERVANDUS IN JUDICIIS (3)

810. — Judicia ordinatim procedere debent, ut sententia vim consequatur. Jamvero *processus* appellatur ordo seu idonea dispositio actorum

(1) Pii IX *Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores*, 31. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. II, *de Foro competenti*. — (3) Cf. Lega, *Prælectiones in textum juris canonici de judiciis ecclesiasticis* (1898).

judicialium secundum formam quam leges constituerunt. Diversa præscripta servari debent, prout de *processu civili*, vel de *processu criminali* agitur. Duplex igitur erit articulus.

ARTICULUS I

DE PROCESSU CIVILI

Tres sunt judiciorum partes, videlicet : 1° initium, quo *introducitur* causa; 2° medium, quo *instruitur;* 3° finis, quo *dirimitur*.

§ 1. — *De introductione causæ.*

Ad introductionem causæ referuntur : — 1° libellus et citatio; — 2° exceptiones et mutuæ petitiones; — 3° ordo cognitionum.

I. — De libello, citatione et contumacia (1).

811. — *Libellus* est brevis scriptura, continens claram actoris intentionem. Tribus partibus constat, nempe, *narratione* facti, *medio* concludendi, et ipsa *petitione*. Narrationi præmittitur nomen commune judicis, et nomen proprium actoris et rei. Medium concludendi est causa propter quam fit petitio. Conclusio est ipsa petitio actoris, qua exponit judici quid sibi tribui velit.

Regulariter libellus in processus aditu requiritur, excepto tamen processu summario.

812. — II. *Citationis* notio, necessitas, species, executio et effectus.

1. Oblationem libelli sequitur *citatio*, quæ definitur : *actus judicialis, quo reus mandato judicis in judicium vocatur*. Illius auctoritas derivatur ex potestate judicis in citatum. Proinde, si manifesta sit incompetentia judicis, reus comparere non cogitur.

2. Necessitas citationis constat etiam ex jure naturali, quod vetat damnari aliquem qui auditus ac defensus non sit ; unde axioma : *Audiatur et altera pars*. Igitur citatio ad substantiam judicii spectat, ejusque omissio est defectus insanabilis, quo judicium redditur pleno jure nullum.

3. Citatio distinguitur in *realem* et *verbalem*. Citatio *realis*, qua personæ apprehenduntur, locum non habet in judicio civili, nisi adversus suspectos de fuga. Citatio *verbalis* fit verbis vel litteris per nuntium, et subdivitur in *privatam* et *publicam*. Citatio *privata* fit in faciem rei, vel ad ejus domum, vel apud illius procuratorem ; *publica* fit voce præconis, vel per edictum publice affixum, quando accessus ad personam rei non est facilis, vel tutus.

Alia est citatio *simplex*, alia *peremptoria*. Per *simplicem* citationem reus in judicium vocatur intra certum dierum terminum ; quo elapso, citatus non fit tamen contumax, nisi tribus distinctis vicibus vocatus non comparuerit. *Peremptoria* est quæ pro tribus citationibus emittitur, et necessitatem comparendi ita imponit ut, si ad constitutum diem citatus non comparuerit, contumax habeatur.

(1) *Decretalium* lib. II, tit. III, *de Libelli oblatione.*

4. Executio citationis duabus partibus constat, nempe, tenore scripti seu verborum quibus instrumentum conficitur, deinde transmissione instrumenti per publicum apparitorem facta.

In decreto citatorio exprimuntur : nomen judicis, actoris et rei ; causa saltem in genere ; locus et dies judicii.

5. Citationis plures sunt effectus : 1° *relate ad citatum*, obligatio comparendi ; 2° *relate ad actorem*, obligatio prosequendi litem coram judice citante ; 3° *relate ad judicem*, prœventio adversus alios judices pariter competentes ; 4° *relate ad causam*, interruptio præscriptionis et litis pendentia, qua durante nihil innovari potest (1).

813. — III. *Contumacia*, *a contemnendo* dicta, est inobedientia erga judicem. Unde contumax dicitur qui a judice vocatus in judicium venire contempsit, cum nullo justo impedimento detineretur ; vel veniens judici parere recusavit ; vel sine judicis venia susceptum judicium deseruit.

Duplex autem contumacia distinguitur, nempe, *vera* et *ficta*. Prior adest, cum quis legitime citatus judicis mandato non obtemperat. Posterior vero, dum aliquis in judicium vocatus dolo latitat, et impedit quominus citatio ad eum perveniat.

Tam actor quam reus contumax esse potest ; aliis vero pœnis uterque coercetur ante vel post litem contestatam.

1. Si *actor* sit contumax ante litem contestatam, condemnatur ad expensas, nec ad aliam citationem admittetur, nisi præstita cautione comparendi. Si vero post litis contestationem abfuerit, contra ipsum sententiam fertur, vel saltem reus a judicio absolvitur, actore in expensas condemnato.

2. Si *reus* sit contumax ante litem contestatam, actor mittitur in possessionem, rei servandæ causa. Lite autem contestata, vel ad sententiam definitivam proceditur, vel actori possessio adjudicatur, salva semper rei dominii lite. Sed in causis beneficialibus, propter rei contumaciam actor in possessionem non mittitur, ne vitiosus in beneficia ingressus inde oriatur.

Adversus contumaces constitutæ sunt aliæ pœnæ, quarum unam aut alteram judex infligit. Tales sunt mulcta pecuniaria et censuræ, quæ tamen non adhibentur, nisi cum contumaces prioribus pœnis coerceri nequeunt (2).

II. — De exceptionibus et mutuis petitionibus.

814. — I. Exceptio definitur : *actionis exclusio*, qua reus actionem contra se institutam vel retardat, vel penitus elidit. Exceptiones igitur sunt arma seu allegationes rationum, quibus reus se adversus actorem defendit.

1. Dividuntur in *dilatorias* et *peremptorias*.

Exceptiones *dilatoriæ* seu temporales dicuntur illæ quæ actionem non omnino perimunt, sed tantum differunt ad tempus. Etiam istæ sunt diversi generis ; nam respiciunt vel *judicem*, v. g. exceptio judicis incom-

(1) Schmalzgrueber, Pirhing, Maschat, Giraldi, ad tit. III, lib. II *Decretalium*. — (2) *Decretalium* lib. III, tit. XIV, *de Dolo et Contumacia*.

petentis aut suspecti ; vel *actorem*, quia non habet legitimam personam standi in judicio, v. g. ob excommunicationem vel minoritatem ; vel *ipsam causam*, v. g. exceptio petitionis ante diem, termini nimis angusti, loci non tuti.

Ex peremptoriis exceptionibus, aliæ *simpliciter peremptoriæ*, aliæ *litis finitæ* nominantur. Prioris generis exceptiones non impediunt quidem ingressum litis, sed actionem institutam evertunt, v. g. exceptio doli, metus, præscriptionis. Posterioris generis seu litis finitæ dicuntur exceptiones quæ non solum actionem excludunt, sed etiam impediunt quominus novum judicium instituatur, v. g. exceptio rei judicatæ, transactionis.

2. *Regulæ de opponendis exceptionibus.* — *Regula 1ª*. Defensionis facultas nemini adimenda est, nam jure naturali nititur ; et quisque potest seipsum defendere, vel defensorem adhibere clericum aut laicum ex approbatis ab Ordinario. Imo defensor ex officio assignatur ei qui non potest, vel non vult se defendere.

Regula 2ª. Exceptiones dilatoriæ inter exordia litis proponendæ sunt, nisi postea suboriantur vel innotescant.

Regula 3ª. Nihil obstat quin reus pluribus defensionibus utatur.

Regula 4ª. Reus exceptione quasi actor efficitur. Propterea, sicut onus probandi actori incumbit, ita et reus exceptionem suam probare debet. Si tamen in probatione deficiat, non ideo statim actor vincit, antequam actionem suam probaverit ; nam reus exceptionem objiciens non censetur confiteri, si rejiciatur exceptio (1).

815. — II. Reo non tantum competit jus directe causam suam defendendi, sed etiam postulandi a judice ut sibi contra actorem justitia exhibeatur ; quod fit *mutuis petitionibus*.

Mutua petitio seu reconventio *est actus quo reus, viso actoris libello, eumdem constituit reum, et vicissim aliquid ab eo petit coram eodem judice ac in eodem judicio.*

Jus reconventionis nititur æquitate, cum ejus finis sit compensatio. Itaque in causis in quibus compensatio locum non habet, mutua petitio proponi nequit. Hujusmodi sunt causæ criminales.

Mutuæ petitionis duplex est effectus : prior est *prorogatio jurisdictionis*, ita ut judex ab actore recusari non possit ; alter est *processus simultaneus*, ita ut actio et reconventio eadem sententia terminentur (2).

816. — III. *Replicationes* sunt media quibus actor conatur exceptionem tollere. Sicut enim reus exceptione utitur ad actionem elidendam, ita licitum est actori suam actionem replicationibus confirmare.

Reus semper ultimus est in respondendo. Actoris replicationem excludit rei *duplicatio*, hanc *triplicatio* actoris, eamque rei *quadruplicatio*, et sic deinceps in jure romano « multiplicantur nomina, dum aut reus aut actor objicit. »

Verum in foro ecclesiastico duplicationibus aut triplicationibus vix locus est ; nam judex eis modum imponit, ne judicia frustra protrahantur (3).

(1) *Decretalium* lib. II, tit. XXV, *de Exceptionibus.* — (2) *Decretalium* lib. II, tit. IV, *de Mutuis petitionibus.* — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XXV.

I. — De ordine cognitionum.

817. — Ordo cognitionum est ordo servandus a judice in examine plurium quæstionum quæ in eodem judicio concurrunt inter easdem personas.

I. *Regulæ generales* hujus ordinis tres numerantur :

Regula 1ª. Quoties in eodem judicio plures causæ concurrunt, primum illa cognoscitur ex qua pendet altera.

Regula 2ª. Si neutra causa pendeat ab altera, et utraque sit principalis, prius proposita prius quoque tractanda est.

Regula 3ª. Si concurrat causa major cum minori, causa dignior prius cognoscenda est.

818. — II. *Consectaria*. — 1. Si causa *criminalis* et civilis concurrant, criminalis tanquam majoris momenti ante civilem absolvitur; nam spectat bonum publicum.

2. Quæstio *præjudicialis*, id est, e cujus decisione pendet decisio alterius, prius definienda est, quia sententia de quæstione præjudiciali ostendit quid in causa principali pronuntiari debeat, v. g. prius tractanda est causa legitimæ nativitatis quam hæreditatis.

Pariter de exceptionibus a reo propositis prius agendum est quam de causa principali; nam exceptio peremptoria jus actoris perimit, dilatoria vero retardat judicium.

3. Exceptionibus peremptoriis et dilatoriis affines sunt quæstiones *incidentes* et *emergentes;* unde axioma : *Incidens quæstio perimit, emergens differt.*

Incidens quæstio dicitur quæ ante judicium inchoatum originem habet, seu causam principalem attingit, qualis est exceptio consanguinitatis in causa matrimoniali. Quæstio *emergens* vocatur quæ in ipso judicio orta est et ejus ordinem respicit, v. g. an iste testis sit recipiendus ?

4. Quæstiones *præparatoriæ* definiuntur etiam ante alias. Ita dicuntur causæ quarum decisio faciliorem reddit decisionem alterius, v. g. quæstio de jure proprietatis prærequirit præparatoriam de possessione; nam inde intelligitur utri incumbat onus probandi (1).

§ 2. — *De instructione causæ.*

Instructio causæ complectitur : — 1° contestationem litis et juramentum calumniæ ; — 2° probationes.

I. — De contestatione litis et juramento calumniæ.

819. — I. *Litis contestatio*, quæ judicii principium est, fit per affirmationem actoris et rei contradictionem, animo litigandi. Illius nomen derivatur ex antiquo jure romano.

Cum causa dirimi non possit, nisi constet in quo petitioni actoris contradicat reus, propterea regulariter requiritur litis contestatio. Ante illam, testes non recipiuntur, neque alia probatio admittitur, nisi aliud

(1) *Decretalium* lib. II, tit. X, *de Ordine cognitionum*.

exigat vel natura causæ, vel periculum amittendæ probationis. Expressa et solemnis contestatio non requiritur in judiciis summariis.

Hi sunt contestationis effectus : dat initium judicio ; quasi contractum perficit inter litigantes, ita ut neuter, altero invito, recedere possit ; perimit potestatem recusandi judicis, nisi postea causa suspicionis superveniat ; præscriptionem interrumpit (1).

820. — II. *Juramentum calumniæ* vitandæ introductum est ut religione, cujus juramentum est actus, fraudes a judiciis arcerentur. Illius objectum, necessitatem et effectus declarare oportet.

1. Juramenti objectum quinque capitulis comprehenditur : litigantes enim jurant quod se bonam causam habere credant ; quod interrogati verum sint responsuri ; quod falsa probatione non utantur ; quod nihil dederint aut promiserint corrumpendi causa ; quod dilationes non postulent in fraudem, animo scilicet differendi judicium. Istud juramentum, cum universam litem spectet, semel tantum præstatur ; ab eo igitur differt speciale juramentum *veritatis* vel *malitiæ*, quod altera pars exigere potest, quoties judex fraudis suspicionem admittit.

2. Jure canonico, juramentum ad substantiam ordinis judicialis non pertinet ; sed judex potest regulariter illud in omnibus causis exigere. Si non petatur, impune omittitur, neque propterea judicium irritum est. At petitum omnino præstandum est ; et, si litigantes illud subire recusent, actor quidem causa cadet, reus vero pro confesso habebitur.

3. Effectus præstiti juramenti est ut calumniæ suspicionem removeat, donec de ea manifeste constet (2).

II. — De probationibus.

821. — I. *Probatio in genere* est *actus judicialis quo apud judicem ab actore vel reo fit fides facti dubii.*

Dicendum est : 1° qualis sit forma probationis ; 2° quis obligetur ad probandum ; 3° quodnam sit objectum probationis ; 4° quotuplex sit illius species et effectus.

1. *Forma probationis* consistit in legitimis actibus a jure ad probandum requisitis. Probatio fit judici, præsente adversario, et notario qui probationes in scriptum redigat. Debet esse clara, conformis libello, et ita ordinata ut actor prius probet suam intentionem, deinde reus in suis exceptionibus audiatur. Institui debet intra terminum a judice assignatum.

2. Multum interest in litigando *quis teneatur probare*. Regulariter asserentis est probare ; hinc, quia actor plerumque affirmat, actoris est probare, ita ut, eo non probante, reus sit absolvendus, etsi nihil præstiterit. Hæc regula duplicem exceptionem habet, nempe, onus probandi reo incumbit, si reus aliquid asserat, vel si præsumptio juris stet pro actore.

3. *Objectum probationis*. Probari debent res ad causam pertinentes, nam rejicitur quod ad eam nihil momenti habet ; facta dubia, non vero

(1) *Decretalium* lib. II, tit. V, *de Litis contestatione*. — (2) *Ibid.*, tit. VII, *de Juramento calumniæ*.

notoria ; non ea quæ juris sunt, quæ judici perspecta censentur, nisi sint specialia, v. g. privilegia.

4. Probatio judicialis dividitur in *plenam* et *semiplenam*. Plena probatio tantam fidem facit judici, ut sufficiat ad decisionem causæ, v. g. depositio concordans plurium testium omni exceptione majorum, id est, contra quos nulla exceptio seu motivum recusationis proferri potuit. Probatio semiplena fidem aliquam facit, non eam tamen quæ ad litem finiendam sufficiat, v. g. dictum unius testis.

Effectus plenæ probationis est ut judex secundum illam ferat sententiam. Exceptis causis criminalibus, matrimonialibus et arduis, duæ probationes semiplenæ possunt plenam probationem facere (1).

822. — II. Variæ sunt species probationis plenæ, nempe, *confessio*, *inspectio ocularis*, *testes*, *instrumenta*, *præsumptio* et *jusjurandum*.

1. *Confessio* primum locum inter plenas probationes sibi vindicat, cum nulla sit plenior probatio, quam ea quæ a proprii oris confessione procedit. Definitur : *asseveratio ejus quod ab adversario intenditur*.

Dividitur in *judicialem* et *extrajudicialem*. Confessio extrajudicialis plenam probationem non constituit, nisi coram adversario et idoneis testibus emissa sit. Judicialis autem confessio summam vim habet, ita ut reus se sua sententia damnasse videatur. Sed, ut valeat, fieri debet a majorenni, coram judice competente, ex certa scientia et plena libertate (2).

Ad veritatem e confessione litigantium eruendam, a Decretalibus inductæ sunt *positiones* seu articuli præcipua judicii capita determinantes ; iis constitutis, ea tantum probanda supersunt quæ negaverit adversarius. — *Interrogatoria*, quibus confessioni sternitur via, sunt quæstiones quas judex, vel ex officio vel ad instantiam partis, proponit reo et testibus. Qui respondere recusat pro confesso habetur, si causa criminalis non fuerit (3).

823. — 2. Ubi res confessione non constat, veritas aliis probationibus exquiritur.

Inspectio ocularis est probatio lato sensu accepta, qua judici veritas fit perspecta per ipsam intuitionem rei dubiæ oculis subjectæ. Ei locus est in rebus quæ sub oculos cadunt, v. g. in causa vulnerationis, in judicio limitum parochiæ, in quibusdam causis matrimonialibus. Instituitur autem, præmissa causæ cognitione, præsentibus partibus et aliis personis necessariis (4).

824. — 3. *Testes* sunt personæ fide dignæ, quæ veritatem rei controversæ ostendunt ; quod ab eis dictum est, testimonium appellatur. Omnis quæstio de testibus ad tria capita facile reducitur, videlicet, ad eorum *numerum*, *qualitatem et examen* (5).

Quod attinet ad numerum, generatim duo saltem testes idonei et concordes requiruntur et sufficiunt, nisi canones majorem numerum requi-

(1) *Decretalium* lib. II, tit. XIX, *de Probationibus*. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. XVIII, *de Confessis*. — (3) *Ibid*. — (4) — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XIX — (5) S. Alph., lib. IV, 255-271.

rant, ut in causis contra Episcopos. Uni tamen testi credendum est in causis quæ nemini præjudicium afferunt, v. g. an defunctus fuerit baptizatus.

Omnes admitti possunt quibus non interdicitur testimonium. Jamvero pro omnibus causis rejiciuntur qui laborant defectu vel ætatis, vel rationis, vel probitatis. — Testes esse prohibentur minores in causa criminali, clerici vero in causa sanguinis. — Pro certis personis testimonium ferre nequeunt parentes et liberi, consanguinei et affines, familiares et domestici. — Contra certas personas testimonium dicere prohibentur specialiter conjuncti, v. g. liberi contra parentes, fratres contra fratres, conjux contra conjugem, socius contra socium criminis, inimicus adversus inimicum, infideles contra christianos, laicus contra clericum in causa criminali, nisi testes clerici haberi nequeant.

Forma examinandorum testium consistit in tribus, nempe, in iis quæ eorum depositionem antecedunt, comitantur et sequuntur. Præcedit illorum productio, citatio et juramentum fideliter respondendi propositis interrogatoriis. — A judice vel assessore ab eo delegato examinantur seu interrogantur seorsim, regulariter in loco judicii ; testimonia proferunt clare, juxta interrogationem et viva voce ; a notario ipsa verba testium annotantur. — Examine peracto, testimonia recepta publicantur et litigantibus ostenduntur, ut si quid habeant opponendum possint proferre (1).

825. — 4. *Instrumenta* dicuntur scripturæ ad probandum idoneæ. Sunt publicæ, vel privatæ. Publicæ a persona publica secundum legitimam formam conficiuntur, v. g. instrumenta a notario rite confecta, acta judicialia, scripturæ sigillo Episcopi obsignatæ, libri parochiales. Privatæ scripturæ a privatis personis scribuntur, v. g. epistolæ, chirographa.

Jam vero publica instrumenta fidem plenam faciunt, donec probetur contrarium ; nam pro veritate instrumenti militat duplex præsumptio, altera ex auctoritate publica scribentis, altera ex solemnitatibus legitimis, quæ suspicionem fraudis removent. Requiruntur autem scripturæ genuinæ, legitimæ et autographæ. Genuinæ intelliguntur quæ non sunt suppositæ neque falsæ. Legitimæ dicuntur quæ secundum leges confectæ sunt, nam actus ex defectu formæ substantialis a legibus requisitæ corruit. Desiderantur autographæ seu originales ; etenim exemplo non facile creditur, nisi per publicam personam ex originali desumptum fuerit, et cum illo probe conveniat (2).

Scriptura privata cujus veritas comperta est, contra scribentem probat. Regulariter nihil probat pro scribente ; excipiuntur tamen libri mercatorum ratione sociorum, et scriptura privata tribus testibus munita.

826. — 5. *Præsumptio* est *conjectura rationabilis super re dubia, proveniens ex indiciis frequenter connexis cum veritate rei.* — Dividitur in præsumptionem *legis* et præsumptionem *hominis*

Prior a lege procedit, quatenus in canonibus exprimitur. Ipsa dividitur in *præsumptionem juris tantum*, et in *præsumptionem juris et de jure.*

Præsumptio *juris tantum* est quæ a legibus ita probatur, ut vim plenæ

(1) *Decretalium* lib. II, tit. XX, *de Testibus et Attestationibus.* — (2) *Ibid.*, tit. XXII, *de Fide instrumentorum.*

probationis habeat, donec contrarium demonstretur; v. g. ex possessione præsumitur rem esse possidentis, donec contrarium demonstretur; filius e matre conjugata natus præsumitur legitimus. Præsumptio *juris et de jure* est quæ a lege ita confirmatur, ut non modo vim plenæ probationis habeat, sed regulariter contrariam probationem non admittat; sic cohabitatio diutina et fama de matrimonio contracto probant matrimonium (1).

Præsumptio *hominis* est conjectura quam judex colligit ex circumstantiis. Dividitur in *levem*, *probabilem* et *violentam*. Præsumptio levis seu suspicio nihil probat. Præsumptio probabilis seu gravis, ex gravibus indiciis orta, semiplenam fidem facit. Præsumptio violenta seu vehemens et gravissima, ex indiciis veritati proximis nascitur, et plene probat, siquidem moraliter non relinquit dubium; ideo Salomon puerum adjudicavit mulieri quæ illius divisionem gladio abhorrebat. Plus præstat in causis civilibus quam in criminalibus; ratio est, quia pœna, præsertim capitalis, non est infligenda nisi propter delictum omnino certum (2).

827. — 6. *Jusjurandum* est *invocatio divini nominis in testimonium*, vel ad veritatem asserendam, vel ad promissionem firmandam. Licitum est, si habeat tres comites, nempe, veritatem, judicium et justitiam. Ubi per exposita probationum genera veritas comperta non fuerit, generatim adhiberi potest juramentum in causis civilibus; non item in criminalibus, propter metum perjurii; nec in matrimonialibus quoad vinculum, quæ nunquam transeunt in rem judicatam; nec in causis jurisdictionis, de qua non licet possessori quidquam dimittere.

Dividitur in *assertorium* et *promissorium*. Juramentum assertorium, quo lites dirimuntur, est vel *extrajudiciale*, vel *judiciale*. Extrajudiciale rem componit per modum transactionis; judiciale vero duplex est, nempe, *voluntarium* vel *necessarium*. Utrumque, scilicet, voluntarium, quod in judicio alter alteri offert, et necessarium, quod ab ipso judice actori vel reo defertur, vocatur tum *suppletorium*, quia defectum probationis supplet, tum *litis decisorium*, quia lis pro jurante finitur. Quando vero destruit præsumptionem inductam contra aliquem, dicitur *purgatorium*.

Juramentum defertur ei qui semiplene probavit; sed, si reus pariter et actor semiplene probaverint, deferendum est reo, cujus causa in dubiis potior habetur. Litigantes oblatum juramentum recusare non possunt, nisi justam habeant recusandi causam, v. g. si deferatur reo contra quem nihil probavit actor, aut actori qui plenam probationem attulit (3). Si quis illud præstare recuset, contra eum pronuntiatur sententia.

§ 3. — *De sententia.*

Sententia est tertia judicii pars, quam breviter exponemus, dicendo: — 1. de conclusione in causa; — 2. de ipsa sententia proferenda; — 3. de re judicata; — 4. de executione sententiæ.

I. — De conclusione in causa.

828. — 1. Sententiam regulariter præcedit *conclusio in causa*, qua vel

(1) Decret. Greg. lib. II, tit. XXIII, *de Præsumptionibus*, cap. XI. — (2) *Ibid.*, cap. XIV. — (3) *Decretalium* lib. II, tit. XXIV, *de Jurejurando*.

litigantes ulterioribus probationibus renuntiant, vel judex, si jura partium explorata habeat, causam ex officio conclusam decernit. Quamvis illa non sit de substantia processus judicialis, observari tamen solet iste modus concludendi : finitis allegationibus et responsionibus, judex interrogat partes an quid ultra afferre velint. Si nihil habeant allegandum, jubet fieri conclusionem in causa. Si vero una pars non renuntiet ulterioribus probationibus, judex illi præfigit sufficientem dilationem temporis; quo elapso, causa ipso facto conclusa censetur.

829. — II. De conclusione in causa duo sunt animadvertenda :

1. Ista conclusio efficit ut acta judicialia claudantur, nec novæ probationes admittantur, nisi quid inopinatum emergat, vel agatur de causis criminalibus, matrimonialibus, et similibus, in quibus est periculum animæ, et ideo non excluduntur ulteriores probationes.

2. Conclusio in causa partibus præjudicat, non judici ; proinde, quoties judici legitima ratio videbitur, probationem admittere poterit (1).

II. — De sententia proferenda (2).

830. — Sententia est *pronuntiatio judicis, qua judicialis controversia definitur*. Illius species et forma exponendæ sunt.

I. *Species.* — Sententia dividitur in *definitivam* et *interlocutoriam*.

1. Sententia *definitiva*, cui præit aliquando præparatoria, est ea quæ causam principalem in judicium deductam dirimit, vel absolvendo, vel condemnando, vel declarando.

In causis civilibus, sententia est *absolutoria* vel *condemnatoria*, quia reum absolvit vel damnat simpliciter. In causis criminalibus, triplex distinguitur ; nam, præter absolutionem et sententiam condemnatoriam, habetur sententia *declaratoria* criminis, qua judex declarat reum incidisse ipso facto in pœnam jure statutam. Condemnatoria vim habet a die qua fertur ; declaratoria vero retrotrahitur ad diem delicti commissi.

2. Sententia *interlocutoria* super articulo incidenti profertur, inter principium et finem causæ. Duplex est : alia *simplex*, quæ non officit causæ principali, qualis est interlocutio super testibus producendis ; alia *mixta* seu media, quæ vim definitivæ habet. Quamvis sententia mixta causam principalem expresse non decidat, illam tamen indirecte perimit, ita ut post illam alia definitiva non exspectetur, v. g. si judex pronuntiet se esse incompetentem, vel exceptionem peremptoriam admittat, puta legitimæ præscriptionis, vel erroris circa personam rei.

3. Interlocutoriæ affinis est sententia *provisionalis*, qua judex nondum valens controversiam definire in re quæ dilationem non patitur, præsenti necessitati *providet*, v. g. si agatur de pecunia aut animalibus tuto collocandis et conservandis, de alimentis, de reparatione ecclesiæ ruinam minitantis.

831. — II. *Forma sententiæ* est *intrinseca* et *extrinseca*.

Ad *formam intrinsecam* requiritur : 1° ut sententia sit justa seu con-

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XXVII. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. XXVII, *de Sententia et Re judicata*. — S. Alph., lib. IV, 205-217

formis juri, cujus sola applicatio judici relinquitur ; 2° ut attingat illud quod in judicio discussum est ; 3° ut sit certa et absoluta.

De *solemnitatibus extrinsecis* sancitum est : 1° ut sententia feratur utraque parte præsente, vel saltem citata ; 2° ut scripta sit, et feratur a judice sedente pro tribunali ; 3° ut feratur in loco publico tribunalis. Episcopus autem judicare et sententias ferre potest in quolibet loco non exempto suæ diœcesis.

III. — De re judicata (1).

832. — I. Res, per sententiam decisa revocabiliter, transit in *rem judicatam* irrevocabiliter, si intra decem dies a sententia non appelletur. Tunc sententiam firmam effici et pro veritate accipi statutum est propter rerum judicatarum auctoritatem, et quia victus non appellando saltem tacite acquiescit pronuntiationi judicis.

833. — II. Dantur tamen casus in quibus sententia vim rei judicatæ non obtinet, etsi appellatum non fuerit. In iis casibus causa denuo tractari potest, et sententia recte revocatur.

Hujusmodi sunt : 1. sententiæ de validitate vel invaliditate matrimonii, ordinationis aut professionis religiosæ pronuntiantes, si deinde probationes offerantur ; nam his quæ sunt juris divini nulla voluntas humana derogare potest (2).

2. Causæ censurarum et sententiæ criminales ; reus enim semper audiendus est, si velit innocentiam probare.

3. Sententiæ quæ manifestam iniquitatem continent, v. g. sententia ex falsis testimoniis pronuntiata ; item sententiæ quæ insanabili nullitate laborant, quia dictæ sunt vel a judice non competente, vel non servato substantiali ordine processus.

834. — III. Effectus rei judicatæ respiciunt judicem, litigantes et ipsam causam.

1. Ex parte judicis, vis rei judicatæ generatim in eo sita est ut sententia regulariter nequeat retractari ab eodem judice, nisi sit judex supremus, vel sententia sit ipso jure nulla.

2. Res judicata facit jus inter litigantes ; etenim, nisi intra decem dies appellatum fuerit, sententia fit definitiva.

3. Ex parte causæ, lis finitur per sententiam definitivam ; unde reo absoluto competit exceptio rei judicatæ, et reo condemnato in delictis famosis irrogatur infamia juris.

IV. — De executione sententiæ (3).

835. — Sententia, postquam in rem judicatam transiit, executioni mandanda est, cum vanum sit sententias dicere, nisi executioni demandentur. Executio definitur : *actus jurisdictionis, quo realiter præstatur id quod verbaliter per sententiam decretum est.*

Sententiam exequitur ipse judex qui eam dixit, modo plenam jurisdic-

(1) *Decretalium* lib. II, tit. XXVII, *de Sententia et Re judicata*. — S. Alph., lib. IV, 205-217. — (2) Benedicti XIV constitutio *Dei miseratione*. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XXVII.

tionem habeat. Ratio est, quia per executionem victus ad parendum sententiæ cogitur; nemo autem sine jurisdictione aliquem cogere potest. Hinc judex ordinarius et judex a Summo Pontifice delegatus sententiam suam ipsi exequuntur; at cæteri delegati probabiliter non habent jus exequendi, quo certe carent arbitri, eo quod potestas coactiva illis non confertur. Unde illorum sententia est exequenda a judice ordinario qui eos delegavit ad judicandum. Si executio facienda sit in alterius judicis territorio, huic mittuntur *litteræ requisitoriæ*, quarum vi constituitur *nudus executor* sententiæ. Unde nequit de meritis ipsius causæ cognoscere, sed exclusive de exceptione nullitatis sententiæ et aliis quæ directe opponuntur contra ipsam executionem.

Quædam sententiæ nulla executione indigent, quia per seipsas producunt suum effectum, in privatione alicujus boni consistentem. Tales sunt sententiæ quibus fertur censura aut inducitur aliqua inhabilitas.

836. — II. *Ad tempus executionis* quod attinet, distinguitur inter causas criminales et civiles.

In causis criminalibus, lex et humanitas postulant ut qui sontes non sunt inventi, ocius absolvantur et dimittantur; lex etiam et publicum exemplum exigunt ut celeri pœna in reos animadvertatur. Attamen executio condemnatoriæ sententiæ, præsertim si pœna sit capitalis, tantisper differtur ut sonti locus maneat vel pœnam declinandi, v. g. implorando gratiam, vel se parandi ad vitam christiano fine claudendam.

In causis vero civilibus, si actio sit realis et res ipsa tradi possit, statim proceditur ad executionem. In actionibus personalibus et debitis, a jure conceduntur quatuor menses ad solvendum, nisi judex duxerit ex circumstantiis illud tempus abbreviare vel extendere.

Nunc fori usu receptum est ut, vel statim post emissam sententiam, vel post aliquot dies, vel etiam post longum tempus arbitrio judicis constitutum, expediantur *litteræ executoriales*, quarum vi inferiores ministri sententiam exequantur.

ARTICULUS II

DE PROCESSU CRIMINALI

In civili processu explanando, multa complexi sumus quæ pariter ad processum criminalem pertinent. Nunc ea prosequemur quæ solius criminalis processus propria sunt; quapropter dicemus : — 1° de modis quibus delicta in judicium deferuntur; — 2° de citatione et examine reorum.

§ 1. — *De modis quibus delicta in judicium deferuntur.*

Hi modi sunt : 1. Accusatio; — 2. denuntiatio; — 3. inquisitio.

I. — De accusatione (1).

837. — Etsi accusatio in plerisque locis videatur ab usu recessisse, forma tamen processus criminalis dignosci nequit, nisi comperta sit priscarum accusationum ratio, quæ in denuntiationem et inquisitionem translata est.

(1) *Decretalium* lib. V, tit. I, *de Accusationibus*. — S. Alph., lib. IV, 234 et seqq.

1. Accusatio est *solemnis delatio criminis, apud judicem competentem ad publicam vindictam facta.* Accusator vices actoris sustinere cogitur; unde accusatio differt a denuntiatione, quæ non imponit onus probandi.

Illius solemnitas sita est tum in *libello accusatorio*, qui exprimit nomen personæ accusatæ, et speciem delicti cum circumstantiis loci et temporis; tum in *præsentia personali* accusatoris, qui se inscribit in pœnam calumniatoris, si in probatione defecerit. Hæc tamen inscriptio sublata est, eique successit querela.

II. Ex accusationis forma et fine, intelligitur eam esse grave negotium, tam accusatori quam accusato molestum ac periculosum. Hinc jure tum civili tum canonico multi non admittebantur ad accusandum, v. g. inimici et cum accusandis cohabitantes.

Propter easdem difficultates, accusatio fere exolevit; supersunt vero denuntiatio et inquisitio.

II. — De denuntiatione (1).

838. — I. *Definitio et species.* — Denuntiatio definitur : *alicujus criminis manifestatio superiori facta, non assumpto probandi onere.* His ultimis verbis differt ab accusatione, ut supra notatum est.

Dividitur in *evangelicam*, *canonicam* et *judicialem*.

1. Denuntiatio *evangelica* est, quando, præmissa correctione fraterna et emendatione non secuta, delinquens apud superiorem tanquam patrem denuntiatur, ut emendetur. Hæc potissimum ad theologiam moralem pertinet.

2. *Canonica* denuntiatio, quæ certis in casibus per canones præscribitur, est delatio ad superiorem ecclesiasticum, ut per eum crimen, vel ejus iteratio, vel effectus impediantur. Huc pertinent banna matrimonii, proclamationes ordinum suscipiendorum, denuntiatio sollicitationis ad turpia.

3. Denuntiatio *judicialis* est ea per quam ad judicem crimen defertur. Loco accusationis habetur, et judici ad inquirendum viam sternit.

II. *Regulæ denuntiationis judicialis* respiciunt sive crimina denuntianda, sive effectus denuntiationis.

Judicialiter denuntiantur tum delicta notoria, tum delicta occulta quæ bono communi adversantur et probari possunt.

Ad effectus denuntiationis quod attinet, denuntians tenetur judici nominare testes et probationes, aut indicia criminis suggerere. Denuntiatione legitime facta, judex instituit inquisitionem specialem contra denuntiatum ; onus vero accusandi reos procuratoribus mandatur.

III. — De inquisitione (2).

839. — I. Inquisitio definitur : *legitima investigatio criminis et criminosi, per judicem competentem facta, vindictæ publicæ causa.* Hujus informationis duo sunt capita : 1° inquiritur an crimen sit patratum ; 2° a quo patratum fuerit.

Processus inquisitorius olim erat extraordinarius ; postea vero invaluit

(1) *Decretalium* lib. V, tit. I, *de Accusationibus et Denuntiationibus.* — S. Alph., lib. IV, 246-254. — (2) S. Alph., lib. IV. 197-201.

et transiit in remedium ordinarium. Ratio illum introducendi justa fuit, ne scilicet, deficientibus accusatoribus, crimina manerent impunita. Equidem sine accusatore nemo est condemnandus ; verum, in inquisitione fama supplet vicem accusatoris.

II. Inquisitio est *generalis*, vel *specialis*. Generalis est illa qua indeterminate inquiruntur delicta, vel solus auctor delicti certi. Specialis est ea qua determinate investigatur an talis persona talis delicti sit auctor.

1. Per *inquisitionem generalem* Prælatus investigat, prout contingit in visitationibus canonicis, an in diœcesi vel in monasteriis crimina quædam committantur, an disciplina ecclesiastica et regularis observetur. Ad illam fama delicti non prærequiritur ; cum enim de nemine in particulari quæratur, nulli fit injuria. A fortiori, rationabilis suspicio sufficit ut judex generaliter inquirat delinquentem, quando aliquod delictum certe patratum est.

In inquisitione generali, manifestantur tantum delicta notoria, vel occulta quidem, sed noxia communitati.

2. Ad *inquisitionem specialem*, qua judex in certam personam inquirit, duo exiguntur : 1° ut constet de corpore delicti ; 2° ut præcesserit infamia rei. « Sicut, ait Innoc. III, accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationem caritativa monitio, et inquisitionem clamosa insinuatio prævenire (1). »

Inquisitio specialis fit tribus modis, nempe, *ex officio* judicis, vel ad *querelam* alicujus offensi, vel ad *denuntiationem officialis* publici.

§ 2. — *De citatione et examine reorum.*

I. — De citatione reorum (2).

840. — Quoties de crimine constat, et indicia gravia suspectum commissi criminis aliquem faciunt, judicis est decernere utrum reus præsumptus simpliciter citandus sit, vel simul citandus et capiendus, ut in carceribus usque ad exitum judicii custodiatur.

Jamvero judex in decernenda citatione simplici, vel citatione simul et captura, debet duo diligenter perpendere, nempe, tum conditionem personæ, tum qualitatem et indicia criminis. Ubi levia sunt indicia criminis, præsertim si reus præsumptus bona existimatione potiatur, non est ad judicium per capturam pertrahendus. Captura vero decernitur, quando crimen est atrox, aut fuga timetur, aut reus in flagranti delicto deprehenditur.

II. — De examine reorum (3).

841. — I. *Norma procedendi in notorio vel flagranti crimine* (4). — 1. In crimine *notorio*, dummodo delictum fuerit perpetratum in loco publico, præsente populo, et illius notorietas probetur per testes, judex procedere potest sine ordine judiciario. Ratio est, quia ordo judiciarius solum introductus est ad criminis veritatem investigandam.

(1) *Decret.* lib. V, tit. I, c. XXIV. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. III, tit. V. — (3) S. Alph., lib. IV, 272-278. — (4) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*.

Si tamen reo competit aliqua defensio, citari debet ad se defendendum et ad sententiam audiendam.

Imo, cum multa dicantur notoria quæ non sunt, prudenter procedit judex qui etiam in notoriis regulas judiciorum observat.

2. Si crimen *flagrans*, id est, in ipso actu deprehensum, fuerit commissum coram judice, ad puniendum statim proceditur, eo quod aspectus judicis inducit ipsi evidentem probationem.

Si reus in flagranti crimine deprehensus, a ministris vel ab aliis ducatur ad judicem, scribitur eorum relatio et testes recipiuntur. Deinde reus examinatur: si fateatur delictum simpliciter, decernitur ei competens pœna; si defendat se excipiendo, datur ei terminus ad exceptionem probandam; si neget crimen, super deprehensione in flagranti delicto repetuntur testes, a quibus convictus condemnatur.

842. — II. *Examen reorum in judiciis ordinariis*. — Reus in judicio constitutus summario examini confestim subjici solet. Istud summarium examen viam præparat legitimo et ordinario examini, quod apud judicem pro tribunali sedentem instituitur.

Cum agatur de sententia condemnatoria ferenda, adhibetur diligentia multo major quam in causis civilibus; sed jure merito damnatur reus rite *confessus*, vel *convictus*.

843. — 1. *De confessione*, quæritur an reus judici legitime interroganti veritatem fateri teneatur. Judex autem interrogat legitime, dum contra reum adest semiplena probatio, vel diffamatio cum indiciis semiplenæ probationi æquivalentibus.

Profecto reus non tenetur fateri, si judex egrediatur limites suæ potestatis, v. g., si interroget reum de crimine, sine gravibus indiciis.

Ex communi sententia, reus legitime interrogatus tenetur delictum fateri, si ex confessione gravem pœnam non formidet.

Si vero judex legitime interroget in causis gravioribus, duplex est sententia. Alii cum S. Thoma dicunt reum tunc etiam teneri ad delicti confessionem. Ratio est, tum quia interest ne crimina maneant impunita, tum quia correlativæ sunt potestas judicis ad interrogandum et obligatio rei ad respondendum (1).

Alii vero satis probabiliter docent reum etiam legitime interrogatum nunquam sane mentiri posse, sed in causis capitalibus aut gravioribus absque culpa mortali tacere posse, vel interrogationes eludere, uno verbo, crimen suum non prodere, quoties sine mendacio id fieri licet, et adest spes evadendi pœnam, eo quod crimen nondum plene probatum sit, nullumque grave damnum societatis timeatur. Ratio est, quia præceptum humanum judicis non obligat cum tanto detrimento. Hæc sententia confessariis utilissima est, quando reus persuaderi nequit ut crimen ultro fateatur (2).

844. — 2. Condemnari potest reus convictus, etsi minime confessus. *Convictus* autem censetur qui manifestis probationibus crimen commisisse demonstratur.

(1) *Summa theologica*, 2ª-2æ, quæstio 69, a. 1. — Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. II, tit. XVIII, *de Confessis*. — (2) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XVIII.

Reo crimen negante, fieri dicitur *litis contestatio* inter illum et fiscum, atque ad probationes deveniendum est. In hunc finem recipiuntur testes, instrumenta et concurrentia indicia, ut legitime probetur num reus crimen perpetraverit. Igitur testes qui in processu informativo jam auditi sunt, inscio reo rursus examinantur, ut priorem depositionem confirment. Aliquando tamen fit *confrontatio*, seu depositionum renovatio coram reo, quasi fronte ad frontem, peragitur.

Terminus datur reo ad se defendendum ; ideo processus ei communicatur, ut inde possit capita suæ defensionis educere. Interea licet accusatori probationes suas augere, citatis aliis testibus ; quod dicitur processum *impinguare*. Pariter integrum est reo novas probationes exhibere, quibus innocentiam suam demonstret.

Cum hæc omnia utrinque expleta fuerunt, acta publicantur, et judicis est sententiam subinde pronuntiare. Ad condemnandum, requiritur probatio plenissima et luce meridiana clarior (1).

CAPUT IV

DE REMEDIIS CANONICIS CONTRA SENTENTIAM, SEU DE APPELLATIONE

Dicemus : 1° de notione appellationis ; — 2° de facultate appellandi ; — 3° de ordine appellationum ; — 4° de earum temporibus seu fatalibus.

ARTICULUS I

NOTIO APPELLATIONIS (2)

845. — I. Inter *remedia juris* contra sententiam vel gravamen e judicio ortum recensentur *recusatio* judicis, *appellatio* judicialis, *supplicatio* et *recursus*.

1. *Recusatio judicis* est declinatio ipsius tanquam suspecti. Sicut exceptio dilatoria, impedit ne judex processum prosequatur, donec resoluta fuerit quæstio de suspicione objecta.

2. *Appellatio judicialis* est *a judice inferiori ad superiorem facta provocatio, ut lata sententia revocetur*. Hujusmodi appellatio proprie dicta est species quædam defensionis a gravamine per injustam sententiam illato. Supponit judicium, cum interponatur adversus sententiam judicis inferioris.

3. *Supplicatione* petitur ut judex sententiam ex mera benignitate revideat, contra quam non competit ordinarium appellationis remedium. Plerumque fit ad tribunal supremum, a quo non licet appellare. Quando admittitur, habetur *Restitutio in integrum*, quæ definitur : *Extraordinarium juris remedium, quo graviter læsus ex naturali æquitate per officium judicis reducitur seu restituitur in pristinum statum ac jus, in quo erat ante læsionem* (3).

4. *Recursus* seu appellatio extrajudicialis est actus per quem subditus, læsus extrajudicialiter, v. g. ob suspensionem *ex informata conscientia*, recurrit ad superiorem. Recursus non supponit prævium judicium.

(1) Berardi, *Cammentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, dissert. I, cap. V. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. XXVIII, *de Appellationibus*. — (3) Ferraris, verbo *Restitutio*.

846. — II. *Origo et species appellationis judicialis.*

1. Ob triplicem causam remedium appellationis fuit introductum : vel ut removeatur gravamen inique oppressis illatum, vel ut judicantium iniquitas aut imperitia corrigatur, vel ut litigator, qui ex ignorantia aut negligentia jus suum non satis probavit, et sic per sententiam primæ instantiæ læsus est, in secunda instantia defectum reparare possit.

Appellatio, quatenus est innocentiæ præsidium, a jure naturali ducit originem quoad substantiam ; ad jus vero positivum pertinent regulæ quibus subjicitur.

2. *Variæ sunt appellationis species*, ex parte sententiæ contra quam interponitur, effectus ipsius, et rationum quibus innititur.

Sicut fertur sententia *interlocutaria* vel *definitiva*, ita distinguitur appellatio ab alterutra sententia. Ex Concilio Tridentino, a sententia interlocutoria non appellatur, nisi gravamen per appellationem a sententia definitiva reparari nequeat (1).

Ratione effectus, appellatio est *suspensiva* vel *devolutiva*. Prior suspendit jurisdictionem judicis inferioris, qui prohibetur exequi sententiam suam ; altera vero, dum causam devolvit ad judicem superiorem, non impedit executionem provisoriam sententiæ.

Respectu rationum quibus innititur, distinguitur appellatio *legitima* et *illigetima*. Appellatio legitima interjicitur ex rationabili causa. Appellatio illigetima dicitur *frivola*, si ex levi causa interponatur, v. g. ob errorem cognominis aut diei in citatione ; et *frustratoria*, si fiat tantum ad executionem protrahendam, v. g. donec reus puniri nequeat.

ARTICULUS II

DE FACULTATE APPELLANDI (2)

847. — I. *Quinam appellare possint, vel nequeant ?* — Regulariter appellare possunt qui se gravatos esse existimant ; proinde non solum ille contra quem sententia fertur, sed etiam omnes quorum interest sententiam revocari. Appellare tamen nequit ille qui sententiam expresse vel tacite approbavit, intra tempus concessum non appellando ; nec qui tribus conformibus sententiis damnatus est (3).

848. — II. *Quibus in causis detur vel non detur appellatio ?* — Regulariter in omnibus causis appellare licet. Appellatio tamen habetur ut *illegitima*, et ideo non admittitur in delictis notoriis, neque in causa illius qui simul confessus et convictus est, neque a sententia qua reus condemnatur ad pœnam lege definitam, neque in executionibus, modo executor non excedat limites mandati. — Clausula legis aut mandati, *omni appellatione remota*, removet quamlibet provocationem quæ a jure non indulgetur expresse (4).

849. — III. *In quibus causis appellatio non habeat effectum suspensivum ?* — Duo præsertim sunt causarum genera, in quibus appellatio non

(1) Sess. XIII, cap. I, *de Reform.* — Sess. XXIV, *de Reform.*, cap. XX. — (2) S. Alph., lib. IV, 285. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XXVIII. — (3) Decretal. lib. II, tit. XXVIII, cap. XXXIX et LXV — (4) Innoc. III Decretalis *Pastoralis*. — Schmalzgrueber, *de appellat.*, n. 30.

suspendit executionem sententiæ. Ad primum genus pertinent sententiæ quibus aliqua censura inflicta est; item causæ quæ curam animarum, cultum divinum aut correctionem morum spectant, cujusmodi sunt decreta Episcopi in visitatione diœcesis. Ad alterum genus pertinent tum causæ quæ moram non patiuntur, tum causæ judicandæ *appellatione remota* (1).

ARTICULUS III

ORDO APPELLATIONUM

850. — I. *A quo judice appelletur?* — Generatim appellare licet a quovis judice qui, relate ad causam controversam, habet superiorem.

A judice supremo nulla datur appellatio, cum is superiorem non recognoscat. Ratio est, quia inferior in superiorem non habet potestatem; itaque de substantia appellationis est, ut fiat ab inferiore ad superiorem.

Inde innotescunt judices a quibus appellatio non permittitur : 1. Ab ipso Papa non datur appellatio, nequidem ad concilium generale futurum ; imo sic appellantes ipso facto excommunicantur per Const. *Apostolicæ Sedis* (2). Opus est ergo supplicatione et restitutione in integrum, si sententia Rom. Pontificis in melius videatur reformanda.

2. Appellari non potest a sententia concilii generalis legitime congregati et capiti suo uniti ; ratio est, quia illius decreta vim habent ex confirmatione Rom. Pontificis.

3. Non appellatur a sententia totius collegii Cardinalium, aut Congregationum romanarum, neque ab ultima Rotæ romanæ sententia. Etenim, sicut non appellatur a Vicario generali ad Episcopum, quia Vicarius generalis constituit idem tribunal cum Episcopo; ita non appellatur a Congregationibus romanis, quia singulæ sunt tribunalia S. Pontificis per eas summam potestatem judiciariam exercentis. Verum obtineri potest beneficium novæ audientiæ, ut negotia contentiosa pluries examinentur ab eadem Congregatione, nisi decisio edita fuerit cum clausula : *et amplius* (causa non proponatur).

851. — II. *Ad quem judicem sit appellandum?* — Non solum appellandum est a judice inferiori ad superiorem, verum etiam, ne confusio in ecclesiasticis negotiis oriatur, jurisdictionis gradus custodiendi sunt. — Duplex hac de re regula statuitur :

1. Regulariter, appellatur gradatim ad superiorem immediatum, nempe a vicario foraneo, aliove judice subjecto Episcopo, ad Episcopum ; ab Episcopo vel Vicario generali successive ad Archiepiscopum, ad Primatem, ad Patriarcham, et tandem ad Sedem Apostolicam; tandem a delegato ad delegantem.

2. Ad Summum Pontificem, omissis judicibus intermediis, appellari potest. Etenim jus recipiendi quamlibet appellationem inhæret supremæ potestati, nec jus ab Ecclesia concessum Metropolitis detrahit potestati quam a Christo Summus Pontifex accepit (3).

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. III, tit. XV. — Bened. XIV, Const. *Ad militantis Ecclesiæ*. — Craisson, *Manuale*, n. 646. — Conc. Trid., passim. — (2) Const. *Apost. Sedis*, infra, n. 941, 999. — (3) Conc. Vatic. Sess. III, cap. 3.

ARTICULUS IV

APPELLATIONUM TEMPORA SEU FATALIA (1)

852. — *Fatalium* nomine designantur tempora, quibus lapsis appellatio perimitur. Hujusmodi tempora quatuor sunt : 1. appellationis interponendæ; 2. petendi litteras dimissorias seu *apostolos*; 3. appellationis introducendæ; 4. appellationis prosequendæ et finiendæ.

1. Quod attinet ad primum tempus, *appellatio interponenda est intra decem dies*, qui contra præsentem a die latæ sententiæ, contra absentem vero a die notificationis ejus numerantur. Appellatio generalis super omnibus causis quæ contra appellantem moveri possunt non valet, quia appellatio instituta est ad removendum gravamen jam illatum, vel cœptum inferri. — Vide infra, n. 861.

Appellatio interponitur coram judice *a quo*, ne ad executionem procedat suæ sententiæ ; quod fit sive *viva voce*, judice adhuc sedente pro tribunali ; sive *scripto libello*, post aliquod intervallum.

Si loco appellationis proprie dictæ, cujus scopus est reformatio judicii validi, detur locus *querelæ nullitatis*, ob judicis incompetentiam, processus substantialis omissionem, vel manifestam iniquitatem sententiæ, actio in nullitatem perimitur tantum præscriptione triginta annorum.

853. — II. *Tempus petendi libellos dimissorios* est spatium triginta dierum ab interposita appellatione. Illæ litteræ dicuntur *apostoli*, a græco verbo αποστελλω (latine *dimitto*), eo quod per eas judex a quo appellatur causam dimittit ad judicem superiorem. Dicuntur etiam *dimissoriæ*, si testentur appellationem interpositam et admissam esse ; *reverentiales*, si testentur appellationem admissam non fuisse, nisi ob reverentiam superioris ; *refutatoriæ*, si testentur illam esse rejectam ; *testimoniales*, si notarius, defectu judicis, testetur coram se appellatum fuisse.

Hodie nullus est apostolorum usus, sed eorum loco traditur appellanti exemplum tam sententiæ, quam appellationis interpositæ.

854. — III. *Introducitur appellatio*, quando, exhibitis superiori judici litteris dimissoriis, appellans instat ut appellatio recipiatur et adversarius citetur.

Judex superior, si ipse appellationem receperit in devolutivo tantum, per *litteras compulsoriales* mandat inferiori judici ut acta prioris judicii transmittat. Si vero appellationem recipiat in suspensivo, per *litteras inhibitoriales* prohibet ne quid innovetur super causa ; exinde judicis inferioris jurisdictio ita suspenditur, ut quidquid postea attentaverit nullum sit pleno jure et ante omnia revocandum.

De termino introducendæ appellationis nihil certi in Decretalibus constitutum est. Quamobrem id relinquitur arbitrio judicis a quo appellatum est, cujus est præfigere terminum congruum, intra quem appellatio præsentetur judici superiori ; quo elapso, habeatur pro deserta.

855. — IV. — *Ad appellationem prosequendam et finiendam* conceditur

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. II, tit. XXVIII.

annus, et ex justa causa biennium, a die interpositæ appellationis computandum; intra quod tempus si appellans appellationem suam non fuerit prosecutus, censebitur illi renuntiasse. Attamen lapsus anni vel biennii non nocet appellanti legitime impedito.

SUPPLEMENTUM AD ARTICULUM II CAP. III

De processu criminali (n. 837-844).

Opportunum est hic subjungere *Instructionem* S. Congr. Episc. et Reg., qua norma traditur summario modo procedendi in causis clericorum. Data est, die 11 jun. 1880, ad omnes *Italiæ* Episcopos; die vero 13 januar. 1882, nonnullis Galliarum Episcopis petentibus, S. Pontifex « benigne indulsit, ut Galliarum Ordinarii in suis ecclesiasticis curiis enuntiata judiciali methodo uti valeant, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus (1). »

INSTRUCTIO

PRO ECCLESIASTICIS CURIIS, QUOAD MODUM PROCEDENDI ŒCONOMICE IN CAUSIS DISCIPLINARIBUS ET CRIMINALIBUS CLERICORUM

856.— « Sacra hæc Episcoporum et Regularium Congregatio, mature præsenti Ecclesiæ conditione perpensa, quæ pene ubique impeditur quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis œconomicas adhibere valeant in exercitio suæ disciplinaris jurisdictionis super Clericis. Ut autem tota justitiæ ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque Clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitæ rationem vigilando, remediisque utendo canonicis, ad præcavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia præveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali, stimuli, occasiones voluntariæ, causæque ad delinquendum proximæ removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes, ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias.

III. — Conscientiæ et prudentiæ Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, juxta canonum præscriptiones, et casuum adjunctorumque gravitatem.

857. — IV. Mediis quæ præservant præcipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et præcepta.

V. Has provisiones præcedere debet summaria facti cognitio, quæ ab Ordinario notanda est, ut *ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem auctoritatem, in casu legitimi recursus.

(1) Pro Statibus fœderatis Americæ septentrionalis, S. Congr. Prop. Fidei Instructionem specialem edidit (20 julii 1878) de casibus in quibus locus datur pœnæ ecclesiasticæ infligendæ, aut gravi disciplinari coercitioni. — Huic postea accessit resolutio dubiorum emergentium, quæ habetur in recensione *Revue des sciences ecclésiastiques, mars 1881.*

VI. Canonicæ monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam), sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosæ monitiones evadant, Ordinarius præcipit Curiæ, ut delinquenti analogum injungatur præceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis pœnæ ecclesiasticæ comminatione, quam incurret in actu transgressionis.

VIII. Præceptum intimatur prævento a cancellario coram Vicario generali, sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatæ integritatis.

Actus subsignatur a partibus præsentibus et a prævento quoque si velit.

Vicarius generalis adjicere valet juramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles de quo agitur.

858. — IX. Quoad *pœnalia* media, animadvertant reverendissimi Ordinarii præsenti instructione haud derogatum esse judiciorum solemnitatibus, per sacros Canones, per apostolicas constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eædem libere efficaciterque applicari queant; sed œconomicæ formæ consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extrajudiciale remedium *ex informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit S. Tridentina Synodus in sess. XIV, cap. I, *de Reform.*, adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus, et præcipue in *Bosnien.* et *Sirmien.*, 20 decembris 1873. — (*V. infra, n. 913 et seqq.*)

X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis præcepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiæ violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque judicii strepitu, servatis semper regulis justitiæ substantialibus.

859. — XI. Processus instruitur *ex officio*, aut in sequelam supplicis libelli et querelæ, aut notitiæ alio modo a Curia habitæ; et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, cum reitatis aut innocentiæ accusati, exsurgat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante actuario.

XIII. Unicuique Curiæ opus est procuratore fiscali pro justitiæ et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud præsto sit opera apparitorum Curiæ, suppletur exhibitione earumdem, explenda per qualificatam personam, quæ de facto certioret; sive eas transmittendo, ope commendationis penes tabellariorum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extrajudicialibus, vel testium depositionibus; et quoad titulum transgressionis

præcepti, constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati, opus est probatione legali, quæ talia continere debet elementa ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personæ quas examinare expediat semper audiuntur separatim.

XVIII. Testes ad probationem aut defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub juramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium, aut in aliena diœcesi morantium, exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti ; et auctoritas requisita petitioni respondet, servando præsentis instructionis normas.

XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adjuncta essentialiter utilia merito causæ, qui examini subjici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actitibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione noverint id quod exquiritur.

XXI. Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatæ, ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adjuncta prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eumdem ad examen vocari ut sese excuset, in causa quæ ipsum respicit uti accusatum.

XXIV. Si judicio sistere abnuat, iteratur indictio, in quo eidem præfigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax ; et pro tali in facto æstimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine ; et, quatenus inductiones faciat alicujus momenti, debent istæ, quantum fieri potest, exhauriri.

860. — XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et conclusionum habitarum ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis pœnis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem ejus quod in actis exstat contra se, ultra quod respondere possit, jure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere præfixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, præcipue quando ob dispositionem art. XXIII nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX. Expleto processu, actorum instructor restrictum conficit essentialium conclusionum ejusdem.

XXX. In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repræsentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus præventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in Cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quæ ante propositionem causæ exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subjicitur oneri secreti jurati, quatenus Ordinario videatur indolem causæ id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungatur; uterque Ordinario traditur, qui plena causæ cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta, proponitur causa coram Vicario generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario.

XXXV. Post votum procuratoris fisci et deductiones defensionis, profertur sententia, dictando dispositivam cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicæ sanctionis accusato applicatæ.

XXXVI. Sententia indicitur prævento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

861. — XXXVII. — Pro appellatione servantur normæ statutæ a Constitutione *Ad militantes* S. M. Bened. XIV, 30 martii 1742, aliæque emanatæ ab hac S. Congregatione, decreto 18 decembris 1835 (1) et littera circulari diei 1 augusti 1851.

(1) En decretum 18 dec. 1835 : — « *Decretum pro causis criminalibus.* — Non ita pridem a S. Congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præpositæ nonnullæ regulæ præscriptæ fuerunt pro recta et expedita definitione causarum criminalium, quæ a Curiis Episcoporum vel Ordinariorum ad eamdem S. Congregationem in gradu appellationis deferuntur. Quas quidem præscriptiones, quoniam impedimenta sublata sunt, quæ aliqua ex parte earum executioni interposita fuerant, visum est Eminentissimis Patribus in Conventu habito XV Calend. Januar. MDCCCXXXV, uberius explicare, et cum assensu et approbatione S. D. N. GREGORII XVI iterum promulgare, ut ab omnibus ad quos pertinent accuratissime serventur. Sunt autem quæ sequuntur :

I. Reis a Curiis Episcopalibus criminali judicio damnatis spatium dierum decem conceditur, quo ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium appellare possint. — II. Decem dies numerari incipient, non a die quo sententia lata est, sed a die quo reo vel ejus defensori per cursorem denuntiata fuit. — III. Eo tempore elapso, quin reus vel ejus defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exequetur. — IV. Interposita intra decem dies appellatione, Curia Episcopalis acta autographa totius causæ ad S. Congregationem continuo transmittat, nempe : 1. *Processum* ipsum in Curia confectum : 2. Ejus *restrictum*, seu compendiariam expositionem eorum quæ ex eodem processu emergunt; 3. Defensiones pro reo exhibitas; 4. Denique sententiam latam. — V. Ipsa Curia reo ejusque defensori denuntiabit appellationem coram eadem S. Congregatione prosequendam esse. — VI. Si nemo compareat, aut si appellationis acta negligantur vel malitiose protrahantur, congruens tempus a S. Congregatione præfinietur, quo inutiliter elapso, causa deserta censeatur, et sententia Curiæ Episcopalis executioni mandetur. — VII. Reo, aut illi qui ejus defensionem suscepit, tradendus est *restrictus* processus, qui a judice relatore conficitur. — VIII. Allegationes seu defensiones Eminentissimis Patribus distribuendæ typis non committantur, nisi judex relator imprimendi veniam dederit. — IX. Causa definietur stata die ab Eminentissimis Patribus in pleno auditorio congregatis. — X. Eidem Congregationi procurator generalis fisci et judex relator intererunt. — XI. Judex relator de toto statu causæ ad Eminentissimos Patres referet, et procurator generalis fisci stabit pro Curia Episcopali, suasque conclusiones explanabit. — XII. Post hæc, Eminentissimi Patres judicium proferent, sententiam Curiæ Episcopalis aut confirmando, aut infirmando, aut reformando. — XIII. Prolata sententia, una cum omnibus actis causæ, ad eamdem Curiam Episcopalem remittitur, ut eam exequatur. — XIV. *Revisio* seu recognitio rei judicatæ non conceditur, nisi ejus tribuendæ potestas a Sanctitate Sua facta fuerit, et subsint gravissimæ causæ, super quibus cognitio et judicium ad plenam Congregationem pertinet. — XV. Sciant denique Curiæ Episcopales per novis-

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiæ ; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causæ originales, id est, processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior, capta cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuntium misisse appellationis beneficio, et hæc consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicujus Curiæ episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causæ sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod Clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subjiciatur processui et judicio laicæ potestatis, Ordinarius, hoc in casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem, atque perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiæ, irregularitati, aut alii ecclesiasticæ sanctioni.

Donec judicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

Expleto tamen judicio, et libero reddito accusato, Curia juxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum præsentis instructionis.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus quæ contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem, ad vitandas contentiones et nullitates. »

APPENDIX INSTRUCTIONIS

Sacra hæc Congr. Episc. et Reg., pro certo habens quod modi procedendi œconomice, ordinati per Instructionem diei 11 junii 1880, pro Curiis ecclesiasticis in causis criminalibus quæ clericos respiciunt, observari quoque debeant in actis appellationis quæ interponitur a sententiis ipsarum Curiarum, opportunam censuit publicationem sequentis dispositionis (*Quam approbavit Leo XIII, 26 martii 1886*).

862. — « I. Defensor rei vel reorum, eligendus inter advocatos a Sacris Congreg. approbatos, prævio deposito de more, prudenter notitiam sumit de restrictu et processu coram judice relatore.

II. Quatenus vero ratione indolis causæ expedire censeat Emin. D. Car-

simas leges, quæ ad investiganda et coercenda crimina pro tribunalibus laicis promulgatæ sunt, nihil detractum esse de formis et regulis Canonicis, quas proinde sequi omnino debeat, non modo in conficiendo processu ad quem spectant hæc verba Edicti die 5 novembris 1831 : *Nihil innovetur, quantum ad judicia ecclesiastica pertinet ;* verum etiam in pœnis decernendis, quemadmodum in appendice ejusdem Edicti ita cautum est : *Tribunalia jurisdictionis mixtæ Clericos et Personas ecclesiasticas iis pœnis mulctabunt, quæ secundum Canones et Constitutiones Apostolicas Tribunal ecclesiasticum iisdem irrogaret.* »

dinalis præfectus, jubetur defensorem servare secretum cum jurisjurandi vinculo.

III. Exhibitis defensionibus in scriptis, eædem, quatenus Emin. D. Cardinalis præfectus æque opportunum censeat, communicari queunt procuratori fiscali Curiæ *a qua*, ut ille, si necesse esse crediderit, in scriptis respondeat.

IV. De responso procuratoris fiscalis defensor, cum debita cautela, cognitionem sumere potest coram judice relatore, ut replicare ultimo valeat, pariter in scriptis.

V. Omnino autem excluditur defensoris et procuratoris fisci præsentia in comitiis cardinalium, quando causa resolvenda proponitur.

VI. Excepta dispositione præcedentium articulorum, in sua plena vi quoad omnes partes ea omnia permaneant quæ S. Congr. constituit per decretum diei 18 decembris 1835, per litteras circulares diei 1 augusti 1851, et per ordinationem diei 6 junii 1847 (1). »

TRACTATUS II

DE EXERCITIO POTESTATIS PUNIENDI

Disserendum venit: — 1° de criminibus ; — 2° de pœnis ecclesiasticis, quibus plectuntur crimina.

DISSERTATIO I

DE CRIMINIBUS

Dicemus : — 1° de criminibus generatim ; — 2° de præcipuis speciebus criminum.

CAPUT I

DE CRIMINIBUS GENERATIM

863. — *Definitio.* — Delicti et criminis nomina communiter sine discrimine accipiuntur. Attamen vox delicti generalis est, dum crimen ad delicta publica et graviora magis proprie refertur (2).

(1) Ordinatio diei 6 junii 1847. — *De interventu defensoris ad comitia S. Cong. Episc. et Regul, quæ pro causis criminalibus habeatur.*

« Sanctitas Domini nostri certior facta est de iteratis supplicibus libellis huic S. Congr. Episc. et Regul. exhibitis, eo consilio ut sinatur defensorem rei, tum publicum tum privatum, præter judicem relatorem et procuratorem fisci, adesse comitiis ejus lem S. Congr., quando proponuntur causæ criminales.

Sanctitas Sua in audientia 6 junii 1847, benigne excipiens supplices libellos, disposuit ;

I. In prædictis comitiis S. Cong. Episc. et Regul., quando causæ criminales agentur, adstare poterit, præter judicem relatorem et procuratorem generalem fisci, etiam defensor publicus sive privatus rei, dummodo ad legitime approbatos pertineat.

II. Procurator generalis fisci exhibebit proprias animadversiones tum facti, tum juris, suasque conficiet conclusiones. »

Litt. circul. 1 aug. 1851. — *De appellatione ad S. Congr. Episc. et Regularium.* « Cum appellatio admittitur, admissionis Ordinarius certior fit, dicta cum injunctione intra terminum peremptorium dierum viginti appellationem prosequendi... A Curiæ ministris appellanti per actum cursoris erit intimandum quod, si ipse velit appellationem prosequi, necesse est ut intra peremptorium terminum dierum viginti in Urbe advocatum vel procuratorem, a Romana Curia approbatum, deputet certusque sit defensorem a se electum reapse patrocinium sumere..... Hujusmodi intimationes, apparitoris relatione munitæ, ad S. Congregationem erunt transmittendæ. »

(2) Tarquini, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, lib. I, cap. I.

I. Crimen definitur : *actio imputabilis, externa, ordinem societatis violans, sanctione pœnali legis humanæ interdicta ;* — vel : *Legis humanæ transgressio externa et gravis per pœnam coercenda.*

Proinde crimen et peccatum in eo differunt ut, quamvis omne crimen sit etiam peccatum, peccatum tunc tantum criminis naturam induat, quando est externum, ordinem socialem perturbat, et coercetur pœna legis humanæ. Unde crimen non est, nec peccatum internum vel gravissimum, nam de internis non judicat Ecclesia ; neque delictum leve, quod societatem non turbat ; neque actio contra quam pœna non decernitur. Ideo dixit S. Paulus (Tit., I, 7) : « Oportet episcopum sine crimine esse », non autem sine peccato, a quo nemo immunis est.

II. Quidquid in crimine peccatum est, solius Ecclesiæ potestati subjicitur, quoniam ei tantum Christus tribuit facultatem remittendi peccata. Quamobrem etiam crimina quorum coercitio pertinet ad societatem civilem subsunt Ecclesiæ judicio, ratione peccati. Hoc quidem judicium exercetur in foro interno pœnitentiæ ; sed publica peccata ab Ecclesia afficiuntur etiam publicis pœnis. Multa enim sunt scelera, in quibus Ecclesia tam de crimine quam de peccato judicat, et in quæ potestatem fori externi exercet. Id plenius intelligetur ex subjectis speciebus delictorum et criminum.

864. — *Divisio.* — Delicta dividuntur ratione *objecti*, *subjecti*, *fori* et *notorietatis* (1).

I. Ratione *objecti*, delicta de quibus judicat Ecclesia sunt vel directe contra Deum, vel contra res Deo sacras.

II. Ratione *subjecti*, discernuntur delicta propria clericorum, et crimina clericis ac laicis communia.

III. Ratione *fori* seu *tribunalis*, triplicis generis crimina distinguuntur : mere ecclesiastica, mere civilia et mixta.

Crimina mere *ecclesiastica* sunt quæ legibus Ecclesiæ tantum adversantur ; ista omnia subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive a clericis, sive a laicis commissa fuerint, v. g. hæresis, omissio communionis annuæ.

Crimina mere *civilia* sunt quæ nihil spirituale præ se ferunt, et solas leges civiles directe lædunt, v. g. furtum, falsum ; eorum coercitio pertinet ad potestatem civilem, nisi ratione personarum reserventur judicio Ecclesiæ.

Mixta seu *mixti fori* crimina sunt quæ legibus utriusque societatis repugnant, v. g., perjurium, usura. Hujusmodi delicta per se tum Ecclesiæ, tum civitatis coercitioni obnoxia sunt, quoniam utriusque jura violant ; ita ut Ecclesia pœnas sumere debeat de iis quatenus religionem lædunt, civitas vero de iisdem quatenus reipublicæ injuriam inferunt. Verum ne reus unius criminis duplex judicium sustinere cogatur, causæ mixtæ vel a tribunalibus mixtis, vel per præventionem ab alterutro judice, sive laico sive ecclesiastico, definiri solent, prout conventum est inter utramque potestatem (2).

IV. Ratione *notorietatis*, delicta externa sunt *occulta* vel *publica*.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV. — Devoti, *Institutionum* lib. IV, tit. II, § 2. — (2) *Decretalium* lib. II, tit. II, *de Foro competente*.

Delictum *occultum* est quod committitur clam, sive nemine, sive paucis adstantibus, ita tamen ut publice non innotescat. Ab Ecclesia coerceri potest pœna *latæ sententiæ*, quam reus *ipso facto* incurrit.

Occultum absolute dicitur delictum quod juridice per duos testes probari nequit. *Pene occultum* est quod per paucos vel difficulter probari potest; accedit ad *publicum*, quod est commissum pluribus præsentibus.

Delicta publica sunt *manifesta*, vel *notoria*. *Manifestum* commissum fuit coram pluribus quam duobus testibus, qui illud in notitiam communitatis inducunt. Proinde ad manifestum constituendum requiritur ut publico addatur *famosum*, id est, oportet ut fama ex communi proclamamatione concurrat cum veritate; nec sufficit *rumor*, etiam communis, utpote ab incerto auctore diffusus.

Notorium delictum est quod ex jure vel ex facto ita certum habetur, ut nulla tergiversatione celari possit. *Juris notorietatem* tria faciunt, nempe, confessio judicialis, plena probatio juridica, et sententia definitiva. *Facto notorium* est delictum in loco publico commissum, præsentibus multis; unde ad notorietatem facti requiritur tum fama, tum adstantium multitudo. Quot autem homines adesse debeant, non est jure definitum; id relinquitur arbitrio judicis, utpote pendens a multis circumstantiis, præsertim actus, temporis et loci (1). Communiter saltem decem testes requiruntur.

CAPUT II

DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS CRIMINUM

In Decretalibus, singula crimina recensentur juxta ordinem Decalogi. Institutionum ratio postulat ut ad præcipuas species illa reducantur; quare distinguemus crimina tum ratione *objecti*, tum ratione *subjecti*.

ARTICULUS I

CRIMINUM SPECIES RATIONE OBJECTI

Alia, ut modo dictum est, sunt directe contra Deum commissa, alia injuriam rebus Deo sacris inferunt.

§ 1. — *Crimina directe contra Deum commissa.*

Hæc crimina sunt : 1. Apostasia, hæresis et schisma ; 2. blasphemia et sortilegium ; 3. perjurium et voti violatio. — Ad theologiam remittentes ea quæ potius ad hanc disciplinam pertinent, dicemus tantum de apostasia, hæresi et schismate.

I. — De apostasia (2).

865. — I. Apostasia etymologice desertionem significat. Hic sumitur pro defectione qua receditur a religiosæ vitæ instituto, per solemnem professionem suscepto ; unde triplex apostasiæ species distinguitur, nempe, recessus a fide seu *religione christiana*, a *statu clericali* post susceptum *ordinem sacrum*, et ab *ordine regulari*.

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. I. — (2) *Decretalium* lib. V, tit. IX, *de Apostatis*.

Omnium gravissimum crimen est *apostasia a fide*, proprie dicta *perfidia*, per quam baptizatus religionem christianam omnino deserit, sive ad judaismum, paganismum, aliudve infidelitatis genus transeat, sive relicto Christo, nullam deinceps religionem profiteatur.

866. — II. *Tribus modis* aliquis potest esse apostata :

1° Si mente sola recedat a fide christiana ; quo casu, constituitur apostata coram Deo ; pœnam tamen canonicam non incurrit, quia Ecclesia non judicat de factis mere internis.

2° Si mente simul et verbis vel factis religionem Christi deserat ; quod veram apostasiam in foro externo simul et interno efficit, etiamsi delictum sit occultum, et plectitur pœnis a jure statutis.

3° Si verbis tantum vel factis, non tamen animo, a fide deficiat ; tunc in foro externo censetur apostata et incurrit pœnas, tum quia præsumitur scienter delinquere, tum quia ex metu transgreditur obligationem profitendi fidem exterius. Mitius vero agendum cum illis qui ab Ecclesia non defecerunt nisi ut cruciatus evaderent ; unde proprio nomine *lapsi* olim dicebantur, non autem *apostatæ*.

867. — III. Apostatæ iisdem *pœnis* ac hæretici plectuntur ; imo severius tractantur, ob majorem criminis gravitatem. (Cf. n. 937.)

II. — De hæresi (1).

868. — I. *Quinam ab Ecclesia condemnentur ratione hæresis ?* — Communiter hæresis definitur : error voluntarius et pertinax, fidei manifeste repugnans, in eo qui fidem catholicam suscepit.

Hæresis est *materialis* vel *formalis*, *interna* vel *externa*. Ad formalem hæreticum constituendum, tria conjunctim requiruntur, videlicet, in subjecto baptismi susceptio, in intellectu error contra fidem, in voluntate pertinacia.

Ad hæresim externam quod attinet, Ecclesia judicat non solum eos qui formalem hæresim *profitentur*, verum etiam hæresis legitime *suspectos*, et hæreticorum *fautores* (2).

Inter remedia quibus Ecclesia utitur contra hæresim, præter fidei professionem, visitationem episcopalem et librorum hæreticorum prohibitionem, recensentur tum *pœnæ* contra hæreticos statutæ, tum leges de *communicatione* fidelium cum acatholicis.

869. — II. *Pœnæ in hæreticos ab Ecclesia sancitæ* sunt vel generales contra laicos et clericos, vel speciales contra clericos.

Ad pœnas *generales* referuntur excommunicatio latæ sententiæ Summo Pontifici speciali modo reservata (3), et privatio sepulturæ ecclesiasticæ. Insuper, *relapsi* sunt tradendi curiæ sæculari, licet pœniteat eos et ad fidem redeant (4).

Pœnæ *speciales* contra clericos hæreticos sunt : *primo*, irregularitas quoad ordines suscipiendos vel exercendos ; *secundo*, privatio beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum.

(1) *Decretalium* lib. V, tit. VII, *de Hæreticis*. — (2) *Ibid.*, cap. XIII, *Excommunicamus*. — (3) Const. *Apost. Sedis*, I, infra, n. 937. — (4) In 6 *Decret.*, lib. V, tit. II, cap. *Super eo*.

870. — III. *Communicatio catholicorum cum hæreticis* generatim antiquis canonibus vetabatur. Per canonem Concilii Constantiensis a Martino V approbatum, nonnihil relaxata fuit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum hæreticis qui tolerantur et non sunt expresse denuntiati tanquam vitandi. Non idcirco tamen arbitrari debent catholici fas sibi esse indistincte cum hæreticis, etiam non denuntiatis, in rebus sacris communicare (1).

Duplex communicatio in divinis catholicorum cum hæreticis distinguitur, *activa* scilicet et *passiva*.

1. Communicatio *activa* est, quando catholici sectariorum cultui participant. Principium generale est communicationem in divinis cum hæreticis ut illicitam regulariter habendam esse in praxi, vel ob periculum participationis in ritu hæretico, vel ob periculum perversionis in fide catholica, vel denique ob periculum scandali.

Hinc nunquam licet communicare *in ipsis ritibus hæreticis*, utpote reprobatis a Deo et adhæsionem sectæ hæreticæ ex se exprimentibus. Neque catholici possunt interesse functionibus hæreticorum eo modo quo videantur cum iis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in veneratione erga ministros hæresis. Toleratur vero generatim præsentia materialis in funeribus, nuptiis, aliisque circumstantiis, in quibus honor civilis tantum hæreticis exhiberi censetur.

2. Communicatio *passiva* est, quando sectarii sinuntur in suam utilitatem sacrorum officiorum catholicorum participes esse; Ecclesia quippe instructa est quibusdam mediis spiritualibus, ad conciliandos et convertendos hæreticos aptis, inter quæ prælucent prædicatio verbi divini et oratio.

Verbum divinum omnibus annuntiandum est, quia *fides*, salutis initium, *ex auditu* concipitur. Ad orationem quod attinet, preces privatæ pro omnibus laudabiliter fiunt; preces vero publicæ specialiter et nominatim fieri non possunt pro iis quos ab Ecclesia separatos esse constat, eo quod significent communionem in spiritualibus.

Verum alia salutis media exstant, a quorum usu generatim hæretici repelluntur, sive eo quod ista sint signa communionis catholicæ, sive simul eo quod hæretici dispositionibus requisitis destituantur, v. g. sacramenta (2).

III. — De schismate (3).

871. — I. Schisma est discessio ab unitate Ecclesiæ. Cum Sancta Sedes sit centrum unitatis catholicæ, *schismaticus* dicitur ille qui Summo Pontifici subesse, et membris Ecclesiæ illi subjectis communicare renuit. Sensu minus stricto, schismatici etiam nuncupantur qui se ab Episcopo suo separant.

Distinguitur *schisma sine hæresi* seu *purum*, et *schisma cum hæresi*

(1) Martini V const. *Ad evitanda*. — Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. VI, cap. V. — (2) Congregatio de Propaganda Fide : *Instructio pro missionariis Orientis, de communicatione cum hæreticis*. — Responsio Congregationis Sancti Officii, apud Giraldi, *Expositio juris pontificii*, ad tit. XXXIX lib. V *Decretalium*. — (3) *Decretalium* lib. V, tit. VIII, *de Schismaticis*.

conjunctum. Equidem schismatici proprie non sunt hæretici, quamdiu integram servant Ecclesiæ doctrinam. Verum schisma plerumque secum trahit hæresim, sive quia schismatici facto ipso profitentur Ecclesiam dividi posse, sive quia sibi fingunt errorem, ut justas suæ discessionis causas habere videantur.

872. — II. *Pœnæ contra schismaticos* pure tales merito statutæ fuerunt, nam malitia hujus criminis tanta est, ut ipsius Ecclesiæ unitatem labefactare conetur. Iisdem fere pœnis ac hæretici afficiuntur, nempe, excommunicatione Papæ reservata speciali modo (1), inhabilitate ad beneficia et officia Ecclesiæ obtinenda, et privatione jurisdictionis, beneficiorum et officiorum jam obtentorum, atque sepulturæ ecclesiasticæ.

Etsi ordinationes factæ ab episcopo schismatico valide consecrato validæ sint, habentur tamen ut sacrilegæ, et sic ordinati suspensi sunt. (Cf. n. 989.).

873. — III. *Communicatio* in divinis cum *schismaticis* prohibetur quemadmodum communicatio cum hæreticis. (Cf. n. 950.)

§ 2. — *Crimina quibus injuria in res Deo sacras infertur.*

Hæc crimina sunt : 1. Simonia ; 2. sacrilegium et abusus sacramentorum. Pro instituti nostri opportunitate, hic dicemus tantum

De simonia (2).

874. — I. *Ejus notio.* — Simonia nomen accepit a Simone Mago, qui primus sub lege evangelica hujus sceleris auctor fuit (3). In delictis ecclesiasticis recensendis, Decretales ante omnia simoniam prohibent, quam simoniacam hæresim appellant. Nec immerito ; vix enim aliud crimen est magis *injuriosum Deo et perniciosum Ecclesiæ :* Deum offendit, siquidem ejus gratias temporali pretio æquiparat ; Ecclesia illud abhorret, tum quia viam ad beneficia sternit indignis, tum quia simoniacus existimat se ita in rebus sacris versari posse ac si profana tractaret. — De specie et gravitate istius peccati ex professo disserunt omnes theologi.

Simonia definitur : *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum*. Ad sui constitutionem tria requirit, scilicet, *pactum* sive initum sive mente intentum, expressum aut tacitum, emptionis, venditionis, aut similis alterius contractus onerosi, in quo consistit forma simoniæ ; velut objectum seu materiam, *mercem*, quæ est res spiritualis aut spirituali annexa ; et *pretium*, nempe, rem temporalem.

875. — II. Multiplex est simoniæ species, prout consideratur ex parte *legis* quæ illam prohibet, vel ex parte *modi* quo committitur, vel ex parte *rei temporalis* quæ pretii locum tenet, vel ex parte *rei spiritualis* quæ pretio æstimatur.

1. Ratione *legis* eam prohibentis, distinguitur simonia juris divini et simonia juris ecclesiastici.

Simonia *juris divini* adest, quando res spiritualis pro re temporali da-

(1) Const. *Apost. Sedis* III, infra, n. 940. — (2) *Decretalium* lib. V, tit. III, *de Simonia*. — Brabandere, *Juris can. comp.*, n. 1266-1298, et plerique theologi. — (3) Act. App. VIII, 18 et seqq.

tur vel promittitur; ei proprie convenit definitio. Simonia vero est *juris ecclesiastici*, si contra solam prohibitionem Ecclesiæ, ex motivo religionis latam, spirituale pro spirituali commutetur, qualis est permutatio beneficiorum privata auctoritate facta; vel si temporale pro temporali detur, ut contingit cum emuntur officia œconomi aut sacristæ, vel vendentur olea sacra sub solo respectu materiæ spectata. Ob dignitatem rei spiritualis ad quam referuntur, hæc pacta, quamvis ex se licita, præ se ferunt periculum et speciem quamdam simoniæ; ideo Ecclesia illa prohibet, et etiam plectit pœnis contra simoniacos statutis (1).

2. Ratione *modi*, distinguendi sunt gradus voluntatis quæ studet spiritualia pro temporalibus, vel temporalia pro spiritualibus acquirere. Unde simonia dividitur in *internam* et *externam* : interna consistit in mero proposito committendi simoniam, externa prorumpit in actum exteriorem.

Simonia externa subdividitur in *mentalem*, *conventionalem*, *realem* et *confidentialem*. — Mentalis est illa qua datur temporale cum intentione *in mente latente* obligandi recipientem ad reddendum spirituale, aut vice versa, quin ulla conventio interveniat. — Conventionalis est pactum, sive expressum, sive tacitum, dandi temporale pro spirituali, aut vicissim, nondum executioni mandatum. Si ab alterutra parte saltem inchoata fuerit executio, simonia non est *mere conventionalis*, sed *mixta*. — Realis est idem pactum, utrinque saltem ex parte executioni mandatum (2). — Confidentialis est rei beneficiariæ propria, et vocatur etiam *confidentia beneficiorum*, quia procurans beneficium *confidit* promissioni beneficiarii. Simoniam confidentialem committit qui beneficia quolibet modo procurat alteri, aut accipit, cum confidentia seu pacto vetito pensionis, accessus, ingressus, vel regressus (3).

3. *Pretium simoniacum* triplex statuitur a S. Gregorio Magno : « aliud est *munus ab obsequio*, aliud *munus a manu*, aliud *munus a lingua*. Munus a manu pecunia est, munus a lingua favor, munus ab obsequio est subjectio indebite impensa (4). » — Brevius : pretium est quævis res temporalis, pecunia vel alia utilitate æstimabilis, in commutationem rei spiritualis data.

4. Ex parte *rei spiritualis* quæ pretio æstimatur, simonia admittitur, cum in commercium deducuntur ipsæ res spirituales, vel spiritualibus ex Dei aut Ecclesiæ ordinatione connexæ, v. g. sacramenta, sacramentalia, officia ecclesiastica, actus potestatum ordinis et jurisdictionis, beneficia.

Res spiritualibus connexæ sunt materia simoniæ, quatenus accipiuntur adæquate cum sua benedictione, et in ordine ad finem supernaturalem. Calices vero et pleræque aliæ res sacræ, quatenus ex materia pretio æstimabili confectæ sunt et constant, vendi possunt absque simonia; ratio est, quia non amiserunt valorem naturalem, nec ulla intervenit prohibitio Ecclesiæ.

(1) Attamen Brabandere, canonista Brugensis, n. 1292, docet et probat res benedictas et indulgentiis ditatas sine simonia vendi posse, imo sine peccato, solis amissis indulgentiis, nisi aliquid pro ipsa benedictione exigatur. Ratio præcipua est quod decreta S. Congr. Indulgentiarum, quibus inducitur amissio indulgentiarum, nihil aliud statuunt, et proinde sunt mere pœnalia. — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, pars I, dissert. III. — (3) S. Pii V const. *Intolerabilis*. — (4) S. Gregorius Magnus apud Decretum Gratiani, can. 114, caus. I, quæst. I.

Simonia vero non committitur, quoties ad accipiendum aut dandum temporale, *occasione* rei spiritualis, suppetit justus titulus v. g. liberalitatis, sustentationis ministrorum Ecclesiæ, laboris extrinseci, gratitudinis, consuetudinis, redemptionis ab injusta vexatione, concessionis S. Pontificis.

876. — III. *Pœnæ contra simoniacos statutæ.* — Ecclesia nefarium simoniæ crimen semper detestata est, variisque pœnis pro gravitate delictorum in simoniacos animadvertit. Hæc est disciplina hodierna :

1. Pœna fori externi non incurritur per simoniam mentalem, neque per simoniam mere conventionalem, sed solummodo per simoniam *confidentialem* aut *realem* in collatione beneficiorum, et *realem* in ingressu religionis.

2. Adversus simoniam confidentialem et realem in *beneficiorum* collatione et susceptione triplex pœna lata est, videlicet, excommunicatio Papæ simpliciter reservata, invaliditas provisionis et inhabilitas ad beneficia (1). Simoniæ *confidentialis* pœnæ graviores sunt, nam præterea beneficium simoniace collatum Sedi Apostolicæ reservatur.

3. Pœna simoniacæ professionis religiosæ sita est in excommunicatione latæ sententiæ simpliciter Papæ reservata, et suspensione monasterii ab officiis capitularibus (2).

ARTICULUS II

CRIMINUM SPECIES RATIONE SUBJECTI

Alia sunt *communia*, alia vero *propria* clericorum.

§ 1. — *Crimina communia.*

877. — Crimina communia de quibus Decretales mentionem faciunt, spectant bona *vitæ*, vel *pudicitiæ*, vel *fortunæ*. Pleraque in foro civili plectuntur. Attamen nonnulla hujus generis, cum etiam in labem societatis ecclesiasticæ cedant, ab Ecclesia coercentur, præsertim si judex civilis negligat ea pœnis reprimere.

I. Crimina quibus læduntur vita et incolumitas corporis, sunt homicidium, suicidium, abortus et duellum.

Homicidium etiam indirecte voluntarium inducit ipso facto irregularitatem. *Suicidium* secum trahit privationem sepulturæ ecclesiasticæ. Procurantes *abortum*, effectu secuto, incurrunt ipso facto excommunicationem reservatam Ordinariis (3), et irregularitatem. *Duellantes* et alii ad duellum concurrentes pœna excommunicationis S. Pontifici simpliciter reservatæ plectuntur ; qui vero moritur in ipso conflictu privatur sepultura ecclesiastica, etiamsi dederit signa pœnitentiæ (4). — Vide supra, n. 627.

II. Inter delicta contra pudicitiam recensentur raptus, adulterium, concubinatus, etc.

(1) Const. *Apost. Sedis*, Excom. simpl. reserv. VIII et IX, infra, n. 950 et 959. — (2) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. III. — Const. *Apost. Sedis*, Excom. simpl. reserv., X. — (3) Const. *Apost. Sedis*, infra, n. 972. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. XIX. — Benedicti XIV const. *Decretalium*. — Const. *Apost. Sedis*, infra, n. 953.

III. Proximum in bonis temporalibus lædunt crimen falsi, usura, rapina et furtum, de quibus disserit theologia (1).

§ 2. — *Crimina propria clericorum.*

878. — Delicta propria clericorum vel *statui clericali*, vel ipsorum *officiis* adversantur.

I. *Statui clericali repugnant* : 1. *apostasia ab ordine*, et *apostasia a religione*. Clerici in sacris constituti per apostasiam amittunt privilegium canonis ; si matrimonium attentaverint, excommunicantur, ac, si illud consummaverint, fiunt irregulares. *Regulares* apostatæ privantur privilegiis ordinis sui, et, abjecto habitu monachi, excommunicationem incurrunt (Cf. n. 579).

2. Transgressio legum *honestatem clericalem* respicientium variis pœnis a jure statutis vel arbitrio Episcopi imponendis reprimitur.

II. *Officiis clericorum* repugnant :

1. *Excessus prælatorum et subditorum*, dum illi jurisdictionis suæ limites contra subditos excedunt, isti vero debitam prælatis subjectionem denegant.

2. *Abusus sacramenti Pœnitentiæ*, nempe, fractio sigilli sacramentalis, sollicitatio ad turpia, et absolutio complicis in peccato turpi.

DISSERTATIO II

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS

Agendum est : 1° de pœnis in genere ; 2° de pœnis in specie. 3° Tandem subjungetur expositio Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, in qua Pius IX recensuit censuras *latæ sententiæ* hodie vigentes.

CAPUT I

DE PŒNIS IN GENERE

879. — Pœna *late* sumpta est *justa delicti punitio*, seu malum passionis vel privationis illatum ob malum actionis positæ vel omissæ. — Stricte sumpta, prout infligitur in judiciis, definitur : *Delictorum coercitio ad rei emendationem, vel ordinis publici vindictam.*

Potestas infligendi pœnas competit Ecclesiæ, tum ex natura societatis perfectæ, tum ex voluntate Christi, qui ipsi, præter potestatem ferendi leges, contulit etiam potestatem judicandi et puniendi (2). — Exponemus : 1° pœnarum ecclesiasticarum varias species ; 2° conditiones requisitas ad pœnas infligendas.

ARTICULUS I

PŒNARUM ECCLESIASTICARUM VARIÆ SPECIES (3)

Pœnæ dividuntur ratione *subjecti*, *objecti*, *finis principalis*, *modi quo statuuntur*, et *modi quo incurruntur*.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, pars I, dissert. IV. — (2) Cf. tractat. *de Ecclesia*, apud theologos. — Leo XIII, encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXVII.

880. — I. *Ratione subjecti*, aliæ dicuntur *pœnæ communes*, quas scilicet incurrere possunt clerici et laici, v. g. excommunicatio, interdictum, privatio sepulturæ ecclesiasticæ ; aliæ sunt *pœnæ propriæ clericorum*, v. g. suspensio, privatio beneficiorum, depositio.

881. — II. *Ratione objecti*, pœnæ dividuntur in *spirituales*, quæ jus aut bonum aliquod spirituale adimunt, et ideo animam directe afficiunt ; et *temporales*, quibus aut bonum temporale subtrahitur (*pœnæ privativæ*), aut malum temporale infligitur (*pœnæ positivæ*). Pœnæ temporales quæ ad affligendum corpus ordinantur, *corporales* dici solent.

Potestas coercitiva Ecclesiæ exercenda est non solum pœnis spiritualibus verum etiam pœnis temporalibus. — Prob. 1. *Ex Ecclesiæ praxi.* Cum Ecclesia duplex forum habeat, nempe, internum et externum, atque ideo duplicem potestatem exerceat, plane sequitur eam non modo spiritualibus pœnis, sed etiam corporalibus uti posse. Sane temporales sunt et corpus afficiunt mulcta pecuniaria, flagella, carcer, exilium. Atqui pœnas hujusmodi semper ab Ecclesia inflictas fuisse constat (1). Imo Urbanus III (anno 1186) jussit imprimi characterem pro crimine falsi (2).

Prob. 2. *Ex conciliis generalibus et SS. Pontificibus.* Concilia Lateran. III (1179), et Lateran. IV (1215), pœnas temporales in hæreticos decernunt, v. g. confiscationem bonorum, perpetuum carcerem, solutionem subditorum a fidelitate dominis temporalibus debita. Potestatem infligendi pœnas hujusmodi confirmat Concilium Tridentinum (3).

Joannes XXII, Benedictus XIV, Pius VI et Pius IX damnarunt istas propositiones : « Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet... Ecclesiæ jus non competit violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi (4). »

Itaque hæc potestas infligendi pœnas temporales et corporis afflictivas auctoritate SS. Pontificum et conciliorum comprobatur. At vero quoties criminis enormitas ea est ut ecclesiasticæ coercitionis modum superet, Ecclesia, quæ mitiores pœnas adhibere solet, et præsertim abhorret a sanguine seu a morte et aliis pœnis mortis periculum inducentibus, criminosum (prius degradatum, si sit clericus) civili potestati debitis pœnis afficiendum tradit.

Ex eo quod Ecclesia nunquam per seipsam sententiam mortis aut mutilationis protulit aut executa est, multi inferunt *jus gladii* illi a Christo non fuisse collatum. Sed argumentum *ex perpetuo non usu* tantum eductum non est decretorium ; nam teneri potest nihil in jure divino obstare quin S. Pontifex et Episcopi per seipsos exerceant jus quod principibus catholicis exercendum committunt, et sola lege ecclesiastica Episcopos aliosque inferiores judices prohiberi ne pœnam capitalem aut mutilationem decernant.

882. — III. *Ratione finis principalis*, pœnæ dividuntur in *medicinales*, præsertim ad emendationem rei adhibitas, quales sunt pœnitentiæ et cen-

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum* lib. IV, tit. XVII. — (2) Decret. Greg. lib. V, tit. XX, cap. III. — (3) Sess. XXV, cap. III et XIX, *de Reformatione.* — (4) Joannis XXII const. *Licet juxta doctrinam*, contra Marsilium Patavinum. — Benedicti XIV const. *Ad assiduas.* — Pii VI bulla *Auctorem fidei.* — Pii IX *Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores*, et Litteræ *Quanta cura.*

suræ ; et *vindicativas*, quæ magis proprie dicuntur *pœnæ*, et potissimum infliguntur ad castigationem rei et ordinis publici reparationem.

1. Hujus partitionis ratio variis modis proponitur. *Primo*, tres sunt conditiones delinquentium : alii, sincero dolore correpti, confitentur crimen, ad legitimam peccatorum expiationem parati ; alii, contumaces, corripienti Ecclesiæ resistunt, de quibus tamen est probabilis spes quod brevi resipiscant ; alii demum pervicaces in crimine perseverant, sublata spe conversionis. Adversus pœnitentes *pœnitentiis*, adversus contumaces *censuris*, adversus obstinatos *pœnis vindicativis* Ecclesia regulariter animadvertit (1).

Secundo, delictis inest *corruptio* delinquentis, *contemptus* legum, et *contagio* mali exempli. Propterea triplex pœnarum genus in foro canonico locum habet, videlicet : *pœnitentiæ*, ad medelam confitentium ; *censuræ* ad tuendam auctoritatem Ecclesiæ, et contumaciam reorum frangendam ; *pœnæ vindicativæ* et *exemplares*, ad exemplum aliorum, ne et ipsi delinquant, quæ ideo etiam post emendationem rei infligendæ aut duraturæ sunt (2).

2. *Pœnitentia* sita est in piis operibus a peccatore aut sponte susceptis aut ipsi imperatis, v. g. jejunio, eleemosyna, oratione, peregrinationibus ; nam, præter pœnitentiam sponte susceptam, distinguitur pœnitentia sacramentalis, a sacerdotibus in foro interno imposita ; et pœnitentia publica, ab iis indicta qui jurisdictionem externam in Ecclesia exercent.

Censura et pœnitentia in eo conveniunt quod referuntur potissimum ad emendationem rei, dum pœna vindicativa respicit vindictam publicam. Differunt vero ab invicem pœnitentia, censura et pœna vindicativa, sive ratione diversorum ministrorum a quibus inducuntur, sive saltem quia pœnitentia cessat per satisfactionem aut indulgentiam, censura autem per absolutionem, et pœna per dispensationem seu benignam relaxationem, vulgo *gratiam*.

Hodie pœnitentia publica quoad maximam partem exolevit. Quapropter agendum est tantum de *censuris* et de *pœnis vindicativis*.

883. — IV. *Ratione modi quo statuuntur*, pœnæ sunt a jure, vel ab homine. Pœna *a jure* per legem ecclesiasticam statuitur pro futuris delictis ; pœna *ab homine* ex arbitrio judicis infligitur, sive in aliquem nominatim, sive generatim in contumaces ignotos per monitorium, tum per modum *mandati* quoad delicta futura, tum per modum *sententiæ* quoad delicta præterita. Pœna a jure semper justa est, sicut ipsa lex qua edicitur, et ideo præcluditur delinquenti remedium appellationis, juxta effatum : *A pœna juris non appellatur*.

884. — V. *Ratione modi quo incurruntur*, pœnæ sunt *latæ*, vel *ferendæ sententiæ* seu *comminatoriæ*. Pœna latæ sententiæ ipso facto seu delicti perpetratione, *quasi ex opere operato*, incurritur ; aliquando tamen intercedere debet, saltem pro foro externo, sententia declaratoria criminis commissi. Pœna ferendæ sententiæ, etiamsi lege statuta sit, non incurritur ante sententiam condemnatoriam.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, pars II, dissert. I. — (2) Zallinger, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXVII.

Ut perspiciatur quibus in casibus legislator pœnas latæ sententiæ indixerit, statuitur multiplex regula. Pœna latæ sententiæ agnoscitur tum ex formula excludente ulteriorem superioris interventum *(eo ipso, ipo jure, ipso facto)*, tum ex verbis præteriti temporis *(noverit se esse excommunicatum)*, tum ex modo indicativo *(suspenditur)*. Pœna ferendæ sententiæ agnoscitur sive ex verbis futuri temporis (*excommunicabitur*), sive ex modo imperativo quoties formula significat interventum Superioris *(suspendatur)* (1). Stante dubio circa vim formulæ, v. g. *in excommunicationem incidat*, pœna præsumitur ferendæ sententiæ, juxta regulam 49, in 6 decretalium : *In pœnis benignior interpretatio facienda est.*

ARTICULUS II

CONDITIONES REQUISITÆ AD PŒNAS INFLIGENDAS (2)

Conditiones hujusmodi sunt : *potestas*, *subjectum*, *objectum*, *proportio* inter pœnam et delictum, et *obligatio* subeundi pœnam.

885. — I. *Jus infligendi pœnas* competit tum legislatori, tum judicibus rite constitutis, secundum hierarchiam jurisdictionis.

De jure illo duo sunt attendenda :

1. Requiritur *jurisdictio externa ;* nam, excepta pœnitentia sacramentali, pœnæ ecclesiasticæ referentur ad forum externum.

2. Si pœna ferenda sit per modum sententiæ, insuper requiritur *ut judex sit intra proprium territorium*. Ratio est, tum quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium, tum quia generaliter prohibitum est in territorio alieno jurisdictionem contentiosam exercere, ne injuria Episcopo alienæ diœcesis inferatur. Excipitur, si Episcopus e sua diœcesi expulsus fuerit ; tunc enim, petita licentia Ordinarii loci, licet non obtenta, poterit in sibi subditos pœnam ferre cum strepitu judiciali.

886. — II. *Subjectum pœnæ* generatim est *homo vivens*, *delinquens* et *subditus*. Dicitur *homo*, nam bruta, sicut incapacia sunt culpæ, ita pœnam proprie dictam non patiuntur ; — *vivens*, nam mortui sublati sunt a potestate humana, excepto corpore, ratione cujus eis negari potest sepultura ecclesiastica ; — *delinquens*, eo quod pœna sequitur culpam personalem ; — *subditus* ferenti pœnam, quia punitio est actus jurisdictionis. Præterea, pœnæ canonicæ non subjacet nisi *baptizatus*, eo quod Ecclesia *non judicat de iis qui foris sunt*, teste S. Paulo (I *Cor.*, 12). Hinc hi duo versus :

> Iste viator erit, sacro baptismate lotus ;
> Sitque sui compos, liganti subditus esto.

887. — III. *Objectum pœnæ* sunt crimina quorum intuitu inferuntur.

1. Requiritur delictum *grave*, *externum* et *completum* in suo genere. Requiritur ut sit *grave*, sive ex se, sive ex circumstantiis, cum pœnæ ecclesiasticæ finis sit vindicta disciplinæ seu ordinis publici, qui non turbatur delictis sub omni respectu levibus. Itaque, si ob culpam levem inferantur, irritæ et nullæ sunt, nisi culpa ex objecto levis, ob circumstan-

(1) S. Alph., lib. VII, 7, 8. — (2) Giraldi, Schmalzgrueber, Pirhing, Fagnan. ad *Decretalium* lib. V, tit. XXXVII et XXXIX.

tias, v. g. ratione scandali vel periculi, gravis censeatur. Benedictus XIV, de censuris disserens, docet non solum excommunicationem, sed etiam suspensionem ad longum tempus et interdictum personale totale, nec valide propter culpam levem, nec prudenter propter lethalem quæ gravioribus non accenseatur, irrogari (1).

Requiritur ut sit *externum*, quia pœnæ spectant forum externum, in quo Ecclesia non judicat de internis ; ideo non sufficit quod sit interius grave et exterius leve.

Requiritur ut sit *completum in suo genere ;* etenim leges pœnales sunt strictæ interpretationis juxta proprietatem verborum. Igitur pœna non attingit eos qui tentaverunt crimen perpetrare, opere non consummato, neque illos qui consilio aut exemplo moraliter participes fuerunt criminis, si lex statuerit solum de criminis auctore. Pœna, præsertim censura, probabilius non incurritur, si delinquens, ante consummationem operis, pro posse suo revocet mandatum aut consilium, aut lædendum moneat ut sibi caveat, eo quod opus non sit formaliter malum ex parte ejus, tempore quo pœnæ subjacuisset. At, opere voluntarie completo, toties incurritur pœna, quoties committitur delictum cui pœna est annexa ; unde idem v. g. pluribus censuris similibus innodatur ob eamdem vel affinem causam.

2. Præterea, quando res est de censuris, culpæ accedere debet *contumacia* contra Ecclesiam aliquid formaliter prohibentem sub censura. Contumaces vero reputantur, non solum qui formaliter contemnunt præceptum aut monitionem Ecclesiæ, sed etiam qui, cum sufficienter noverint legem ecclesiasticam aliquid vetantem, et censuram qua sancita fuit, eam nihilominus culpabiliter violant, juxta illa verba Christi : « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Matth., XVIII, 17).

Hinc censuris obnoxium non est peccatum prohibitum solo jure divino ; etenim tale peccatum, nisi simul ab Ecclesia prohibitum sit, nullam continet inobedentiam et contumaciam contra potestatem ecclesiasticam. — Vide infra, n. 894.

Neque censura infligitur ob delictum mere præteritum, nempe, quod omnino cessavit et cum inobedientia præsenti non est conjunctum. Ratio est, quia censura, cum sit pœna medicinalis, fertur per se ad frangendam contumaciam. Atqui hæc contumacia non est in delicto mere præterito ; nam qui deliquit et satisfecit vel paratus est ad satisfactionem exhibendam non dicitur contumax. Id non intelligitur de peccato physice præterito, moraliter autem præsente, quia tunc in se vel in suis effectibus tractum successivum habet (2).

3. Circa necessitatem scientiæ legis ad incurrendam pœnam, hæc statui possunt :

Ignorantia etiam *invincibilis* solius pœnæ *per se* non eximit a pœna ordinaria et culpæ proportionata, quia ratio dictat delictum pro sua gravitate puniendum esse ; sed *per accidens* ab ea eximit, quia superior aliquando solam contumaciam aut ausum temerarium punire intendit. Ignorantia *invincibilis* legis mere positivæ a culpa simul et a pœna necessario excu-

(1) Benedictus XIV, *de Synodo diœcesana*, lib. X, cap. I et III. — S. Alph., l. VIII, n. 30. — (2) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. XXXIX.

sat; ejusdem vero ignorantia *vincibilis* nec a culpa nec a pœna liberat, quia est voluntaria in causa. Ignorantia legis positivæ qua sancitur lex naturalis, juxta quosdam non liberat a pœna, quia non tollit reatum; juxta alios probabilius liberat, quia lex ista positiva, qua sola statuitur pœna canonica, invincibiliter ignoratur (1).

In foro externo, scientia legis promulgatæ *præsumitur*. Unde pœna transgressionis semper subeunda est, nisi probetur ignorantia legis. Cum autem vix unquam possit probari, hanc regulam in 6° Decretalium (n. 13) posuit Bonifacius VIII : *Ignorantia facti, non juris excusat.* Sed in foro conscientiæ nemo tenetur exequi pœnam culpæ mere materialis, modo absit scandalum.

888. — IV. *Proportio inter pœnam et delictum* servanda est, ne committatur injustitia. Hæc proportio lege determinatur, vel a judice taxatur ex qualitate tum personæ læsæ, tum personæ lædentis, ex adjunctis loci et temporis, ex qualitate delicti, et ex gradu moralitatis delicti subjective spectati (2).

889. — V. *Obligatio subeundi pœnas* quatuor regulis determinatur (3):

1. Pœna *ferendæ sententiæ* non incurritur ante sententiam condemnatoriam judicis, quia lex illam statuens est comminatoria tantum.

2. Pœna medicinalis *latæ sententiæ* conscientiam ligat ante sententiam judicis. Unde in foro interno censura latæ sententiæ incurritur ipso momento quo crimen consummatur.

Pariter, ante sententiam observandæ sunt *irregularites* et *inhabilitates* ad contrahendum matrimonium. Ratio est, quia ordinatio et matrimonium prærequirunt immunitatem ab impedimentis.

3. Ad cæteras pœnas quod attinet, distinguendum est :

Pœna *positiva* et pœna *privativa juris plene quæsiti*, etiamsi ipso jure incurrantur, ante sententiam judicis non afficiunt delinquentem, nisi lex addat : *alia declaratione non secuta.* Ratio est, quia in pœnis benignior interpretatio est facienda. Atqui fragilitati humanæ nimis durum et contrarium est, ut quis vel se ipsum offerat ad pœnam positivam, vel pœnam proprie privativam in se exerceat. Proinde requiritur sententia *criminis declaratoria ;* qua pronuntiata, pœna censetur cum crimine initium sumpsisse. Attamen actus eliciti a tempore criminis usque ad sententiam non irritantur, sed validi fuerunt et manent, ob errorem communem cum titulo colorato.

Pœna privativa *improprie dicta*, quæ privat jure nondum quæsito, ipso facto incursa, producit suos effectus et in conscientia subeunda est ante sententiam declaratoriam. Ratio est, quia hujusmodi pœna est negatio favoris; conditione autem deficiente, eo ipso deficit favor sub conditione concessus.

4. In dubio sive juris sive facti an incursa fuerit aliqua pœna, post diligentem inquisitionem perdurante, delinquens potest se habere ut immunem, eo quod nemo jure suo spoliandus sit ob causam incertam.

(1) S. Ligor., l. VII, n. 350. — (2) Schmalzgrueber, Zallinger ad *Decretalium* lib. V, tit. XXXVII. — (3) S. Alph., lib. I, 148-149.

Nota. — Ut perimat actionem pœnalem et sic declinet a pœna per judicem infligenda, accusatus aliquando potest in judicio opponere præscriptionem. Porro quoad tempus ad præscriptionem inducendam necessarium, regula generalis est : actionem injuriarum spatio unius anni præscribi, crimen peculatus et delicta carnis simplicia spatio quinque annorum, cætera vero crimina spatio viginti annorum a die delicti commissi vel revelati, si fuerit totaliter occultum. Nunquam vero præscribitur quoad crimina parricidii, assassinii, duelli, apostasiæ, hæresis, simoniæ, abortus, sodomiæ, etc., quorum rei possunt inquiri quamdiu vivunt (1).

CAPUT II

DE PŒNIS IN SPECIE

In duplici articulo agemus : 1° de censuris ; — 2° de pœnis vindicativis.

ARTICULUS I

DE CENSURIS (2)

Proœmium de censuris generatim, in quo declarantur earum natura, subjectum, causa efficiens, forma, causæ excusantes, effectus communes et cessatio.

890. — I. *Censuræ definitio.* — Censura, sic dicta ad instar pœnarum quas *censores* populi Romani infligebant ad emendationem civium, definitur : *pœna spiritualis et medicinalis, qua potestas ecclesiastica baptizatos, propter delictum et contumaciam, privat usu quorumdam bonorum spiritualium, donec a contumacia recedant.*

Ex jam dictis de pœnis in genere infertur censuras medium locum tenere inter pœnitentias et pœnas vindicativas, et omnino diversas esse ab irregularitatibus, quæ per se non sunt pœnæ, sed meræ inhabilitates.

Censura dicitur 1° *pœna spiritualis*, quia directe animam afficit, et delinquentem primario privat bonis spiritualibus, quamvis etiam bonis temporalibus quandoque privet.

Dicitur 2° *privat usu quorumdam bonorum spiritualium seu supernaturalium ;* censura enim non privat bonis mere internis, quæ potestati Ecclesiæ non subjiciuntur, sed bonis externis, quorum dispensatio Ecclesiæ commissa est, uti sunt sacramenta, sacrificium, officia divina, publica suffragia, et generatim externa communio Sanctorum. Unde privatio bonorum temporalium, quando consequitur censuram, est illius effectus secundarius et contingens.

Dicitur 3° *pœna medicinalis.... donec a contumacia recedant.* Præcipua quippe censuræ nota, per quam a pœnis vindicativis distinguitur, est ut ordinetur ad sanationem delinquentis. Inde colligitur censuras non esse perpetuas, sed permanere tantum donec reus emendetur et satisfactionem præstet. Unde, illius emendatione secuta, censura ferri non potest, et, si jam lata fuerit, statim peccator absolvendus est (3).

Non tamen repugnat suspensionem et interdictum infligi per modum

(1) Resp. S. C. Concil., 21 mart. 1898. — (2) Cf. Institutiones Alphons. n. 1249-1311. — (3) S. Alph., lib. VII, 1-5.

pœnæ vindicativæ; sed tunc feruntur in perpetuum, vel ad tempus determinatum (1).

891. — II. *Subjectum censuræ.* — Censura fertur in *fidelem* seu *baptizatum, rationis et doli capacem, viatorem* et *subditum* (2).

Inde plura deducuntur :

1. Aliqui censuris non coercentur, videlicet : *infideles*, qui nequeunt iis juribus privari quibus sola membra Ecclesiæ potiuntur; *infantes* et *amentes*, qui præcepti et doli seu peccati non sunt capaces.

At impuberes usu rationis prædíti, cum nullibi excipiantur, sicut capaces sunt doli, ita et censuræ. « Advertendum tamen, ait S. Alphonsus (3), quod censuræ generaliter latæ a jure vel ab homine non incurrantur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege. » Hæc legis interpretatio communis est, et nititur in praxi Ecclesiæ. Unde censuris a jure plectuntur tantum pro violatione clausuræ monialium, et probabiliter pro percussione clericorum.

2. Aliqui non sunt obnoxii omnibus censurarum speciebus ; nam clericos tantum afficit suspensio, dum interdictum et excommunicatio clerum et populum respiciunt.

Præterea, integra communitas etiam *ab homine* interdici vel suspendi potest; collegia vero non excommunicantur. Ratio est, quia excommunicatio censetur gravissima pœna, plurimisque bonis spiritualibus privat; quapropter innocentes ea ligari non debent, sed tantum auctores sceleris. Suspensio vero vel interdictum capituli aut alterius collegii, erga innocentes habetur ut simplex privatio, sine censura.

3. Censuris non subjacent qui non sunt subditi jurisdictioni ferentium illas. Hinc censura ligari nequit Summus Pontifex, qui superiorem in terris non habet (4). — Ex speciali privilegio (5), Episcopi non ligantur censura suspensionis vel interdicti generaliter lata, nisi expressa ipsorum mentio fiat; sed hoc privilegium ad excommunicationem extendi communiter negatur, quia neque sacri canones neque consuetudo præscripta illud sic interpretantur. — Reges et Reginæ jamdiu, ob supremam eorum dignitatem, censurari non possunt ab Episcopis, sed id sibi reservat Summus Pontifex. — Pariter, Regulares exempti, paucis exceptis casibus, ab Episcopis non censurantur, ob exemptionem.

Episcopus non potest censuris ligare peregrinum in sua diœcesi commorantem, nisi iste per accidens ratione delicti forum in ejus territorio sortiatur et citatione saltem præveniatur ante discessum. Si censura sit lata generaliter pro territorio, diœcesanus extra territorium delinquens eam non incurrit, nisi moraliter sit præsens, sicut v. g. parochus absens censetur contra residentiam delinquere in sua parochia. Si vero censura lata sit personaliter, sequitur personam et ideo extra territorium probabilius incurritur.

Regulares a suis superioribus ubique plecti possunt censuris, quia eorum jurisdictio est omnino personalis.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, pars II, dissert. III. — (2) S. Alph., lib. VII, 13-28. — (3) S. Alph. lib. VII, n. 14. — (4) S. Alph., lib. I, 121; lib. VII, 15. — Bellarminus, *de Summo Pontifice*, lib. II. — (5) In 6, *de Sentent. excommunic.*, cap. *Quia periculosum.*

892. — III. Ad *potestatem ferendi censuras* tria referuntur :

1. Ejusmodi potestas Ecclesiæ competit. Continetur quippe in generali potestate ligandi ipsi a Christo data (1), quam sic intellexerunt Apostoli, v. g. S. Petrus excommunicando Simonem Magum (2), et S. Paulus excommunicando incestuosum Corinthium (3); eamque confirmat praxis perpetua Prælatorum et Conciliorum. Etenim, sicut in aliis societatibus, ita maxime in Ecclesia, salutis et sanctitatis filiorum procurandæ sollicita, necessaria est potestas separandi membra noxia a corpore, vel iis subtrahendi certa officia et functiones. Ergo illam potestatem Christus Ecclesiæ dedit, scilicet, cum Apostolis eorumque successoribus concessit potestatem clavium seu ligandi et solvendi.

2. Hæc potestas jure divino ad Rom. Pontificem atque ad Episcopos pertinet. S. Pontifex in omnes christianos censuris animadvertere potest ; Episcopus autem in eos tantum qui sibi subditi sunt et intra fines diœcesis suæ delinquunt.

Jure ecclesiastico, potestatem illam participant tum collegia, tum singuli clerici qui in foro externo et contentioso jurisdictionem exercent, sive ordinariam sive delegatam ; ista enim jurisdictio est delegabilis. Censuras ergo ferre possunt legati, vicarii generales, concilia, prælati et capitula regularium, etc., non autem parochi.

3. Ab ipsa potestate distinguitur prudens usus illius. Ideo in infligendis censuris moderationem sic commendat Concilium Tridentinum : « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est ; cum experientia doceat, si temere aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem (4) ».

893. — IV. *Forma et solemnitates in ferenda censura observandæ*. — Quædam solemnitates præcedunt, aliæ comitantur, aliæ tandem subsequuntur sententiam (5).

1. Quod attinet ad *monitionem* prævíam seu declarationem censuræ incurrendæ pro tali delicto, attendenda est distinctio censurarum *latæ* et *ferendæ* sententiæ.

Si censura fertur *judicialiter* per modum sententiæ, requiritur certe ad liceitatem, et probabilius ad validitatem, triplex monitio canonica, interposito aliquot dierum intervallo, vel una *simplex* seu *peremptoria*, scripto et juridice denuntianda, coram testibus, assignato termino intra quem reus deliberet an velit a contumacia recedere ; quo elapso, citatur coram judice, et, nisi ad sui defensionem afferat legitimam exceptionem, censura plectitur (6).

Si censura fertur *legaliter* per modum statuti, ut ipso facto incurratur, sufficit legem rite promulgatam fuisse, nullaque requiritur prævia monitio a judice facienda, eo quod lex ipsa est solemnis et continua monitio. — Verumtamen, quidam videntur censuras latæ sententiæ minime pro-

(1) Matth., XVI et XVIII. — (2) Act., VIII, 12. — (3) I Cor., V. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. III, *de Reform.* — (5) Cf. S. Alph., lib. VII, 51-67. — (6) In 6, *de Sent. excommun.*, cap. 9.

bare, quandoquidem illæ sine monitionibus, sine testibus, sine ulla defensione pœnam irrogant; quod profecto ab æquitate alienum esset. At qui hæc opponunt, disciplinam Ecclesiæ exploratam non habent; cum enim, ex regula juris, *nemo puniendus sit nisi probetur reus*, nulla in foro externo pœna irrogatur, nisi postquam sententia saltem declaratoria criminis prolata fuerit. Antea vero citandus est reus, ut valeat se defendere, quando delictum et contumacia non sunt notoria; juris enim principium est : *Contra inauditam partem non est sententia ferenda.*

Si suspensio vel interdictum fertur, non quidem ut vera censura, sed per *modum pœnæ vindicativæ*, nulla requiritur prævia monitio; nam ad vindictam sufficit delictum præcessisse (1). Pariter, non requiritur monitio, si feratur per modum præcepti particularis, ad quod sufficit voluntas superioris ore tenus intimata.

2. Judex sententiam censuræ fert *in scriptis* (2), die non feriato, cum expressione nominis rei, ejus criminis et pœnæ, et intra mensem censurato tradit exemplum hujus scripturæ, si fuerit ab eo requisitum. Scriptura non requiritur quidem ad valorem, sed ut pateat justitia censuræ. Attamen, si prælatus solo verbo v. g. dicat sacerdoti : *te suspendo a confessionibus*, simplex prohibitio ferri censetur, non censura, quæ licite non decernitur nisi scripto ; prælatus enim non præsumitur velle peccare.

Si vero censura a lege feratur, sufficit ut rite promulgetur illius incursio, post sententiam declaratoriam.

3. *Denuntiatio* seu publica declaratio aliquando subsequitur prolationem censuræ. Nullum datur generale præceptum denuntiandi eos qui censuras incurrunt; hoc relinquitur prudentiæ superioris. Aliquando enim expedit denuntiare, aliquando vero (hodie communissime) denuntiatio prudenter omittitur (3). Si facienda æstimetur, judex servat modum in regione usitatum, vel alium sibi bene visum eligit, v. g. affixionem ad valvas Ecclesiæ.

894. — V. *Causæ excusantes ab incurrenda censura* expenduntur (4). — 1. Præcipua ejusmodi causa est, si ex parte ferentis censuram deficiat *jurisdictio*, eo quod vel remotus sit ab officio, vel ab eo legitime appellatum fuerit, antequam censuram sive lege sive sententia judiciali tulerit, vel ab eo aliquid formæ necessariæ omissum fuerit.

2. Excusat *imperfectio actus* qui attentatur sine consummatione, cum requiratur peccatum ita in suo genere completum, ut effectus a lege prohibitus sequatur.

3. Impuberes excusantur, nisi lex eos attingat expresse. Contestantibus omnibus canonistis, Ecclesia erga eos utitur hac indulgentia, propter debilitatem ætatis et imperfectam deliberationem.

4. Qui liber est a culpa mortali, eo ipso a censura eximitur : — In utroque foro excusat *innocentia* notoria, scilicet, cum manifeste judex sua potestate abutitur. Si quis vero sit innocens in foro interno, et probetur nocens in foro externo, censura non ligatur in conscientia ; at in foro

(1) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. XXXIX. — (2) Cap. *Cum medicinalis, de sent. excommunicationis*, in 6. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX. — (4) S. Alph., lib. VII, 42-51.

externo tenetur se gerere velut censura ligatum, donec juridice innocens declaretur, tum ratione periculi male judicandi in propria causa, tum ratione ordinis publici, requirentis amoveri scandalum et illæsam servari superioris auctoritatem.

5. Excusat *ignorantia* censuræ, sive invincibilis sit, sive etiam leviter culpabilis. Ratio est, quia censuræ sunt pœnæ contra solos contumaces latæ, ut patet ex definitione ; atqui, stante ignorantia, non adest contumacia seu contemptus legis ecclesiasticæ. Proinde a censura eximit invincibilis ignorantia sive legis crimen prohibentis, sive facti circa quod versatur lex, sive censuræ delicto appositæ. Imo communiter docent canonistæ cum theologis, ignorantiam graviter vincibilem, etiam crassam, non tamen affectatam, a censuris excusare, quando lex requirit ut reus statutum violaverit *scienter, ex temeraria præsumptione*, quia abest scientia postulata. Si fuerit affectata, disputatur, et communius negatur, eo quod talis ignorantia, utpote in se volita, dolum includat et scientiæ æquivaleat.

6. Generatim excusat *metus gravis*. Ratio est, tum quia sic delinquens non reputatur contumax, tum quia ejusmodi metus excusat ab observatione legis ecclesiasticæ, nisi præceptum ecclesiasticum tanti sit momenti ut cum periculo mortis observandum sit, vel nisi quis in contemptum Ecclesiæ compellatur aliquid facere sub censura prohibitum ; in his quippe casibus, non excusatur a censura delicto annexa, cum non excusetur a peccato inobedientiæ (1).

895. — VI. *Censurarum effectus communes* sunt duplicis generis : vel enim ab ipsis censuris producuntur, vel ex violatione censuræ proficiscuntur.

1. Hi sunt effectus *communes ipsius censuræ :*

Primo, censuræ ligant etiam apud Deum, dummodo validæ sint. Id constat ex damnatione istius propositionis Lutheri a Leone X : *Excommunicationes sunt tantum pœnæ externæ ;* et verbis ipsius Christi : *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.*

Secundo, appellatio interposita post sententiam censuræ habet effectum devolutivum, non suspensivum, id est, cognitio causæ devolvitur quidem ad judicem superiorem, non tamen interim sententiæ executio suspenditur, nisi agatur de suspensione a beneficio, vel de sententia declaratoria criminis propter quod censura a jure incurritur (2).

Tertio, qui in una diœcesi est censura notatus, ab aliis Episcopis in Ecclesiæ universa ut censuratus habetur. Ratio est, quia censuræ privant bonis Ecclesiæ, quæ eadem sunt ubique terrarum, et ideo, ut aiunt Canonistæ, *personaliter inhærent ossibus censuratorum*, ubicumque sint.

Quarto, qui cum eo qui censura notatus est et denuntiatus, communicat in iis quæ per censuram prohibentur, aliquando et ipse aliqua censura coercetur (3).

2. Supersunt alii effectus, qui *ex violatione censurarum* oriuntur. In hac re tribus modis delinquitur :

(1) Stremler, *des Peines ecclesiastiques*, pars I, sect. IV. — (2) In 6, *de Sent. excommum.*, cap. XX. — Pii VI bulla *Auctorem fidei.* — (3) Cf. Const. *Apost. Sedis*, Excomm. ser. II[a], XVI, XVII, infra, n. 966, 967.

Primo, qui per annum contumax in censura persistit, præcipue si de excommunicatione agatur, dicitur *insordescens*, et tanquam suspectus de hæresi judicatur (1), quia præsumitur male sentire de potestate Ecclesiæ. Ideo non fruitur gratia absolutionis, quæ in rescriptis pontificiis solet indulgeri ea obtinentibus.

Secundo, qui post censuram inflictam adhuc in eodem crimine perseverat, gravioribus censuris aut aliis pœnis plectendus est.

Tertio, clericus qui propriam censuram violat per actum ordinis sacri, irregularitatem incurrit.

896. — VII. *Absolutio a censuris* fit juxta regulas sequentes (2):

1. Censura nondum inflicta deletur tum abrogatione legis, vel revocatione præcepti, tum appellatione a sententia comminatoria, tum discessu vel decessu ferentis præceptum.

2. Censura inflicta non cessat sola emendatione delinquentis, nec ejus morte, nec mutatione loci, sed exclusive per absolutionem a legitimo superiore certo datam, sive in foro externo, sive in foro interno, sive viva voce, sive scripto, sive absolute, sive sub conditione, juxta circumstantias et facultates absolventis (3). Aliquando tamen suspensio et interdictum ad tempus definitum infliguntur, quo elapso finem accipiunt, quia pœnæ vindicativæ rationem habent.

Ad majorem securitatem, ut omnis causa dubitationis removeatur, absolutio *ad cautelam* tribui solet sive ab Apostolica Sede, in conferendis beneficiis et gratiis; sive a sacerdotibus, in administrando Pœnitentiæ sacramento; sive a judice *in limine litis*, ad hoc tantum ut reus possit in judicio se defendere. Sed absolutio ad cautelam non producit effectum, nisi pro negotiis quorum causa conceditur.

Absolutio *ad reincidentiam* datur ad certum tempus, quo elapso censura reviviscit, seu potius similis ipso facto incurritur, si reus nondum rite executus est sibi imperata a jure vel ab homine.

3. A censura quæ *ab homine* seu a judice ecclesiastico per sententiam particularem fertur, absolvere solus potest ille qui tulit eam, vel ejus successor, vel superior, vel delegatus. Etenim, regulariter ejusdem est solvere, cujus fuit ligare.

Quod attinet ad censuram sententia generali aut jure latam in personas indeterminatas, vel reservata est, vel non reservata. — Si non sit reservata, relaxari potest non solum ab Episcopo in utroque foro, sed etiam in foro interno ab omni sacerdote approbato. Id constat ex forma absolutionis sacramentalis et hac Innocentii III declaratione : « Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi (4). » In hoc censura prorsus differt ab irregularitate et pœna vindicativa sive perpetua, sive ad tempus præfixum, quæ ex natura sua sunt reservatæ, et a solo superiore a quo vim habent vel ab ejus delegato tolluntur, non quidem per absolutionem, sed

(1) *Decretalium* lib. V, tit. 7, cap. XIII, *de Hæreticis*. — Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. III, *de Reform.* — (2) S. Alph., lib. VII, 69-115. — Inst. mor., Alph., 1274 et seqq. (3) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. IV, tit. XXI. — (4) *Decretalium* lib. V, tit. XXXIX, cap. XXIX, *de Sententia excommun.*

per dispensationem. — Si censura sit *reservata*, non tollitur nisi ab illius auctore vel successore, superiore vel delegato; nam inferior nequit relaxare præceptum superioris. Verum, etiam in iis quæ S. Pontifici reservatæ sunt Episcopus interdum suam potestatem exercet, quatenus ex Conc. Tridentino (cap. *Liceat*) suos subditos absolvit a casibus occultis S. Pontifici reservatis, non tamen speciali modo.

Attamen, in articulo mortis cessat omnis reservatio censurarum (1). — Vide infra (n. 1005-1009) et tract. *de Pœnitentia*, apud theologos.

4. *Forma, ritus et conditiones* absolutionis a censura (2). — *Forma* substantialis in jure non præscribitur, sed sufficit quæcumque voluntatis absolvendi declaratio, nisi delegans aliter statuerit.

Ritus servandus in foro externo habetur in Pontificali et Rituali Romano. Illius omissio absolutionem non reddit invalidam neque graviter illicitam, etsi expediat regulariter prædictas cæremonias observari. — In foro interno, confessarius sine addito adhibet formam communem absolutionis : *Ego te absolvo ab omni vinculo, etc.*

Conditiones. — Ex parte absolventis, præter potestatem et libertatem, regulariter requiritur ut in causa principali non decipiatur. — Ex parte rei, requiritur ut absolutionem postulet, et prius Ecclesiæ pro posse satisfecerit. Præsentia autem ejus non est absolute necessaria, ut absolvatur in foro externo, nam sicut absens potest per litteras excommunicari, ita et absolvi; regulariter tamen expedit eum esse præsentem, tum ob reverentiam censurarum, tum ob majorem humilitatem testificandam (3). Cum inter censuras non existat necessaria connexio, et reus possit satisfacere pro uno delicto, quin satisfaciat pro aliis, nihil per se impedit quod ab una aut pluribus absolvatur, aliis irretitus manens.

Absolutio a censuris separari potest ab absolutione a peccatis, et concedi ab eo qui non est sacerdos; nec limitatio delegationis *pro foro conscientiæ* cogit ut fiat in confessione sacramentali, sed significat absolutionem non prodesse in foro externo. Igitur confessarius delegatus poterit reum absolvere a censuris, si expediat eum statim absolvi, nec absolutio sacramentalis simul ei concedi possit.

His præmissis, de triplici censurarum specie agendum est, videlicet : 1° de excommunicatione; — 2° de suspensione; — 3° de interdicto.

§ 1. — *De excommunicatione* (4).

897. — 1. Nomen *excommunicationis*, olim ad censuras universas significandas usurpatum, postea contractum fuit, et exclusive designat censuram omnium gravissimam, a suspensione et ab interdicto distinctam.

Anathema exsecrationem addit, et significat vel excommunicationem latam in hæreticos (5), vel solemnitates et cæremonias quæ in ferenda excommunicatione quandoque adhibentur, ad majorem terrorem aliorum, v. g. extinctionem candelarum.

(1) Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. VII, *de Pœnitentia*. — (2) S. Alph., lib. VII. 116-132. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX. — (4) S. Alph., lib. VII, 128-146. — (5) Concilium Tridentinum, in canonibus dogmaticis.

II. Excommunicatio definitur : *censura privans christianum communione Ecclesiæ*, id est, omnibus bonis et juribus quæ subjacent jurisdictioni et dispensationi Ecclesiæ. Præter istam excommunicationem, quæ *major* appellari consuevit, olim incurrebatur etiam, ob communicationem illicitam in civilibus cum excommunicato vitando, excommunicatio *minor*, quæ privabat usu sacramentorum et electione passiva ad dignitates ecclesiasticas et beneficia, atque tolli poterat a quolibet confessario ; sed per Const. *Apostolicæ Sedis* (1869) implicite sublata est, quatenus prætermissa in recensione omnium censurarum latæ sententiæ, ut constat ex responso *S. Officii* (10 decemb. 1883). Unde deinceps sola viget excommunicatio major.

Dicetur : 1° de effectibus excommunicationis in excommunicato ; — 2° de communicatione fidelium cum excommunicatis.

I. — De effectibus excommunicationis in excommunicato.

Hi effectus sunt : 1. Privatio sacramentorum et aliorum bonorum spiritualium fidelibus communium ; — 2. Privatio officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ; — 3. Privatio communionis politicæ.

1. — *Privatio sacramentorum et aliorum bonorum spiritualium* (1).

898. — Excommunicatio *privat* bonis spiritualibus inter fideles communibus, videlicet :

I. *Activo et passivo usu sacramentorum*, extra mortis articulum aut gravis incommodi metum, propter quem legis ecclesiasticæ vis suspendatur. Unde, regulariter loquendo, excommunicatus recipiens sacramenta mortaliter peccat ; clericus vero in excommunicatione ministrans sacramenta, fit insuper irregularis. Attamen usus *Sacramentalium* non prohibetur excommunicato.

II. *Sacrificio missæ*. Nisi ob ignorantiam vel ob grave damnum vitandum excusetur, peccat mortaliter excommunicatus assistens sacrificio missæ. Si denuntiatus sit, expelli debet, aut sacrificium ante canonem abrumpitur, etiam die festo ; inchoato canone, maxime perfecta consecratione, proceditur usque ad communionem inclusive, solo ministro remanente, et reliqua in sacristia vel alio loco decenti peraguntur.

III. *Divinis officiis*, ut publica Horarum recitatione, processionibus, etc. Attamen a privata recitatione Horarum non eximitur excommunicatus, sola salutatione *Dominus vobiscum* ei interdicta.

IV. *Communibus Ecclesiæ suffragiis*. Unde non licet Missæ sacrificium et communes Ecclesiæ orationes publice et nominatim pro excommunicatis offerre, neque indulgentias eis concedere. Suffragia autem et orationes, imo missæ privatim offerri possunt pro conversione excommunicati, quia hæc non sunt bona communia Ecclesiæ, quibus privatur. Præterea, quandoque regibus hæreticis nominatim applicari suffragia indulget S. Pontifex.

(1) Zallinger, *Institutiones juris ecclesiatici*, lib V, tit. XXXIX.

V. *Ingressu ecclesiæ*, tempore quo divina celebrantur ; aliis vero temporibus potest excommunicatus in templo privatim orare.

VI. *Sepultura ecclesiastica*, nisi excommunicatus ante mortem pœnitentiam egerit et saltem post mortem absolutus fuerit. Alioquin locus sacer pollueretur et reconciliandus esset, cadavere alibi asportato.

2. — *Privatio officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum* (1).

899. — I. Excommunicatus fit *incapax obtinendi beneficium* ecclesiasticum, ita ut provisio sit ipso jure nulla ; beneficiis vero antea obtentis non privatur, nec illorum fructibus, ante sententiam judicis, quia neutrum in jure clare exprimitur. Fructus tamen non facit suos, nisi per se aut per alium officia impleat ; et ipso beneficio a judice privari potest, si intra annum non postulet absolutionem.

II. Quod attinet ad *jurisdictionem*, excommunicatus privatur illius usu, ita ut *licite* eam exercere non possit. Quoad *validitatem* actuum jurisdictionis, hoc discrimen adest inter excommunicatum vitandum et toleratum : jurisdictio ecclesiastica excommunicato *vitando* est omnino adempta, et invalidi sunt illius actus ; dum excommunicatus *toleratus* valide exercet jurisdictionem. Ratio est, quia Ecclesia fidelibus permittit communicationem tum in divinis, tum in humanis, cum excommunicatis toleratis, et eo ipso illis relinquit jurisdictionem, qua apti sint ad hanc cum fidelibus communicationem.

III. Excommunicatio privat *facultate concionandi et publice legendi theologiam aut jus canonicum* saltem excommunicatos vitandos. Attamen excommunicatis permittur ut conciones et lectiones sacras pro sua conversione audiant.

IV. Rescriptum S. Pontificis ab excommunicato obtentum absque absolutione est ipso jure nullum, etiam in foro conscientiæ.

3. — *Privatio communionis politicæ* (2).

Sub eo titulo duo comprehenduntur, nempe : 1. communicatio forensis, id est, in iis quæ pertinent ad judicium sive ecclesiasticum, sive etiam civile, ubi admittitur regula canonica ; 2. societas civilis.

900. — I. *Privatio communicationis forensis.* — In judiciis, excommunicatus vitandus non potest esse judex, actor, advocatus, testis, etc. Si autem sit reus, non arcetur a judicio, ac proinde ipsi permissa est defensio propriæ causæ.

Excommunicatus toleratus, stans in judicio, valide agit ; sed repelli potest, a reo allegata et probata exceptione excommunicationis.

II. *Privatio societatis civilis.* — Actiones civiles in quibus regulariter interdicitur consortium cum excommunicato, hoc versiculo comprehenduntur :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os significat omne colloquium, litteras, munera et alia benevolentiæ

(1) Stremler, *des Peines ecclésiastiques*, part. I, sect. IV. — Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX. — (2) Pirhing, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX, *de Sententia excommunicationis*

signa ; *orare*, quamlibet communicationem in divinis officiis. Per verbum *vale* prohibetur honorifica salutatio non necessaria, qua indignus est excommunicatus. Nominibus *communio* et *mensa* intelligitur quælibet societas in negotiis peragendis, in habitatione, in convictu ; sumptio vero cibi in eodem diversorio et ad eamdem mensam per se non comprehenditur, quia ibi sine societate quisque sibi intendit.

III. Universi effectus excommunicationis his versibus recensentur :

Res sacræ, ritus, communio, crypta, potestas,
Prædia sacra, forum, civilia jura vetantur.

IV. *Causæ excusantes* excommunicatum actus sibi prohibitos exercentem :

1. Propter necessitatem, v. g. in periculo mortis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, excommunicato licita est non solum communicatio civilis, verum etiam susceptio et administratio sacramentorum ; etenim in his casibus arduis Ecclesia non censetur obligare.

2. Ut excommunicatus toleratus administret sacramenta, sufficit petitio fidelium.

II. — De communicatione fidelium cum excommunicatis

Datur : 1. Facultas communicandi cum excommunicatis *toleratis ;* 2. Obligatio vitandi communicationem cum excommunicatis *non toleratis*.

1. — *Facultas communicandi cum excommunicatis toleratis* (1).

901. — I. Distinctio inter excommunicatos toleratos et vitandos inducta est a Martino V in Concilio Constantiensi (2). Fideles exinde possunt saltem in civilibus licite communicare cum excommunicatis omnibus, nisi sint notorii clericorum percussores, vel nominatim et publice denuntientur per sententiam judicis ; attamen non tenentur cum eis communicare, imo sæpe tales vitare expedit, tum ad significandum horrorem criminis, tum ad eos salutari pudore suffundendos et ad pœnitentiam efficacius adducendos. Adsunt etiam circumstantiæ peculiares, in quibus excommunicati, præsertim hæretici, ratione periculi seductionis aut scandali vitari debent.

Nullus favor ipsis excommunicatis a Martino V concessus est, ut communioni fidelium se ingerere possint ; sed ex consuetudine nunc ubique vigente licet eis communicare cum fidelibus, nisi fuerint publice denuntiati (3).

II. Ex constitutione Martini V inferuntur plura corollaria :

Primo, fideles ab excommunicato tolerato postulare possunt sacramentorum administrationem, nisi alium sine notabili incommodo valeant adire, quia ab Ecclesia non prohibentur, nec cum detrimento animæ suæ tenentur ex caritate declinare a ministrante indigne.

Secundo, excommunicatus toleratus, modo sit in statu gratiæ, sacramenta licite administrare potest, quoties rogatur a fidelibus, quia jurisdictionis usu erga legitime petentes non est privatus.

(1) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. v, tit. xxxix. — (2) Martini V const. *Ad evitanda scandala*. — (3) Cf. Inst. mor., Alph., n. 1294-8.

Tertio, excommunicatus toleratus, si divinorum administrationi se ingerat sine petitione fidelium, graviter peccat et irregularitatem incurrit, quia per actum ordinis sacri sponte censuram suam violat.

2. — *Prohibita communicatio cum excommunicatis non toleratis* (1).

902. — I. Fideles tenentur vitare communicationem cum excommunicatis non toleratis, quales sunt personaliter denuntiati. — Ista communicatio regulariter non excedit peccatum veniale, exceptis casibus sequentibus :

1. Si fidelis publice communicet in rebus divinis, peccat mortaliter, quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi.

2. Si quis cum excommunicato nominatim a Papa communicet *in crimine criminoso*, id est, propter quod iste excommunicatus est, majorem excommunicationem incurrit, Papæ simpliciter reservatam.

3. Si clericus cum excommunicatis nominatim a Papa scienter ac sponte in divinis communicet et ipsos in officiis recipiat, incurrit majorem excommunicationem Papæ simpliciter reservatam. — Vide infra, n. 966 et 967.

4. Peccatum potest etiam fieri mortale ob contemptum prohibitionis, scandalum et periculum seductionis.

II. *Exceptiones.* — Non obstante regula generali, communicatio in profanis cum excommunicatis vitandis quandoque licita est, suadentibus justis causis, quæ hoc versiculo exprimuntur :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1. Excusat *utilitas* tam spiritualis quam corporalis, ex qua v. g. licet salutaria monita dare, eleemosynam facere aut petere, debitum exigere.

2. Excusat *lex* seu obligatio matrimonialis, ita ut conjuges libere secum habitent, nisi per divortium sint separati, vel excommunicationis causa sit dubium de validitate matrimonii.

3. Excusat *humile* seu humilitas subjectionis, ex qua filius cum patre, servus cum domino, miles cum duce, subditi generatim cum superioribus communicare coguntur.

Eadem facultas ad parentes, dominos et superiores extenditur, ut possint cum filiis, servis aut subditis excommunicatis communicare. Ratio est, quia societatem ejusmodi vitare moraliter nequeunt.

4. Excusat *ignorantia* sive juris sive facti, modo non sit affectata.

5. Denique excusat *necessitas* spiritualis vel temporalis, sive ipsius excommunicati sive aliorum, modo sit gravis (2). Necessitati autem æquiparatur metus gravis injuste incussus.

903. — *De Monitorio.* — Olim vigebat usus, qui nunc generaliter obsolevisse videtur, provocandi sententiam excommunicationis ad finem revelationis, quæ *Monitorium* appellatur. Est autem Monitorium monitum simul et mandatum judicis ecclesiastici, quo, qui noverint criminis de quo inquiritur auctorem vel complices, seu quodcumque aliud circa eos vel illud, jubentur revelare, ipsique sontes restituere vel satisfacere compelluntur, sub interminatione anathematis (3).

(1) Giraldi et Schmalzgrueber, ad tit. XXXIX lib. V *Decretalium*. — (2) S. Alph., lib. VII, 200-206. — (3) Conc. Trid., sess. XXV, cap. III, *de Ref.*

Veteres canonistæ exponunt causas propter quas concedi potest monitorium, servanda in ejus promulgatione et revelationibus subsequentibus, et modum pronuntiandi ac fulminandi excommunicationem contra contumaces ignotos, eamque solvendi.

Equidem monitorio vis insita est metu censuræ et difficultate absolutionis medendi maximis malis aliter non curandis ; sed ad hoc necesse est christianos generaliter præceptis pastorum fideliter obsequi. Refrigescente ergo caritate, fere inanis evaderet monitorii promulgatio, atque intermitti debuit.

§ 2. — *De suspensione.*

Quærendum venit : 1. De suspensione generatim ; — 2. De suspensione ex *informata conscientia.*

I. — De suspensione generatim (1).

I. Exponentur : 1. notio suspensionis ; — 2. requisita ad eam ferendam ex parte superioris, subjecti, causæ et formæ ; — 3. illius effectus ; — 4. tandem absolutio.

904. — I. *Notio.* — Suspensio, stricte sumpta, definitur : *censura directe privans clericum usu ordinis, vel officii, vel beneficii, vel horum omnium simul.*

Differt *ab excommunicatione,* quæ privat omnibus bonis christianæ communionis, fertur in clericos et laicos, et directe non privat usu ordinum, sed indirecte, quatenus excludit a divinis. Suspensio vero non privat omnibus bonis spiritualibus, fertur in solos clericos, directe impedit usum ordinum, et permittit susceptionem sacramentorum.

Differt *ab interdicto,* quod ferri potest in laicos, privatque receptione aliquorum sacramentorum, divinis officiis et sepultura ecclesiastica.

Differt etiam ab *irregularitate,* quæ per se non est pœna, sed mera inhabilitas ; et a *depositione* et *degradatione,* quæ sunt pœnæ vindicativæ, et privant ipsis officiis et beneficiis, non solo eorum usu.

905. — *Species suspensionis* variæ sunt, sive ratione objecti, sive ratione modi quo infligitur (2).

1. *Ratione objecti,* suspensio est vel *totalis,* qua clericus ab omnibus juribus clericalibus arcetur ; vel *partialis,* quæ aliquo jure tantum privat.

Partialis suspensio triplex est : *ab ordine, ab officio* seu *a divinis,* et *a beneficio.* Prima privat exercitio functionum ordinis ; altera vetat universa officia ecclesiastica quæ ab ordine aut a jurisdictione pendent ; tertia privat reditibus et administratione beneficii.

Quandoque non omnes ordinis aut officii functiones interdicuntur, sed una aut altera tantum ; hujus generis est suspensio a pontificalibus, a sacerdotalibus, a sacris confessionibus, a missæ celebratione. Suspensio a beneficio pariter potest limitari.

2. *Ratione modi quo infligitur,* suspensio est a lege, vel ab homine ; latæ, vel ferendæ sententiæ.

(1) Cf. S. Alph., lib. VII, 312-317. — (2) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum,* t. IV, part. II, dissert. III.

Præterea, suspensio infligitur vel *per modum censuræ* ad frangendam contumaciam, vel *per modum pœnæ;* judicialiter, vel extrajudicialiter *ex informata conscientia.*

Suspensio, sicut cæteræ censuræ, fertur sine ulla temporis determinatione. Ideo suspensio inflicta in perpetuum, vel ad certum tempus, vel ad beneplacitum superioris, vel conditionate, non est censura proprie dicta, sed habet rationem pœnæ vindicativæ, vel meræ prohibitionis. Debet tamen ab ista regula excipi suspensio *ex informata conscientia*, quæ ad certum tempus indici debet, licet habeat rationem veræ censuræ ; ista enim extra ordinem juris infertur et suos effectus producit. — Cf. n. 913-919.

906. — II. *Requisita ad ferendam suspensionem.* — 1. *Potestas ferendi suspensionem* duabus regulis definitur (1) :

1. Suspensionem *a jure* fert solus legislator; suspensionem vero *ab homine* infligit quicumque in foro externo potest clericum judicare.

2. Prælati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos, in quantum eis regula et statuta sui ordinis permittunt.

907. — 2. *Ad subjectum suspensionis* referuntur regulæ sequentes :

1. Suspensio proprie dicta non potest cadere nisi in clericos. Ratio est, quia suspensio versatur tum circa Ordinem, tum circa officium et beneficium ecclesiasticum, quorum incapaces sunt laici, etiam regulares.

2. Quilibet clericus, sæcularis aut regularis, quacumque dignitate fulgeat, suspendi potest, excepto Summo Pontifice, qui nemini est subditus. Attamen, ex privilegio, decretum generale suspensionis non comprehendit Episcopos, nisi de ipsis fiat expressa mentio.

3. Suspendi potest communitas clericalis, sive spectetur quatenus est communitas, sive quoad personas singulares; sed innocentes tunc liberi sunt a censura, et privantur solis juribus collegialiter exercendis.

908. — 3. *Causa suspensionis* est culpa propria et gravis (2).

1. Requiritur *culpa propria.* Etenim suspensio, cum sit pœna et privet jure quæsito proprio, nullatenus contrahitur ob culpam alienam.

2. Requiritur *culpa gravis* Ratio est, quia suspensio, cum sit grave malum, gravem culpam supponit. Proinde suspensio, ut communiter fertur, neque a lege neque a judice ob culpam levem infligitur.

Hinc non habet rationem censuræ, nec pœnæ, suspensio inflicta per modum *meræ prohibitionis* vel *ad cautelam*, v. g. ob suspicionem delicti nondum probati ; sed est simplex privatio.

4. *Forma suspensionis.* — In ferenda suspensione, non præscribitur certa forma verborum, sed ea requiruntur quæ sufficienter declarent illius effectum. Duplex vero regula servanda est :

1. Omnino necessaria est prævia *monitio*, si suspensio velut censura feratur *ab homine*, ad correctionem delinquentis ; etenim constare nequit de contumacia, nisi Ecclesia prius reum moneat — Si vero suspensio feratur per modum pœnæ vindicativæ, præter delictum grave commissum, non

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX. — (2) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. XXXIX.

requiruntur monitio et contumacia ; sed, probato delicto, suspensio per sententiam infligitur.

2. Sententia suspensionis ferri debet *in scriptis*, cum expressione causæ ; et illius exemplar suspenso traditur, si fuerit ab eo requisitum. Judex hanc legem temere violans, per mensem ab ingressu ecclesiæ et officiis divinis olim suspendebatur (1) ; at suspensio non scripta nihilominus est valida, ex dictis n. 893.

909. — III. *Effectus suspensionis* sunt duplicis generis : alii ab ipsa suspensione pendent, alii afficiunt violatores illius (2).

A. *Effectus ipsius suspensionis* varii sunt pro varietate hujus censuræ. Cum igitur multiplex sit suspensio, quævis tantum operatur quantum significant verba quibus enuntiatur.

Si quis generaliter seu simpliciter et sine ulla determinatione suspendatur, intelligitur suspensus tum ab Ordine, tum ab officio, tum a beneficio. Una vero suspensio partialis alteram non importat, nisi actus unius subordinetur actui alterius ; sic, propter illam subordinationem, neque suspensus ab ordine, neque suspensus a jurisdictione sacramentum pœnitentiæ administrare potest.

1. Suspensus *ab ordine* non censetur suspensus a jurisdictione. Suspensus ab ordine superiore non ideo suspenditur ab ordine inferiore. Suspensus ab ordine recepto, vi ejusdem suspensionis impeditur ne ad majorem ascendat.

2. Suspensus totaliter *ab officio* removetur ab omni officio tum ordinis, tum jurisdictionis ; nec potest eligi ad beneficium, quia beneficium datur propter officium. Suspensus vero a jurisdictione sola non est suspensus ab ordine vel a beneficio.

3. Suspensus a beneficio non privatur beneficio, sed tantum illius fructibus ; unde onera beneficii sustinere cogitur.

B. *Violans suspensionem* committit peccatum ex genere suo mortale, nam contemnit prohibitionem Ecclesiæ ex genere suo gravem ; et qui cooperatur ad actum a quo est suspensus, v. g. ministrando celebranti missam, eo ipso particeps est peccati. Insuper irregularitatem incurrit, *scienter* et *solemniter* exercendo actum ordinis sacri, modo suspensio vere sit censura. Hæc pœna non incurritur, si clericus violet suspensionem a jurisdictione vel a beneficio.

Suspensus a jurisdictione nihilominus valide illam exercet, nisi sit *denuntiatus personaliter et publice*.

910. — IV. Per *absolutionem* suspensio, quatenus est *censura*, tollitur iisdem modis quibus excommunicatio deletur (3). — Cf. n. 896.

Si suspensio sit *pœna vindicativa delicti*, fertur vel in perpetuum, vel ad tempus determinatum. Suspensio ad certum tempus vel sub conditione lata, elapso tempore vel impleta conditione, ipso facto, absque ullo actu, ex voluntate ferentis exspirat ; e contra, suspensio perpetua non tollitur nisi per dispensationem superioris qui eam tulit.

(1) Concilium Lugdunense I, cap. I, *cum medicinalis*, tit. *de Sententia excommunicationis*, in 6°. — (2) Stremler, *des Peines ecclesiastiques*, part. I, sect. VI. — (3) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX.

Suspensio a jure lata sine ulla reservatione poterit ab Episcopo relaxari, in utroque foro, et a simplici confessario in foro interno. Pro tollendis suspensionibus S. Pontifici reservatis, in casu occulto Episcopi facultatem habent ex cap. *Liceat* Concilii Tridentini (1).

II. — De suspensione ex informata conscientia.

911. — I. *Illius indoles et origo* (2). — *Suspensio ex informata conscientia* dicitur actus extrajudicialis, quo Episcopus, ex causis in sua conscientia perpensis, clericum arcet ab ordinibus suscipiendis, vel illum ab ordinibus susceptis et officio suspendit, non autem a beneficio.

Hoc mandatum inhibitorium originem ducit a Concilio Tridentino. Antea enim solis Prælatis regularibus competebat facultas removendi subditos a susceptione Ordinum ob crimen occultum (3), Episcopi vero regulariter non poterant propter delicta occulta suspensionem infligere. Concilium Tridentinum novam disciplinam induxit, tum quia hanc facultatem extrajudicialem Prælatis universis concessit et extendit ad omnes causas (*ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen*), tum quia Episcopi possunt extrajudicialiter non solum prohibere ascensum ad sacros Ordines, sed etiam suspendere ab Ordinibus susceptis et officio.

912. — II. *Episcopis competit facultas ferendi suspensiones* EX INFORMATA CONSCIENTIA.

Prob. 1° *ex decreto Concilii Tridentini* (4) : « Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetère dignitatem ; ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis, fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur. »

Prob. 2° *ex declaratione Congregationis Concilii*, de sensu decreti Tridentini (5) : « Verba illa, *ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter*, expressa duntaxat in prima parte periodi, censentur repetita in secunda parte ; adeo ut inde colligi valeat Prælatum, nedum posse ob occultum crimen extrajudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad Ordines, sed itidem ob occultum crimen posse etiam extrajudicialiter illum suspendere ab Ordinibus jam susceptis. »

Prob. 3° *ex bulla* Pii VI *Auctorem fidei*, qua synodi Pistoriensis « Propositio 49, quæ damnat ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia, — notatur ut falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa. »

913. — III. *Modus procedendi in suspensionibus* EX INFORMATA CONSCIENTIA. — Ut in hac pœna infligenda cum majori qua fieri potest cautela et

(1) Sess. XXIV, cap. VI, *de Reformatione*. — (2) Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XLIII. — (3) *Decretalium* lib. I, tit. XI, *de Temporibus ordinationum*, cap. *Ad aures nostras*. — (4) Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. I, *de Reform.* — (5) Declaratio Congregationis Concilii (24 novembris 1657). — Cf. Fagnan. in cap. *Ad aures, de Temporibus ordinationum*.

securitate procedant Ordinarii, Sac. Cong. Prop. Fid., per Instr. die 20 octob. 1884 editam, et ubique servandam, sequentia statuit:

1. « Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa quæ per judicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam *a suis ordinibus* seu *gradibus*, vel *dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.*

2. In hoc præcipue ipsa differt a judiciali suspensione, quod adhibetur tanquam *extraordinarium remedium* in pœnam admissi criminis; ideoque ad ejus impositionem non requiruntur nec formæ judiciales, nec canonicæ admonitiones. Satis erit proinde, si Prælatus hanc pœnam infligens simplici utatur præcepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum, vel ecclesiasticorum munium indicere.

914. — 3. Hujusmodi præceptum *semper in scriptis intimandum est*, die et mense designato ; ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est quod ejusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti, sess. XIV, cap. I, *de Reform.*, ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper *exprimi partes exercitii* ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta œconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione quæ, juxta prudens Ordinarii arbitrium, taxabitur ; at, si suspensus ex hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi item debet *tempus durationis* ejusdem pœnæ. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si, ob graviores causas, Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum jurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

915. — 6. Suspensioni ex informata conscientia justam ac legitimam causam præbet *crimen* seu *culpa a suspenso commissa*. Hæc autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

7. Ad hoc autem *ut sit occulta*, requiritur ut neque in judicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper ejusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

8. Verum *tenet etiam suspensio*, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus ; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

916. — 9. Prudenti arbitrio Prælatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam, *delinquenti aut patefacere, aut reticere*. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et caritatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi pœnam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis quas interponent monitionibus, nedum ad expiationem culpæ, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

10. Meminerint vero Præsules quod, si contra decretum quo irrogata

fuit suspensio *promoveatur recursus* ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa quæ eidem præbuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam hæc pœna infligatur, probationes illius quantumvis extrajudicialiter et secreto colligantur, ita ut, eo ipso quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant quæ, ut plurimum, occurrunt in istiusmodi judiciis.

917. — 11. A decreto suspensionis ex informata conscientia *non datur appellatio* ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, ejusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen *patet aditus ad Apostolicam Sedem*, et, in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac pœna mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. *Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis*, usque dum ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione quæ de recursu judicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Ceterum, cum istiusmodi pœna sit remedium omnino extraordinarium, quod præsertim ad expiationem criminum absque formis judiciariis adhibetur; præ oculis habeant Prælati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex Benedictus XIV, in suo tractatu *de Synodo Diœcesana*, libro XII, cap. VIII, n. 6, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, *si in sua Synodo declararet* se deinceps ex privata tantum scientia, cum pœna suspensionis a divinis animadversurum in clericos quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere. »

918. — Suspensio *ex informata conscientia* videtur non habere rationem censuræ, sed pœne vindicativæ tantum et prohibitionis seu mandati inhibitorii, quatenus ferri potest sine monitionibus canonicis, et exprimi debet tempus illius durationis (n. 2 et 5 *Instruct.*); sed S. Congr. Prop. Fid. illam implicite censuris annumerat, declarando ab illius violatore statim irregularitatem incurri (n. 11). Hujusmodi derogatio juri communi et principiis censuras spectantibus, cohæret cum notione *remedii omnino extraordinarii*, quale est suspensio *ex informata conscientia*, et cum praxi habendi ut irregulares suspensionis pœnalis violatores (Congr. Conc., 8 april. 1848).

§ 3. — *De interdicto.*

Dicendum est : 1° de censura interdicti ; — 2° de cessatione a divinis, quæ ei affinis est.

I. — De censura interdicti (1).

Exponentur : 1. notio interdicti ; — 2. modus illud ferendi ; — 3. illius effectus ; — 4. illius inviolabilitas ; — 5. tandem absolutio.

(1) S. Alph., lib, VII, 328-339.

919. — I. *Notio interdicti.* — 1. Interdictum est *censura privans usu divinorum, nempe, participatione officiorum divinorum et quorumdam sacramentorum, et sepultura sacra.*

Differt ab *excommunicatione*, tum quia hæc privat omnibus bonis communibus inter fideles, tum quia interdictum afficit loca, sive directe sive indirecte.

Differt etiam a *suspensione*, quæ non fertur in laicos, et directe privat juribus clericalibus tantum.

Tandem differt ab *irregularitate* et *cessatione a divinis*, quæ per se et proprie non habent rationem pœnæ.

2. *Divisio interdicti* multiplex proponitur:

1. Distinguitur interdictum in personale, locale et mixtum. *Personale* directe afficit et ubique sequitur personam cui interdicta est participatio divinorum. *Locale* directe afficit locum, ita ut in eo tantum divina celebrare prohibitum sit. *Mixtum* æque afficit loca et personas.

2. Interdictum tam locale quam personale subdividitur in generale et speciale. *Locale generale* est quod fertur in integrum locum communem, plura loca sub se continentem tum sacra tum profana, v. g. regnum, provinciam, diœcesim, civitatem. *Locale speciale* fertur in solum locum sacrum determinatum, v. g. talem ecclesiam, tale monasterium et ejus accessoria exclusive.

Personale generale est quo integra communitas hominum qua talis afficitur, ut capitulum, omnes incolæ civitatis, monasterium. *Personale speciale* fertur in personas determinatas, sive nominatim, sive in globo designentur, v. g. in personas quæ tale delictum commiserint; et eis inhæret ubicumque fuerint, donec absolvantur.

3. Interdictum personale ulterius subdividitur in totale et partiale. *Totale* omnes effectus interdicti personalis comprehendit; *partiale*, unum tantum aut alterum effectum, ut si quis interdicatur ab ingressu ecclesiæ, a receptione sacramentorum.

920. 3. *Extensio interdicti generalis* sive localis sive personalis.

1. *Regulæ de interdicto locali.* — *Primo*, interdicta diœcesi vel civitate, omnes illius partes tum sacræ tum profanæ interdicuntur, etiam ecclesia cathedralis. Interdicta ecclesia principali, etiam interdicuntur capellæ illius et cœmeterium; pariter, interdicta civitate, interdicuntur suburbia, quia accessorium sequitur principale; non autem vice versa, in utroque casu.

Secundo, interdictum generale locale tenentur observare sæculares et regulares etiam exempti, incolæ et exteri, imo Episcopus a quo indictum est.

Tertio, interdictum locale semper secum fert interdictum personale illorum qui causam censuræ per delictum dederunt.

2. *Regulæ de interdicto generali personali.* — *Primo*, interdicta communitate, ligantur omnia illius membra, v. g. omnes alicujus loci cives, qua tales; non tamen exteri, sive peregrini, sive studiosi, sive mercatores; nec incolæ innocentes qui alio transferunt suum domicilium.

Secundo, interdicto populo, clerus non censetur interdictus; pariter, interdicto clero, non interdicitur populus, neque Ecclesia, neque Episcopus, nisi expresse designetur; et qui non sunt interdicti possunt seorsim ab interdictis sive divina celebrare, sive iis assistere.

Tertio, regulares interdicuntur, si generaliter interdicantur personæ ecclesiasticæ; clero autem interdicto, non censentur interdicti, nam in odiosis non veniunt nomine clericorum (1).

921. — II. *Modus ferendi* interdictum (2). — 1. *Potestas interdicendi* competit generatim iis qui jurisdictionem in foro externo exercent, sicut potestas ferendi sententiam excommunicationis et suspensionis.

In specie, interdicere possunt Summus Pontifex et ejus legati, Episcopus, ejus delegati, et capitulum, sede vacante. Prælati regulares personas quidem interdicunt, non vero loca, juxta receptam consuetudinem.

2. *Subjectum* interdicti *personalis* est aliquis fidelis vel communitas seu collegium; interdicti autem *localis* subjectum est locus jurisdictioni interdicentis subditus.

3. *Causa interdicti* est culpa mortalis cum contumacia. Insuper, cum pœna debeat culpæ proportionari, regulariter interdictum generale non fertur nisi ob culpam communem; nec nisi velut extremum remedium fertur ob solum crimen ejus qui societati præest. Innocentes qui tunc pœnæ subjiciuntur, eam perferunt tanquam membra societatis, in quam merito pœna statuitur.

4. *Forma* ordinaria qua fertur interdictum habens rationem censuræ, consistit in eo quod præcedat monitio, et sententia proferatur in scriptis. Insuper, interdictum generale debet promulgari sicut lex, quia respicit communitatem. Si vero interdictum personale speciale feratur tanquam pœna vindicativa, non requiritur ista solemnitas, sed sufficit forma consueta in judicio criminali.

Interdicta generalia, præsertim localia, non solent ferri per modum pœnæ vindicativæ, quia gravissima sunt, et multis bonis spiritualibus multitudinem hominum privant.

922. — III. *Effectus interdicti* (3). — 1. Non statim apprime constitit quinam essent effectus interdictorum personalium, quæ originem ducunt ab antiquis excommunicationibus levioribus; sed post constitutam disciplinam interdictorum localium, circa sæculum VI^m^, clarius apparere cœperunt (4).

Jamvero, quatuor enumerantur effectus interdicti totalis, sive localis sive personalis : 1° privatio activa et passiva sacramentorum ; 2° privatio activa et passiva divinorum officiorum; 3° privatio activa et passiva ecclesiasticæ sepulturæ ; 4° prohibitio ab ingressu ecclesiæ. Interdictum partiale solum producit effectum quem interdicens voluit producere, et expressit in sententia.

2. *Mitigatio interdicti*. — Ne asperius videretur interdictum generale,

(1) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX, § 5. — (2) Devoti, *Institutionum canonicarum*, lib. IV, tit. XIX. — (3) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, part. II, t. III, dissert. III. — (4) S. Gregorii Turon. lib. VIII *Historiæ Francorum*.

quod omnes sine ullo discrimine comprehendit, plures Romani Pontifices illud emollire studuerunt.

Præter parvulorum baptismum et morientium absolutionem, Innocentius III permisit ut tempore interdicti verbum divinum populo annuntiaretur, et pueris baptizatis confirmatio ministraretur; item, ut concederetur Viaticum decedentibus, et sepultura ecclesiastica clericis qui interdictum servavissent. — Præterea, Gregorius IX permisit ut in unaquaque hebdomada celebraretur missa privata, sed submissa voce, campanis silentibus, excommunicatis et interdictis exclusis, et clausis ecclesiæ januis. — Denique, Bonifacius VIII, præter ipsorum adultorum baptismum et confirmationem, concessit ut omnes, tam sani qnam infirmi, exceptis excommunicatis et interdictis, ad pœnitentiam licite admitterentur; ut singulis diebus missæ et alia divina officia celebrarentur, sub prædictis conditionibus; atque in præcipuis festivitatibus januis apertis officia divina solemniter celebrarentur, excommunicatis tantum exclusis (1).

Extrema unctio in interdicto non ministratur, nisi sacramentum pœnitentiæ recipi nequeat. *Ordo* non confertur in loco interdicto, neque personis specialiter interdictis; verum in loco non interdicto conferri potest personis generaliter interdictis. *Matrimonium* non prohibetur, siquidem est primario contractus, a solis sponsis perficiendus; sed omittitur benedictio nuptiarum, utpote ministerium sacerdotale.

Sepultura sacra omnibus et solis clericis qui non sunt specialiter interdicti et denuntiati conceditur semper, sed sine pompa, et aliquando sine missa; cæteri in loco non sacro reponuntur, donec cessaverit interdictum.

Privilegia concessa pro tempore interdicti localis generalis non obtinent durante interdicto locali speciali, nisi ex adjunctis æquipolleat generali et eadem subsit necessitas. Attamen Bonifacius VIII (in 6, *de Sententia excommun.*, cap. 57, *Permittimus*) indulsit ministris ecclesiarum in quibus servari solet Eucharistia pro infirmis, ut semel in hebdomada celebrent missam lectam, causa conficiendi corporis Christi, sed januis clausis, et exclusis excommunicatis et interdictis.

923. — IV. *Inviolabilitas interdicti* (2). — Violantes interdictum peccant, quoniam Ecclesiæ auctoritatem contemnunt.

1. Si laici violent interdictum, non committunt peccatum mortale, nisi materia sit gravis, sive ratione receptionis sacramentorum, sive ratione contemptus interdicti personalis. Sed incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si compellant clericos in loco interdicto celebrare; et excommunicationem nemini reservatam, si mandent seu cogant tradi ecclesiasticæ sepulturæ nominatim interdictum. — Cf. n. 974.

2. Clericus violans interdictum personale per exercitium solemne ordinis sacri, vel scienter celebrans in loco interdicto, peccat graviter et fit irregularis. Item interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrit, si scienter divina celebret vel celebrari faciat in locis interdictis (3).

(1) Innocentius III, *Decret.* lib. V, tit. XXXIX, cap. XLIII et LXII; et Bonifacius VIII, in 6, cap. XIX et XXIV, *de Sententia excommunicationis.* — Martini V const. *Ineffabilis.* — Benedicti XIV const. *Quoniam.* — (2) Maschat, *Institutiones juris canonici*, lib. V, tit. XXXIX. — (3) Cf. Inst. mor. Alph., n. 1309. — Const. *Apostol. Sedis*, tit. IV. 1; et tit. VI, 2.

924. — V. *Absolutio ab interdicto.* — 1. Interdictum locale, sive generale sive speciale, et interdictum personale generale, etiam non reservata, absolvi nequeunt nisi ab habente jurisdictionem in foro externo, eo quod sint publica et locum vel plures personas afficiant: nam absolutio fori interni est occulta, solas personas afficit et seorsum singulis impertienda est.

2. Interdictum personale speciale in utroque foro absolvi potest sicut excommunicatio et suspensio non collegialis, sive potestate ordinaria, sive potestate delegata, prout ferunt tum dignitas absolventis, tum reservatio censuræ.

II. — De cessatione a divinis (1).

Expendentur illius 1. notio; — 2. indictio; — 3. effectus; — 4. obligatio.

925. — I. *Notio.* — Interdicto locali affinis est cessatio a divinis, quæ definitur : *prohibitio clericis intimata, ut omnino abstineant ab officiis divinis in aliquo loco.*

Quamvis eosdem fere ac interdictum producat effectus, differt tamen ab eo, tum quia non est censura, nec eam violans incurrit irregularitatem, cum non indicatur ad emendationem rei, sed ad significandam Ecclesiæ tristitiam; tum quia nunquam fertur directe in personas, sed in loca tantum.

Duplex distinguitur cessatio a divinis: 1. alia *a jure*, quæ ipso facto intimatur, cum polluitur vel exsecratur ecclesia; — 2. alia est *ab homine*, quæ *imponitur* a prælato ordinario iis qui in tali loco versantur.

926. — II. *Indictio cessationis a divinis* requirit auctorem, causam et formam, fere sicut ipsæ censuræ, videlicet:

1. *Potestas* illam indicendi competit ei qui jurisdictionem habet in foro externo; proinde Summus Pontifex, Episcopus aut alius Ordinarius, et capitulum, sede vacante, possunt eam indicere.

2. *Causa* illius est loci sacri indecentia, vel delictum gravissimum et notorium. Delictum enim debet esse tale ut illius vindicta compenset damna ex cessatione provenientia; quæ, cum gravissima sint, *gravissimum* delictum exigunt. Insuper, debet esse *notorium*, et manifestum saltem notorietate facti, ut ejus scandalo cessatione a divinis occurrendum sit, v. g. furtum sanctissimæ Eucharistiæ, homicidium etiam ab infidele commissum in ecclesia.

3. *Forma* servanda consistit in eo quod prius moneatur delinquens de satisfactione præstanda, et renuenti tradatur instrumentum cessationis cum expressione causæ (2).

927. — III. *Effectus cessationis a divinis* est privatio divinorum officiorum, sacramentorum et sepulturæ sacræ.

1. Cessatione valide indicta, officia divina non celebrantur; nec ad illam extenditur privilegium ex quo licet, tempore interdicti, missas privatas januis clausis legere. Consuetudine tamen receptum est, ut in præcipuis festivitatibus missarum solemnia celebrentur.

(1) S. Alph., lib. VII, 340. — (2) Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum*, lib. V, tit. XXXIX, § 6.

2. Attento rigore juris, solus baptismus parvulis, morientibus vero pœnitentia et Viaticum ministrari possunt, tempore cessationis a divinis. At, ex benignitate Ecclesiæ, videtur indultum ut baptismus, confirmatio et pœnitentia sine restrictione ministrentur, ac matrimonium sine solemnitate et benedictione contrahatur. Ordo vero non confertur, nec Eucharistia sanis; nec Extrema Unctio moribundis, nisi aliud sacramentum recipere nequeant, tunc enim ungi possunt.

3. Ipsa sepultura in loco sacro non prohibetur; sed supprimenda est divinorum officiorum solemnitas.

928. — IV. Cessatio a divinis *obligat sub mortali* directe clericos, et indirecte laicos; nam illam violans transgreditur legem ecclesiasticam in materia gravi.

Ejus violatoribus certa pœna non est ipso jure nunc vigente imposita; proinde arbitrio judicis puniri debent.

Cessatio a divinis tollitur relaxatione ejus qui eam imposuit, vel qui simili potestate præditus est, v. g. ejus superiore aut delegato.

ARTICULUS II

DE PŒNIS VINDICATIVIS

929. — Præter censuras, Ecclesia etiam pœnis vindicativis sibi propriis utitur tum contra laicos, tum contra clericos.

I. Pœnæ plurimæ *contra laicos*, olim in foro ecclesiastico adhiberi consuetæ, hodie exoleverunt. Ex Concilio Tridentino, Episcopis licet mulctas pecuniarias imponere, quæ non judici ecclesiastico, sed piis causis cedant (1); sed una nunc pœna laicis irrogari solet, nempe, privatio sepulturæ sacræ.

II. *Clericis* infliguntur pœnæ vindicativæ multiplicis generis, scilicet, *pœnæ temporales*, *privatio beneficii*, *depositio* et *degradatio*; de quibus pauca subjungenda.

§ 1. — *Pœnæ temporales* (2).

930. — Pœnæ temporales sunt triplicis generis, siquidem reos privant vel fama, vel bonis fortunæ, vel libertate.

I. *Infamia* est privatio bonæ famæ seu existimationis apud alios. Duplex distinguitur, alia *facti* et alia *juris*.

Infamia facti oritur ex notorietate alicujus criminis vel pravorum morum, et per emendationem aboletur, ante quamlibet sententiam.

Infamia juris ob turpe crimen auctoritate juris seu legis infligitur. Tribus modis contrahitur: — 1° ipso jure, ob crimen cui ex lege dedecus inhæret, v. g. perjurium in judicio, duellum, usurarum exercitium, homicidium, sodomiam, incestum, etc., modo accedat sententia judicis saltem declara-

(1) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap III, *de Reform.* — (2) *Decretalium* lib. V, tit. XXXVII. — Giraldi, *de Pœnis ecclesiasticis*, part. I, cap. XXXIII.

toria, quoties crimen non est notorium ; — 2° sententia judicis plectentis reum pœna infamiæ, seu illum *infamem* declarantis ; — 3° genere pœnæ infamantis, v. g. exilii, reclusionis, pœnæ capitalis, relegationis, remigationis, addictionis duro et perpetuo labori.

Infamia irregularitatem inducit, et ideo reum removet a beneficiis, sicut ab ordinum susceptione et usu ; excludit a dignitatibus et honoribus, juxta regulam juris 87, in 6 : *infamibus portæ non pateant dignitatum ;* et inhabilem efficit ad publica officia et munera atque ad actus legitimos.

II. *Mulcta pecuniaria* infligitur a judicibus ecclesiasticis, atque ex jure irrogari potest non clericis tantum, sed etiam laicis, licet solis clericis infligi soleat.

Notissima est hujus pœnæ efficacia, quam his versibus celebravit satyricus ethnicus :

> Ploratur lacrymis amissa pecunia veris ;
> Non cohibent sacra verba malum ; majore tumultu
> Planguntur nummi quam funera...

III. Ad privationem libertatis referuntur incarceratio, detrusio in monasterium, exilium et relegatio in locum pœnitentiæ aptum.

§ 2. — *Privatio beneficii.*

Tria sub hoc titulo comprehenduntur : translatio ad aliud beneficium, mera privatio beneficii et inhabilitas.

931. — I. *Translatio* ad aliud beneficium, præsertim minus, privationi affinis est. Ab ea differt, quatenus tam gravem causam non requirit.

Ista translatio ab Episcopo tanquam pœna decerni potest. Id probatur ex Decretalibus : « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas ; ut quæ uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere (1). »

Accedit recens declaratio Congregationis Concilii in causa Limburgensi (2).

II. *Privatio beneficii*, vel officii aut dignitatis, vel pensionis, differt a suspensione et depositione. — Differt a *suspensione*, quia suspensio non est pœna perpetua, nec adimit titulum beneficii. — Differt a *depositione*, quia depositio nunquam infligitur nisi reis juridice convictis, et præterea inducit inhabilitatem ad beneficia.

Privatio beneficii duobus modis indicitur, scilicet, vel *ipso jure*, vel *per sententiam condemnatoriam* judicis. Utriusque privationis effectus differunt : ex privatione ipso jure incursa sequitur amissio tituli beneficialis et fructuum a die commissi criminis ; si vero privatio inducta est per sententiam condemnatoriam, isti effectus non incurruntur nisi a tempore sententiæ latæ.

(1) *Decretalium* lib. III, tit. XIX, *de Rerum permutatione*, cap. V. — (2) Declaratio Congregationis Concilii, 19 decemb. 1857 et 25 jul. 1895. — *Analecta juris pontificii*, anno 1858, p. 791.

Supra recensita sunt tum crimina enormia ob quæ ipso jure beneficia vacant, tum delicta ob quæ privatio beneficii decerni potest per sententiam judicis (1).

III. *Inhabilitas* ad officia et beneficia invalidam reddit collationem inhabili factam. — Hæc pœna differt a privatione beneficii, tum quia sola privatio non inducit inhabilitatem, tum quia inhabilitas per se non inducit privationem beneficii antea obtenti.

Sæpius inhabilitas oritur ex defectu vel ex alia pœna, v. g. ex irregularitate, ex depositione.

Ad inhabilitatem refertur privatio vocis activæ et passivæ, qua quis prohibetur eligere (*vox activa*), vel eligi (*vox passiva*), vel eligere et eligi. In dubio, scilicet, cum simpliciter decernitur privatio vocis, activa tantum ablata præsumitur, ex regula 49, in 6 : *in pœnis, benignior interpretatio facienda est.*

§ 3. — *Depositio et degradatio* (2).

Depositionis nomen lato sensu acceptum designat tum depositionem simplicem, tum degradationem ; at depositio stricte intellecta distinguitur a degradatione. Ejusmodi pœnæ sunt omnium gravissimæ contra clericos.

932. — I. *Depositio* est pœna ecclesiastica, qua clericus in perpetuum privatur usu potestatis tum ordinis tum jurisdictionis, necnon omni jure ad beneficium valide possidendum (3).

Sicut suspensio, fertur vel totaliter a *beneficio*, *officio* et *Ordine* ; vel partialiter sive a *beneficio*, sive ab *officio* seu usu jurisdictionis, sive ab *Ordine* seu usu ordinis.

1. Distinguitur tamen a privatione beneficii et suspensione. Equidem *privationi* simillima est, cum per utramque beneficii titulus auferatur ; differt tamen ab ea, eo quod depositio, ultra privationem beneficii possessi, inducit inhabilitatem ad beneficia obtinenda ; unde, per se, est pœna irremissibilis.

Differt etiam a suspensione. Equidem depositio et suspensio conveniunt in pluribus, sive in eo quod utraque clericos afficit, sive in eo quod suspensus et depositus, ut jam notatum est, iisdem bonis privantur ; at differunt sub multiplici respectu : 1° Suspensionis censura fertur ad tempus, dum depositio in perpetuum infligitur ; — 2° Suspensio, etiam perpetua per modum pœnæ inflicta, non adimit titulum beneficii, nisi procedatur ad privationem ; — 3° Suspensio infligi potest extrajudicialiter *ex informata conscientia*, dum depositio est pœna quæ semper crimen juridice probatum sequitur, citationem aut monitionem requirit, et fit in forma consueta judiciorum solemnium.

2. Universæ causæ propter quas ad depositionem proceditur ad tria capita referuntur. Clericus deponitur *ex primo capite*, cum agitur de flagitiis enormibus, quæ puniri gravissimis suppliciis postulat disciplina ;

(1) Supra, n. 794. — (2) S. Alph., lib. VII, 323-327. — (3) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, part. II, dissert. IV.

ex altero capite, cum clericus perpetravit quæ statui clericali adversantur ; *ex postremo capite*, cum clericus habuit longam delinquendi consuetudinem, et, licet pluries monitus, non resipuit (1).

3. Clericus depositus retinet privilegia fori et canonis, nisi istis per sententiam privetur. Si vero propter minora delicta depositus fuerit, peracta pœnitentia, poterit Episcopus cum eo emendato dispensare ; misero enim misericordia haud deneganda est. Quamvis directa famæ restitutio sit Summo Pontifici reservata, talis dispensatio potestatem Episcopi non excedit; nam hoc modo fama non restituitur nisi indirecte.

933. — II. *Degradatio* seu depositio a *gradibus* ecclesiasticis est pœna qua clericus, ob criminis atrocitatem vel incorrigibilitatem, solemniter privatur non solum ordinis exercitio, officio et beneficio, verum etiam statu clericali, ita ut reducatur ad conditionem laicalem, solo charactere indelibili retento.

1. Duplex est, una *verbalis*, altera *realis* seu *actualis* et *solemnis*, quæ a Bonifacio VIII comparatur degradationi militari. Degradatio verbalis est sententia solemni ritu pronuntiata; realis est sententiæ executio. Sola degradatio realis privilegium fori et canonis aufert, dum *exuit omni ordine, beneficio et privilegio clericali.*

Degradatio verbalis differt *a depositione*, quæ non ordinatur ad degradationem realem. Differt etiam a *degradatione reali*, tum quia hæc privat privilegiis clericalibus et fieri debet ab Episcopo consecrato, tum quia realiter degradatus nonnisi a Summo Pontifice restitui potest in statum e quo excidit.

2. Crimina in jure expressa, ob quæ degradatio infligi potest, sunt : hæresis et apostasia pertinax, falsificatio litterarum apostolicarum, persecutio Episcopi, homicidium, delicta graviora contra mores, celebratio missarum et sacramentalis auditio confessionum temere præsumpta a clerico non sacerdote, furtum sacrilegum Eucharistiæ, etc. (2).

3. Degradatio verbalis clerici qui minores duntaxat ordines recepit, a proprio episcopo solo fieri potest ; degradatio vero clerici in ordine sacro constituti fieri debet a proprio Episcopo, sibi assistente certo aliorum Episcoporum numero ; qui si haberi nequeant, fit a proprio Episcopo coram abbatibus, aliisque prælatis et religiosis personis, ac litteratis suæ diœcesis, de quibus expedire videbitur (3). — Forma degradationis realis traditur in Pontificali Romano et in Decretalibus (lib. v, tit. ix, cap. ii, in 6°).

Nostris temporibus, Episcopi clericos criminosos quos degradare realiter variæ causæ non patiuntur, usu clericalis habitus interdicere solent.

4. Consummata degradatione, clericus tradi potest curiæ seu brachio sæculari, ut juxta leges civiles puniatur pœna afflictiva gravissima, quam non infligit Ecclesia, nempe, morte aut mutilatione.

(1) Berardi, *Commentaria in jus ecclesiasticum*, t. IV, part. II, dissert. IV. — (2) Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. VI. — (3) *Decretal.* lib. V, tit. II, in 6°, cap. I, *Quoniam ;* et ibid., tit. IX cap. II. — Conc. Trid., sess. XIII, c. IV, *de Ref.*

CAPUT III

DE CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ HODIE VIGENTIBUS, EX CONSTITUTIONE PII IX «APOSTOLICÆ SEDIS» (1) (12 OCTOBR. 1869)

Prænotanda.

934. — 1° Hujus Constitutionis *scopus* fuit censurarum numerum, ad plura devitanda incommoda, imminuere, et illarum quæ deinceps servandæ ac retinendæ sunt plenam ac claram recensionem facere. « Decernimus, ait S. Pontifex, ut ex quibuscumque censuris quæ per modum latæ sententiæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eodem modo quo inserimus, robur exinde habeant. » — Unde sequitur eamdem Constitutionem esse veluti titulum præcipuum codicis pœnalis Ecclesiæ, in quo directe vel indirecte expressæ continentur omnes censuræ latæ sententiæ hodie vigentes, additis tamen iis quæ postmodum inflictæ fuerunt (v. g. in Const. *Romanus Pontifex*).

2° Nihil mutatum est: 1. quoad censuras ferendæ sententiæ, nec quoad censuras ab aliis quam a S. Pontifice latas in proprios subditos; 2. quoad irregularitates, inhabilitates, et alias pœnas canonicas; 3. quoad casus reservatos sine censura; 4. quoad privilegia quæ non respiciunt censuras; 5. quoad leges ecclesiasticas a quibus censuræ ablatæ sunt, ut v. g. leges Indicis. Proinde, in his omnibus, standum est juri antea vigenti vel postmodum reformato. — Verumtamen, si jus antiquum quædam delicta, quæ nunc excommunicatione coercentur, aliis pœnis mulctavit, hæ pœnæ videntur jam abrogatæ, quia nimis durum foret et a jure alienum, ob idem crimen pluribus coerceri legibus, pluribusque affici pœnis (2).

3° Declarat S. Pontifex censuras omnes quas decernit, « non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa constitutione, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere. » — Ex qua clausula sequitur: 1. Censuras hic recensitas intelligendas esse, primo quidem juxta sensum qui clare ex verbis S. Pontificis arguitur, dein vero juxta veterum canonum traditionem ac receptam interpretationem; — 2. desuetudinem veterum canonum, etiam immemorabilium, non posse amplius invocari quoad censuras clare et expresse renovatas aut confirmatas, ut constat ex pluribus S. Officii decretis (cf. infra n. 976) (3). — His prænotatis,

935. — QUÆRITUR: *Quænam censuræ* LATÆ SENTENTIÆ *hodie vigeant?*

Resp. Hæ censuræ ad QUATUOR CLASSES reduci possunt, suntque sequentes:

1° Censuræ quæ a PIO PAPA IX, tum in Constitutione *Apost. Sedis*, tum in altera *Rom. Pontifex*, expressis verbis latæ sunt.

2° Censuræ quæ a CONCILIO TRIDENTINO fuerunt directe inflictæ, et a Pio IX confirmatæ. — Dicimus *directe inflictæ*, nam ex scopo constitu-

(1) Ex integro hic inserimus commentarium quod in nostro opere, *Institutiones morales Alphonsianæ*, pariter habetur. — (2) Comment. Reatin. (edit. 3ª) n. 23. — (3) Recensionem censurarum *olim vigentium* vide apud Voit, *Th. mor.*, tom. II, in fine (Index alphab.); interpretationem fusiorem vide apud Suarez, Bonacina, Salmanticenses, etc.

tionis et ex communi sententia, cæteræ censuræ, quas Conc. Tridentinum indirecte tantum inflixit seu renovavit, non videntur confirmatæ, eo quod pœnæ a Conc. Tridentino memoratæ, vel etiam renovatæ, non possunt *pœnæ Tridentinæ* proprie appellari (1). — Tales sunt *pœnæ* quæ sive per generalia verba indicuntur, v. g. « et qui secus fecerint, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant »; sive per hæc verba : « antiquorum canonum pœnas super his innovando »; sive per speciales allegationes, v. g. « juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis », etc.

3° Censuræ latæ « *Pro R. Pontificis electione*, quatenus hactenus in suo vigore perstiterunt ». — Porro, in vigore perstitisse videntur ea quæ sancivit Benedictus XIV in Const. *Pastor bonus*, § 12, ne scilicet major Pœnitentiarius possit « etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, absolvere vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales aut *alios* cujuscumque qualitatis, status..., qui, vivente R. Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem *eligendo* vel *excludendo* tractaverint, suffragia inierint, ambitusve aut pactiones fecerint; — vel, Sede Apostolica vacante, in censuras seu pœnas in Litteris Gregorii Papæ XV et Urbani VIII... super electione R. Pontificis pro tempore facienda... contentas, quomodolibet inciderint (2) ». — Hi, Sede vacante, poterunt a Majori Pœnitentiario absolvi, sed ad tempus duntaxat et cum reincidentia, nisi novo Pontifici, intra terminum pro locorum distantia definiendum, sese præsentaverint. (Bulla cit. Benedicti XIV, § 51.)

Huc spectat S. Pœnitentiariæ Responsum (4 aug. 1876), quo declarantur excommunicationem R. Pontifici *speciali modo* reservatam incurrere, « *omnes et singuli nomen dantes, vel quomodocumque faventes, vel adhærentes* Societati in eum finem institutæ vel instituendæ, ut quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus romanus concurrat in S. Pontificis electione (3). »

4° Censuræ omnes quæ latæ sunt « *pro interno regimine* quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, cœtuum, locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint..., quatenus « hactenus in suo vigore perstiterunt », id est, quatenus desuetudine, vel alia causa non cessarunt in aliquo loco vel Instituto.

E contra, censuræ quæ non stricte ad internum regimen pertinent, abrogatæ sunt vi Constitutionis *Apostolicæ Sedis*. — Hinc Canonistæ communiter censent non amplius incurrere excommunicationem a Clemente VIII latam Regulares qui, sine debita facultate, absolvere præsumpserint a casibus quos Episcopus sibi, in sua diœcesi, reservavit; nec Regulares qui decimas ecclesiarum usurpant (Clem. 1, *de decimis*), vel aliis persuadent ut sepulturam in suis ecclesiis sibi eligant, voto aut juramento interposito (Clem. 3, *de pœnis*), etc. (4).

(1) Patavin., n. 100. — (2) Hæc vide, si lubet, apud Bonacinam, *De censuris in particulari*, disp. II, quæst. VII, punct. 1, n. 5 et 6, ubi 22 conditiones electionis requiruntur, sub excommunicationis pœna. — (3) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. IX, pag. 352. — (4) Comm. Reatin., ad n. 211; Patavin., n. 546-547 ; Del Vecchio, I, 617, etc.

His prænotatis, singulas Pianæ Constitutionis censuras paucis exponemus, nempe, 1. excommunicationes ; — 2. suspensiones ; — 3. interdicta.

ARTICULUS 1

DE EXCOMMUNICATIONIBUS LATÆ SENTENTIÆ

936. — Hæ in quatuor series dividuntur : nam, vel 1° reservatæ sunt R. Pontifici *speciali modo ;* vel 2° reservatæ sunt eidem *simpliciter ;* vel 3° reservatæ sunt Ordinariis ; vel 4° nulli reservationi sunt obnoxiæ.

Quæ in *prima* serie recensentur, optimo ordine sic sunt dispositæ : quinque priores communiunt Ecclesiæ FUNDAMENTUM, Fidem scilicet, divinamque Ecclesiæ constitutionem, in Pontifice et Episcopis repositam ; quatuor subsequentes (cum XIII[a] de intrusis) defendunt Ecclesiæ POTESTATEM ac LIBERTATEM ; et tres ultimæ tuentur Ecclesiæ BONA sive spiritualia (excom. 10[a]), sive temporalia. — In *secunda* serie, idem fere ordo recurrit. — In 3[a] et 4[a], quæ breves sunt, ordo non notatur.

§ 1. — *Excommunicationes* LATÆ SENTENTIÆ *speciali modo R. Pontifici reservatæ.*

Duodecim hujusmodi excommunicationes recensentur in Const. *Apostolicæ Sedis*, omnes quidem, excepta X[a], in Bulla *Cœnæ* jam contentæ ; his accedit XIII[a], vi Const. *Romanus Pontifex* (28 aug. 1873) (1).

Igitur excommunicationi latæ sententiæ specialiter R. Pontifici reservatæ PIUS IX subjacere declarat :

937. — I. « Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant ; eisque credentes ; eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores. » — (Bulla *Cœnæ*, § 1, plane concordat.)

1° Per APOSTATAS intellige illos qui, post susceptum Baptismum, a fide christiana penitus recesserunt. Hoc nomine veniunt etiam Liberi Cogitatores, Rationalistæ, Naturalistæ, Pantheistæ, et similes, quando eorum recessio a fide est totalis, et signo indubio externe manifestatur. — Si vero fidem non penitus abnegarint, velintque adhuc inter Christi fideles connumerari, dicendi sunt potius hæretici.

2° Per HÆRETICOS intellige baptizatos qui animo retinent aliquam doctrinam quam *sciunt* contrariam dogmati ab Ecclesia definito seu proposito ut pertinenti ad fidem catholicam, et qui eam *verbis* aut *signis* (v. g. scribendo epistolam), cum culpa *externe gravi* (quæ abest a petitione consilii circa culpam internam), occulte vel publice *manifestant*. — Hujusmodi sunt omnes Protestantes, Schismatici errantes in fide, Jansenistæ, recentiores Antiinfallibilistæ seu *Veteres Catholici*, Spiritistæ seu Spiritæ, et qui exercent superstitiones hæreticales.

3° CREDENTES (apostatis vel hæreticis) sunt qui eorum errores *implicite* sustinent, in genere *declarantes* hos vel illos hæreticos recte sentire, v. g.

(1) Memoriæ juvandæ gratia, hisce, si lubet, utere versiculis :

Hæreticus, legens, scindens, clamans, feriensve,
Impediens, cogens, prohibens, falsans, inhonestus,
Usurpans, retinens, intrusus nomine quovis :
Omnes hi sontes debent se sistere Romæ.

si quis dicat : « Credo quod credit Calvinus », vel : « Credo Calvinum fuisse virum sanctum » ; vel : « Febronius recte sentit de R. Pontificis primatu », etc. Item, si quis assistat hæreticorum concionibus, non quidem audiendi curiositate, aut pecuniæ aviditate allectus, sed animo ductus assentiendi falsæ doctrinæ, cui in confuso jam fidem præstat, v. g. illam laudando ; item qui quacumque de causa, etiam nomine tenus et sine mente hæreticali, se adscribit sectæ hæreticæ ; pariter qui coram ministro hæretico nuptias contrahunt (S. Offic., 14 jan. 1818, 7 jul. 1864, 29 aug. 1888, 28 jun. 1889).

Theologi, ubi disputant *de communicatione cum hæreticis*, multa alia notant sub gravi prohibita ; sed in his saltem jure communi nulla incurritur censura.

4° Receptores sunt qui hæreticum qua talem, non vero qua amicum vel consanguineum, domi excipiunt vel occultant, ut ille hæresis pœnas effugiat. — Fautores sunt qui hæreticis (sive notoriis, sive occultis) favorem præstant : vel *positive* eos laudando, commendando, v. g. apud gubernium, exercitium hæretici cultus promovendo, scholas eis aperiendo, pueros ad istas mittendo, etc. ; vel *negative*, omittendo, absque justa causa, eorum denuntiationem vel correctionem, quando ad eam faciendam ex officio tenentur (1). — Defensores sunt qui quomodocumque hæreticorum vel errores defendunt, etsi interne aliter sentiant ; vel eorum personas tuentur, v. g. impediendo quominus judicibus sistantur, vel ab eis puniantur. — Defensoribus tamen non accensendi sunt qui hæretici libri stylum et elegantiam, vel auctoris scientiam laudant, nisi forte laus in ipsius doctrinæ approbationem redundet (2).

938. — II. « Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos ; — eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes. » — Cf. Bull. *Cœnæ*, § 1, et Reg. X Indicis.

A. Libri ergo hac censura prohibiti sunt : 1° Libri auctoris *apostatæ a fide* vel *hæretici* (qui publice ut talis habeatur, sive ex secta ad quam pertinet, sive ex pertinacia qua hæreticam doctrinam tradit ac defendit), in quibus non solum (ut olim) *hæresis* contineatur, sed etiam *propugnetur* ; — 2° Libri cujuslibet auctoris, *nominatim* seu expresso operis titulo prohibiti (sub pœna excommunicationis R. Pontifici reservatæ) *per litteras Apostolicas* (etiam antiquas), sive in forma Brevis, Bullæ, Epistolæ aut Encyclicæ, sive in qualibet alia forma continentes has vel similes declarationes : « de Apostolicæ nostræ auctoritatis plenitudine, vel Apostolica auctoritate (3). » Hujusmodi sunt : *Les paroles d'un croyant*, auctore *La Mennais* ; *Juris ecclesiastici institutiones*, auctore *Nuytz*.

Censura igitur *non se extendit* ad libros qui per decreta generalia prohibentur ; nec ad libros qui sunt simpliciter in Indicem relati ; nec ad libros alicujus auctoris in globo damnatos ; nec ad libros Infidelium aut

(1) Inst Em. Card. Vic ad parochos Almæ Urbis, 12 jul. 1878, 29 sept. 1884 (*Acta S. Sedis*) vol. XI, p. 168). — (2) S. Alph., lib. VII, 300-308, ubi plura. — (3) Cf. Pennacchi, I, p. 117 et seqq.

Judæorum, licet hæresim propugnent, cum isti non veniant nomine apostatarum aut hæreticorum. Sub nomine *librorum*, juxta usum receptum, non veniunt ephemerides seu diaria, epistolæ, conciones, minoris molis opuscula, sicut nec quædam folia a libro prohibito sejuncta (Resp. Cong. Indicis et S. Officii, 27 april. 1880). — Contra, sub nomine librorum veniunt *scripta periodica* (*livraisons*, *revues*) seu singuli fasciculi ad volumen componendum destinati (S. Offic., 14 jan. 1892) : item *manuscripta*, ut communius docetur; pariter versiones operis prohibiti in aliud idioma (1).

939. — *B.* Personæ hic excommunicatæ, modo agant *scienter*, id est, seclusa ignorantia sive juris sive facti, etiam crassa et supina, non autem ignorantia affectata (saltem probabilius, quia hujusmodi ignorantia secum fert contumaciam et æquiparatur scientiæ), sunt sequentes:

1° *Legentes* quantitatem relative notabilem, v. g. unam paginam magni voluminis, vel procœmium aut præfationem, vel etiam paucas lineas in quibus præcise hæretica doctrina propugnatur. Nihil refert quod ore verba recitent, vel oculis tantum ea percipiant. — Censura tamen non innodatur, qui legit solum materialiter, i. e. in lingua sibi ignota; nec qui alium, etsi suo jussu legentem, culpabiliter audit, ut probabiliter docent Navarrus et alii, contra plures; nec qui recitat loca libri prohibiti, quæ olim memoriter didicit. E contra, a censura non liberatur legens animo confutandi errores, extra necessitatem in qua licentia postulari nequeat.

2° *Retinentes* per notabile tempus, v. g. per tres dies, sive apud se, sive apud alium etiam facultate librum retinendi donatum, sed a quo illum pro libitu suo repetere possint (secus, si cum pacto non repetendi, nisi post purgationem libri, vel licentiam obtentam), quamvis non retineant ad legendum, ut v. g. depositarius, commodatarius, bibliopola, bibliothecarius, vel socius habens condominium in societate litteraria (2). — Excusatur tamen qui diutius retinet, exspectans donec illum opportuno tempore tradat Superiori, vel alii habenti licentiam. Nec incurritur censura, si liber comburatur; aut si illa pars libri quæ sola prohibitioni ansam dedit, ita destruatur, ut non amplius legi possit. Tunc enim non retinentur libri prohibiti. Aliunde, præceptum eos tradendi Episcopo vel Inquisitori non amplius viget (*V. Supra*, n. 660).

3° *Imprimentes*, sub quo nomine, præter editorem et typographiæ dominum, veniunt qui typos ordinant aut legunt, torcular premunt, chartam supponunt, atramentum proxime parant, et generatim illi omnes qui *scienter* et proxime ad libri editionem concurrunt, nulla causa a gravi peccato excusante eorum cooperationem (3). Corrigentes impressa folia non comprehenduntur inter imprimentes, sed inter legentes.

4° *Defendentes*, sive factis, libros propagando, venales exponendo, occultando ne tradantur judici, vel comburantur; sive dictis aut scripto, eos laudando, excusando, damnationem carpendo, etc. Qui tamen non pra-

(1) S. Alph., lib. VII, 281 et seqq. — (2) Cf. Konings, n. 1704, qu. 8°. — (3) Cf. cit. Instr. Em. Card. Vic.

vam libri doctrinam laudat, sed stylum vel auctoris scientiam, excusatur a censura (1).

940. — III. « Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt. » — (Bulla *Cœnæ*, § 1, plane concordat.)

Censura attingit : 1° Schismaticos *proprie dictos*, illos scilicet qui non solum a R. Pontificis obedientia pertinaciter resiliunt, sed *novas ecclesias* audacter constituunt vel sequuntur, et sic a capite et a corpore matris Ecclesiæ sese disjungunt. Tales sunt *Veteres Catholici*, qui duplici excommunicatione in hæreticos et in schismaticos lata plectuntur. — 2° Schismaticos *imperfectos*, illos scilicet qui nolunt obedire Romano Pontifici pro tempore existenti, habentes se solutos a suprema illa quæ ei divinitus concessa est potestate. Ex illis videntur esse quidam scriptores, *liberales* dicti, qui, futili prætextu, R. Pontificis decisiones et mandata pertinaciter rejiciunt (2), et eo ipso se subtrahunt ab illius obedientia; quidam tamen negant, eo quod formaliter non detrectent auctoritatem Rom. Pontificis.

Censura vero non attingit : 1° eos qui temporale dominium Romani Pontificis non admittunt vel impugnant; 2° eos qui simpliciter renuunt obedire ejus mandatis, quia gravia sunt et molesta, vel ex odio in ejus personam privatam; hi enim non abjiciunt ejus auctoritatem ; — 3° eum qui renueret subesse Pontifici quatenus sibi suspecto, aut dubie legitimo, id est ab universali Ecclesia ob electionem dubie validam nondum recepto- — 4° eum qui ab obedientia proprio Episcopo debita recedit, etsi pertina; citer. Excipe, si renuat subesse Episcopo, quia non vult eum habere ut legitimum Pastorem; idem enim est ac nolle se subjicere R. Pontifici, qui eum misit (3).

941. — IV. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes ; necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit. » — (Bulla *Cœnæ*, § 2, concordat.)

Ex hoc capite excommunicantur : 1° *appellantes ;* ratio est, quia appellatio fieri nequit nisi ab inferiore ad superiorem ; Papa autem non est Concilio generali inferior ; unde istiusmodi appellatio non solum injuriam facit Supremo Ecclesiæ Capiti, sed etiam schismatis præ se fert speciem. Imo, si quis appellaret, quia autumaret Papam non habere supremam atque infallibilem auctoritatem in Ecclesia, foret insuper hæreticus, ac duplici excommunicatione plecteretur. — Per *ordinationes* autem et *mandata*, a quibus appellare nefas est, intelligenda sunt omnia acta quibus R. Pontifex. munere supremi Pastoris fungens, aliquid imperat ad bonum animarum spectans ; non vero illa quæ se ad civile regimen referunt. Nec interest, utrum decretum de quo appellatur sit universale an particulare, disciplinare an dogmaticum. Attamen, qui a decreto *dogmatico* appellaret, insuper ut hæreticus excommunicaretur. — Vide quoad Collegia, etc., n. 999.

(1) S. Alph., lib. VII, loc. cit. — (2) Brabandere, n. 1442 ; Patavin., n. 142 ; Pennachi, I, pag. 10, adnot. I. — (3) Konings, n. 1708.

Excommunicantur 2° *Cooperantes*, « quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit. » — Excommunicatione vero non plecteretur, nec qui ad præsens Concilium, vel ad futurum Pontificem appellaret, nec qui appellationem ab aliis jam factam approbaret (1).

942. — V. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos vel Nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes; — necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem. » — (Bulla *Cœnæ*, § 11, concordat.)

Hac censura puniuntur : 1° *exercentes crudelitatem in* PROCERES ECCLESIÆ, sive in eorum corpora, eos nempe interficiendo, mutilando, percutiendo; sive in eorum libertatem, eos capiendo, carcerando, detinendo etiam ab aliis captos; sive in eorum dignitatem, eos hostiliter insequendo, animo scilicet non solum exterrendi, sed etiam iis nocendi; vel eos jam receptos ejiciendo a suis terris, etc., id est, a locis ipsorum jurisdictioni subjectis. — Censura vero non stringuntur qui eos simpliciter non recipiunt, vel e civitate, non autem e territorio, expellunt.

2° *Cooperantes*, id est, mandantes, præstantes auxilium vel favorem. — Quinimo (etsi ratihabitio ecclesiasticis censuris, ut plurimum, non subjiciatur), excommunicationem præsentem incurrunt *rata habentes*, ii scilicet qui, crimine jam perpetrato, illud approbant. — Verum, ad hoc requiritur : 1. Ut id factum fuerit eorum nomine (ut olim erga S. Thomam Cantuariensem); 2. ut tempore patrati delicti illud mandare potuerint; 3. ut illud gravi aliqua actione externa, v. g. scriptura, congratulatione, applausu, laude, etc., approbent (2).

N. B. Confundi non debet hæc censura cum alia, quæ incipit : ***Violentas manus***, etc. (n. 952), ad tuendam quamcumque personam ecclesiasticam lata.

943. — VI. « Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori, — et (id est, etiam) ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes,— edentes,— aut auxilium, consilium, vel favorem præstantes. » — (Bulla *Cœnæ*, § 16.)

Excommunicantur : 1° *Impedientes* vi, minis vel imperio, exercitium quodcumque jurisdictionis ecclesiasticæ, sive hæc sit ordinaria (ut jurisdictio Papæ, Episcopi, parochi), sive delegata; sive fori *interni* (3), cui præficitur S. Pœnitentiaria, sive *externi*, in quo jus dicunt tum Congregationes Romanæ, tum Ordinarii locorum. — Impediunt autem directe vel indirecte : *directe*, si obstent ipsi personæ jurisdictione præditæ, v. g. si quis minetur necem Episcopo, ne censuram ferat, ne beneficium conferat, ne visitet diœcesim, ne prædicatores mittat, ne bona ecclesiastica acquirat vel alienet, ne mutet parochum, etc.; *indirecte*, si obstent efficaciter in alia re, vel in alia persona, v. g. bona Episcopi sequestrando, officiales vel familiares ejus vexando, etc. — Non sufficit impediri actum *meræ administrationis*, v. g. redditionem rationis.

(1) Comment. Reatin. n. 40 47. — (2) S. Alph., lib. VII, 267. — (3) In Bulla *Cœnæ*, non ita expresse nominabatur forum internum.

2° *Recurrentes ad forum sæculare*, i. e. ad personas jurisdictione civili pollentes, *ejusque mandata procurantes*, ut sententiæ vel alii actui jurisdictionis ecclesiasticæ obsistant. — Hujusmodi sunt qui, populi suffragio electi, *mandatoque potestatis civilis muniti*, audent, obstando Ecclesiæ, sese intrudere in parochiale vel episcopale regimen (1). — (Cf. Excomm. XI, n. 948.)

3° *Edentes mandata*, scilicet, ipsi judices vel magistratus civiles, qui mandata auctoritative condunt et edunt, ad impediendum aliquem actum jurisdictionis. — Non excommunicantur vero *actuarii*, qui mandata exscribunt; nec *præcones*, qui ea denuntiant; nec *cursores*, qui ea deferunt. Ratio est, tum quia hi omnes (etiamsi lubenti animo operam suam præstent) necessitati parent, tum quia lex, quando eos censura teneri vult, id formaliter declarat.

4° *Cooperantes* seu impedientes *secundarii*, illi nimirum qui supra recensitis personis aliqua ratione satis efficaci et graviter culpabili vel *auxilium* præbuerunt, physice cum eis cooperando, vel præstiterunt *consilium* vel *favorem*, moraliter tali modo cooperando. — Hujusmodi sunt, v. g. qui pastores INTRUSOS eligunt, adjuvant, iisque favent.

Nota. Quædam Gubernia instituerunt tribunal ad judicandum *circa abusum* potestatis ecclesiasticæ. Qui ad tale tribunal contra decreta Episcopi recurrit, hanc gravem censuram incurrit. Volunt aliqui auctores (Reatinus (2), Gabriel a Varceno) (3), *recurrentes* non incurrere excommunicationem, nisi *effectu secuto*; alii tamen (Del Vecchio (4), Grandclaude (5), Avanzini) (6) dicunt sufficere recursum injustum ad tribunal civile, ad impedienda decreta judicis ecclesiastici : et hæc sententia probabilior nobis videtur (7). At, licet non necessarium sit ad incurrendam censuram quod mandatum obtentum sit executioni datum, juxta plerosque commentatores requiritur ut recurrentes vere mandatum obtinuerint; alias crimen propter quod censura lata est non esset consummatum in propria specie.

944. — VII. « Cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones; — item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ. » — (Cf. Bullam *Cœnæ*, § 15.)

Hac censura feriuntur 1° Qui violant *privilejium* FORI, seu *immunitatem personarum* ecclesiasticarum, sive in causa criminali, sive in civili.

Per *cogentes* non intelliguntur nisi *legislatores et aliæ auctoritates* cogentes, sive directe sive indirecte, judices laicos ad prædictam immunitatis ecclesiasticæ violationem (8). Censura igitur non comprehendit alios judices vel officiales; nam in Instr. S. OFFICII, die 1 febr. 1871, declaratum est : « Excommunicationem eos non attingere qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint; sed in eos tantum esse latam qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt (9). » — (Concordat cum Bulla *Cœnæ*) (10).

Per verbà : *præter canonicas dispositiones*, alluditur ad multiplices

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 702. — (2) N. 48. — (3) Ad hanc Excommunic. VI, n. 9. — (4) I, n. 574. — (5) Ad Excom. VII, n. 2. — (6) Edit. 2, not. 7. — (7) Haringer (in 2ª edit. Ratisb. 1881), append. ad lib. VII S. Alph , n. 26 — (8) Declar. S. Officii, data die 23 januar. 1886. — (9) Avanzini (edit. 1872), p. 16. — Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VI, pag. 433. — (10) Cf. S. Alph., *de Privil.*, n. 19-24.

casus, in quibus judex laicus contra clericos, sive in civilibus, sive etiam in criminalibus, licite procedere potest, v. g. si clericus degradatus fuerit, etc. — Ubi vero, sinente vel silente S. Sede, privilegium FORI non amplius viget, nec jus civile privatorum a judice ecclesiastico obtineri potest, censura videtur ipso facto cessare (10).

Feriuntur 2° Qui *edunt leges vel decreta contra* LIBERTATEM *aut* JURA *Ecclesiæ*. Hæc verba latissime patent; iis enim exprimuntur omnia jura ac libertates quæ Ecclesiæ competunt, ut jus docendi, promovendi ad Ordines; item, jura quæ Ecclesiæ competunt, quatenus ipsa est societas, quale est jus acquirendi, sive actibus ultimæ voluntatis sive inter vivos, jus alienandi, elocandi bona sua, etc. — Porro censura feriuntur, et quidem ipso promulgationis momento, istiusmodi *legum* ac *decretorum* auctores, i. e. Deputati ac Senatores, qui ipsis ferendis ac condendis efficaciter suffragantur; Princeps, qui suum nomen ipsis subscribit vel eas promulgat; item Ministri, Gubernatores, Præfecti, Municipes, etc., qui *decreta* aliquod jus Ecclesiæ impugnantia ferunt, v. g. decreta quibus monasteria vel loca pia supprimuntur (1).

Olim, ex Bulla *Cœnæ*, incurrebant etiam excommunicationem qui istiusmodi decretis vel legibus *utebantur*. Secus hodie: eam enim non incurrunt, nec *præcones* aut alii officiales qui talia decreta evulgant vel observari curant; nec *tabelliones* qui acta ad eorum normam conficiunt; nec *litigantes* qui iisdem decretis utuntur; nec *judices* qui suas sententias eisdem accommodant. — Sed perpendendum est num incidant in aliam, v. g. ex eo quod ecclesiasticam jurisdictionem lædant.

945. — VIII. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas Litteras vel Acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem legatis aut delegatis quibuscumque profecta; — eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes; — aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes vel perterrefacientes. » — (Cf. Bulla *Cœnæ*, § 13.)

Præsens censura tuetur *Litteras* et *Acta* S. SEDIS, per quæ intelligenda sunt omnia documenta (gratiæ et justitiæ) profecta sive *immediate* a R. Pontifice et a S. Sede, v. g. a S. Pœnitentiaria, vel ab aliis SS. Congregationibus (S. Offic., 14 jan. 1892); sive *mediate* per Legatos, Nuntios, etc.

Olim major, hac in re, fuit severitas; nam Bulla *Cœnæ* extendebat etiam excommunicationem ad præsumentes prohibere accessum seu recursum ad Romanam Curiam, pro quibusvis prosequendis negotiis seu gratiis litterisve impetrandis. — Piana autem Constitutio eos tantum excommunicatione ferit, qui Actorum S. Sedis promulgationem vel executionem variis modis impediunt, videlicet: 1° *Recurrentes* ad ea impedienda (sive appellando, sive provocando) *ad laicam potestatem*, sive civilem, sive militarem, cujuscumque gradus sit illa potestas; et hoc, in probabiliori sententia, quamvis recurrens passus fuerit repulsam. — 2° *Prohibentes promulgationem*, eam nempe quæ legis obligationem inducit; vel *executionem*, v. g. impediendo ne litteræ suum effectum sortiantur, ut si

(1) Reatin., n. 64. — (2) Reatin., n. 50-51. — Cf. *Syllabus Pii IX*, n. 32, 33, 45, 47.

quis eas intercipiat, vel notarium prohibeat quominus super his instrumenta conficiat, vel jam confecta tradat. — 3° *Lædentes* (quoad corpus), vel *perterrefacientes* (metu gravissimo) *sive ipsas partes*, i. e. personas quæ illis litteris juvantur, *sive alios*, v. g. patrocinatores partium, executores, omnes demum ad quos obtenta acta aliqua ratione referuntur : quod nostris temporibus, apud quædam Gubernia civilia non semel verificatum est (1).

946. — IX. « Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum ; — necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis ; — et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut gerentis vices prædictorum. » (Bulla *Cœnæ*, § 6, iisdem verbis, quibus usus est Bened. XIV, an. 1741.)

Per *Litteras Apostolicas* intelliguntur litteræ quæ nomine R. Pontificis mittuntur, sive in forma Bullæ (ex Dataria, vel ex Cancellaria), sive in forma Brevis, aut Supplicationis et Rescripti ; non autem Litteræ seu Responsiones SS. Congregationum, Pœnitentiarii Majoris, vel Nuntiorum (2).

Excommunicantur igitur : 1° Qui *falsificant* Litteras Apostolicas, etc., nempe, aliquid notabile mutando, addendo, demendo, quo sensus corrumpatur, puta, si R. Pontifex aliquid concesserit ad triennium, et impetrans mutet in quinquennium. — 2° Qui falso *publicant* vel veras Litteras, sed subreptitie sine jussu et contra R. Pontificis voluntatem ; vel Litteras ex integro falsas aut corruptas, perinde ac si authenticæ essent. Secus, si dubias Litteras tanquam dubias publicent, vel si historice ut ab alio publicatas referant. — 3° Qui falso *signant*, i. e. subscribunt nomine R. Pontificis : *pro gratia facta*, vel falsum sigillum aut falsam signaturam apponunt.

N. B. Qui scienter falsis litteris *utitur*, incurrit excommunicationem Ordinario reservatam, ut videre est n. 973.

947. — X. « Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem. » — Benedicti XIV Const. *Sacramentum*, § 3, et *Apostolici muneris*, § 3 et 4 (3).

Dicitur 1° *absolventes* : unde censura non ferit eum qui complicem audit tantum in confessione. — At S. Pœnitentiaria, sub die 1ª martii 1878, Episcopo *Ruthenensi* respondit : « Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi, non effugere excommunicationem reservatam in Bulla Benedicti XIV *Sacram. Pœnitentiæ*. » — Idem constat ex Decreto S. Officii, 22 julii 1773 (ex documentis authenticis, a nobis inspectis) (4). — Porro « *simulatio* sacramenti tunc habetur, cum minister ponit ejus

(1) Cf. De Angelis, *Prælect. Juris Canonici*, lib. I, tit. XXIX, n. 6. — (2) Reatin., n. 76. — (3) Institutiones Alphonsianæ, n. 1780-1784. — (4) Item ex Resp. *S. Officii*, 10 dec, 1883 (cf. *Acta S. Sedis*, XVII, p. 555).

materiam et formam, vel solam formam, sine intentione interna sacramentum conficiendi. *Dissimulatio* autem sacramenti haberi dicitur, cum fictio seu defectus est ita exterior, ut per se agnosci possit, v. g. si sacramenti non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a sacramento. » (*Institut. Alphons.*, n. 1429, q. 3°.) Hinc concludendum videtur excommunicationem non incurri a sacerdote qui non pronuntiat verba absolutionis, licet videatur absolvere; non enim absolvit, vel *simulat* absolutionem, sed *dissimulat* tantum et aliud efficit.

Dicitur 2° *complicem in peccato turpi;* quo nomine venit omne peccatum contra castitatem, externum, grave, certum et formale ex utraque parte, ex mutuo consensu utrinque manifestato commissum, quod subjici debet et actu subjicitur absolutioni tanquam materia necessaria. — Dubio ab Episcopo *Aurelianensi* proposito : « An prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus; an vera comprehendat omnia peccata gravia contra castitatem exterius commissa, etiam illa quæ in meris aspectibus consisterent? » S. Officium, die 28 maii 1873, responderi mandavit : « Comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quæ consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important (1). »

Dicitur 3° *etiam in mortis articulo, si*, etc.; unde complex non vitat censuram, etsi valide absolvat, si non curat ut morienti complici alius confessarius aut sacerdos non approbatus præsens adsit (2).

Nota. Hæc censura dicitur *specialissime* reservata, quia in facultate absolvendi a casibus S. Sedi etiam speciali modo reservatis, quæ Ordinariis vel missionariis conceditur, hic casus expresse excipitur, ut constat ex pluribus S. Officii decretis; nec ab ea certe excusat ignorantia crassa et supina (S. Offic. 14 jan. 1892). — S. Pœnit. (19 febr. 1896), approbante Leone XIII, declaravit « Excommunicationem reservatam in bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo non est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius pœnitentem induxit, sive directe, sive indirecte. » — Excipitur similiter in Bullis *Jubilæi* et *Cruciatæ* (3).

948. — XI. « Usurpantes, — aut sequestrantes — jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes. » — Bulla *Cœnæ*, § 17.

Prænota. Quatuor excommunicationes feruntur contra eos qui de bonis Ecclesiæ *illicite* disponunt : — prima in præsenti articulo, si usurpent bona quæ *ad personas ecclesiasticas titulo Ecclesiæ vel beneficii* pertinent; — secunda in articulo sequenti, si invadant bona *Ecclesiæ Romanæ;* — tertia, R. Pontifici simpliciter reservata, ex Tridentino (n. 970), si usurpent bona aut jura *cujuscumque beneficii vel loci pii;* — quarta demum, nemini reservata (n. 976), si *alienent* illicito modo bona ecclesiastica cujuscumque generis.

A. Bona igitur quæ hic articulus tuetur, sunt : — 1° *Jurisdictio*, sive spiritualis, sive temporalis, ordinaria vel delegata; 2° *bona* temporalia,

(1) Cf. *Nouv. rev. theol.*, X, p. 118. — (2) Cf. S. Alph., lib VI, 553-556. — (3) Cf. *Mon. eccles.* vol. I, p. 173, 269.

sive mobilia sive immobilia, necnon *jura* ad eadem bona; — 3° *reditus*, ut vinum ex vinea, pretium ex locatione, etc., *pertinentes ad personas ecclesiasticas, non ratione quacumque, sed ratione suarum Ecclesiarum, vel Beneficiorum* sæcularium aut regularium. — Non comprehenduntur vero bona beneficiorum vacantium, nec ea quæ pertinent ad Montes Pietatis, nosocomia, cœmeteria, capellanias laicales, sodalitia laicorum, vel fabricam Ecclesiæ, quia proprie non pertinent ad personas, sed ad instituta; — nec bona Monasteriorum, quia in hac constitutione non recensentur sicut in Bulla *Cœnæ* recensebantur, nec proprie ad personas pertinent, sed ad monasteria (1).

B. EXCOMMUNICANTUR : 1° *Usurpantes*, i. e. rem alienam (supra designatam) occupantes tanquam propriam vel sibi debitam. — Unde non incurrunt *hanc* censuram fures, raptores, prædones, etc., qui rem invadunt tanquam alienam, nec jus in eam prætendunt (S. OFFICIUM, 9 martii 1870); neque probabiliter illi qui rem ab aliis usurpatam sibi *acquirunt*, actibus sive ultimæ voluntatis, sive inter vivos, quia proprie non usurpant, licet peccent et alias pœnas incurrant. (Cf. n. 970). — 2° *Sequestrantes*, i. e. judiciali auctoritate sequestrum pronuntiantes, vel exequentes, atque ita impedientes ne a designatis personis bona percipiantur (2).

Item, ex Litteris Encyclicis PII IX, 21 nov. 1873, pro *Helvetia*, et ex Decreto S. Congr. CONCILII, 23 maii 1874, pro provinciis *Veneta* et *Mediolanensi*, declarantur censura peculiariter S. Sedi reservata (aliisque pœnis) innodati « quicumque in præmemoratis diœcesibus, *suffragante populo*, ad parochi sive vicarii officium electi, audeant sive Ecclesiæ, sive jurium ac bonorum prætensam possessionem arripere, atque obire munia ecclesiastici ministerii. »

Hanc excommunicationem incurrunt etiam asseclæ *societatis clerico-liberalis seu emancipatricis cleri*, qui populari sacrorum electioni dant operam ; et licet schismaticis jure annumerentur, ex hoc etiam articulo, uti ex artic. VI, damnandos esse S. Congr. Conc. docuit, in Instructione ad omnes Ordinarios Italiæ (21 jan. 1878).

N. B. Instructiones S. PŒNITENTIARIÆ circa *intrusos* vide infra, n. 950. *Quær.*

949. — XII. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia ; — vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis ; — necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes. » — Bulla *Cœnæ*, § 20.

Hæc censura tuetur DOMINIUM TEMPORALE *S. Sedis*. — Excommunicantur : 1° Qui *per se*, vel *per alios*, v. g. exercitum mittendo, civitates, terras, loca aut *jura* (sc. temporalia, eaque principalia) *invadunt*, etc. — Qui supremam (ac temporalem) R. Pontificis in his jurisdictionem *usurpant*, vel *perturbant*, vel *retinent*, v. g. qui impediunt quominus R. Pontifex leges in his locis publicet, tributa exigat, etc. (cf. n. 948, *B.* v°.

(1) Avanzini, not. 34, pag. 120 ; Reatin., n. 85. — (2) Cf. Scavini, IV, append. 32 ; Del Vecchio, 583-587, ubi plura.

Usurpantes). — 3° *Cooperatores* qui ad singula prædicta *auxilium, consilium, favorem* præbent, scilicet per actionem formalem, efficacem, liberamque a metu gravi et coactione. Unde, generatim, *milites* qui Romam invaserunt, non contraxerunt censuram, quia eorum cooperatio fuit solum coacta et materialis ; eam vero contraxerunt qui voluntarie nomen suum militiæ, sive civicæ sive nationali, dederunt.

Circa hos COOPERATORES notetur : 1° Qui munus publicum obeunt, quo directe et proxime influunt in Ecclesiæ spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem (ut v. g. *primi Magistratus* cujusque provinciæ, urbis, terræ, oppidi), censura tenentur, si officio possint abstinere sine incommodo gravi, tum *proprio*, tum *publico*. — 2° Qui explent munera *municipalia* vel alia, pro publica tuenda tranquillitate, non incurrunt excommunicationem, nisi juramentum præstent, quo activam obedientiam Usurpatori promittant, vel nisi talia exequantur quæ divinis ecclesiasticisque legibus adversantur. Et idem dicendum videtur de illis qui, apud intrusum Gubernium, *consulis* et *legati* munere funguntur. — 3° A fortiori eximuntur illi qui operam præstant solum remotam, v. g. præbendo usurpatoribus victualia, ædes locando, inserviendo, etc., sicut ex variis S. Pœnitentiariæ responsis constat (1).

Ad *adhærentes* quod attinet, quamvis hic (ut olim in Bulla *Cœnæ*) non recenseantur, præfatam tamen excommunicationem certe incurrunt, ut constat ex Epist. Encyclica Pii IX, die 1ª nov. 1870 edita. — Ad hoc autem, juxta communiorem sententiam, requiritur ut adhæsio seu delicti approbatio (v. g. in foliis publicis), auxilium vel favorem præstet, i. e. ut ad spoliationem, vel spolii manutentionem, revera concurrat (2).

N. B. Ex Bulla *Cœnæ* censura restringebatur ad eos qui *præsumpserint* invadere, etc. Secus *hic ;* unde minor contumacia videtur hodie requiri.

950. — XIII. Duodecim excommunicationibus specialiter reservatis, quas continet Const. *Apostolicæ Sedis*, addenda est alia, quam Constitutio *Rom. Pontifex*, 5 sept. 1873, ad tuendum jus Vicariorum capitularium contra INTRUSOS edixit (3).

Hac censura plectuntur : 1° Canonici ac Dignitates *Cathedralium* ecclesiarum vacantium, qui *ausi fuerint* concedere et transferre Ecclesiæ vacantis curam, regimen et administrationem... in nominatum et præsentatum a laica potestate (ex S. Sedis concessione seu privilegio), vel a Capitularibus ipsis jure electum, ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum ; — 2° Ipse nominatus et præsentatus (vel ut supra electus) ad vacantem Ecclesiam, qui ejus curam, regimen et administrationem, sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine, suscipere audet ; — 3° Omnes qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint.

Additur : « Si vero aliqui ex prædictis episcopali charactere sint insi-

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 557-566, et vol. II, pag. 675-679. — (2) Cf. Patavin., n. 202 et 203. — (3) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 404 et 702. — Cf. Haringer, op. cit. n. 52 ; Reatin., append., § I.

gniti, in pœnam SUSPENSIONIS ab exercitio Pontificalium et INTERDICTI ab ingressu ecclesiæ, ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam » (cf. n. 984, 998, 1003).

Præterea : 1° *Canonici* præfati et *Dignitates* mulctantur pœna privationis fructuum et redituum ecclesiasticorum, ipso facto incurrenda, et a R. Pontifice relaxanda. — 2° *Nominatus* jure quod ipsi per nominationem forte quæsitum fuerat, privatus existit.

QUÆR. *Quænam servanda sint a catholicis respectu ad* INTRUSOS ?

Resp. En præcipuæ præscriptiones, quas Pius VI servandas dedit respectu *intrusorum* in GALLIA, et quibus nunc ubique locorum standum est : — 1° Non potest adiri parochus intrusus pro administratione *Baptismi*, nisi in casu quo non sit alius valens baptizare ; nec licet fungi officio patrini, si forte intrusus baptizet. — 2° Non licet, diebus etiam festivis, audire *Missam* ab intruso celebratam, etsi alia non possit audiri ; nec licet *concioni*, aliisque functionibus intrusi interesse, vel ab eo alia officii sui ministeria postulare, vel Missæ celebrationem ipsi committere. — 3° Non licet ab intruso *communionem* sumere, ne quidem ad satisfaciendum *paschali* præcepto. — 4° Etsi genuflectendum sit coram hostiis ab intruso consecratis, curandum tamen est (ne, in hoc cultu præstando, catholici communicare videantur cum schismaticis) ut declinetur occursus intrusi, dum Eucharistiam defert. — 5° Non licet parochum intrusum adire pro contrahendo *matrimonio* ; unde, si nullum aliud suppetat medium, nec Superior possit deputare alium parochum aut presbyterum, debent fideles sine pastoris præsentia contrahere. — 6° Non licet mulieribus, expleto puerperio, recipere ab intrusis benedictionem quæ mulieri *post partum* dari solet. — 7° Defunctorum *exequiæ* celebrandæ sunt a legitimo pastore, etiam in domibus privatis, si aliter fieri nequeant. Si autem intrusus cadaver ad ecclesiam deferat, catholici *nec funus comitentur*, nec sacras preces recitent, vel alios Ecclesiæ ritus cum illo sociati observent (1).

§ 2. — *Excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatæ.*

Sunt DECEM et OCTO ; quibus adjiciuntur una ex CONC. TRIDENTINO, et altera ex declaratione S. OFFICII, ut infra videbitur.

Excommunicationi hujusmodi PIUS IX subjacere declarat :

951. — I. « Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ ; — item docentes vel defendentes tanquam licitam, praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV, in Const. *Suprema*, 7 julii 1745 ; *Ubi primum*, 2 junii 1746 ; *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746. »

A. Ut quis censuram in prima parte expressam incurrat, necesse est : 1° Ut *doceat*, i. e. in aliorum mentem insinuare studeat, sive *publice*, sive *privatim*, verbis aut scriptis ; vel *defendat*, i. e. tanquam veras, vel licitas et non damnandas, tueri adnitatur damnatas propositiones. Censuram

(1) Ninzatti, n. 1728 ; cf. *Acta Pii VI*, II, p. 84.

vero non incurrit, si simpliciter asserat se adhærere propositioni damnatæ, vel bonis et non futilibus argumentis demonstrare contendat alicui propositioni inesse sensum non condemnatum ; nam inter damnatas propositiones, « quædam damnatæ sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendæ ad omnes casus particulares, qui propter aliquam gravem circumstantiam distinguuntur (1). » — 2. Ut istæ propositiones sint *damnatæ ab Apostolica Sede*, i. e. a R. Pontifice, sive per se, sive ejus nomine per S. Officium, non vero a Conciliis œcumenicis, et sub *pœna excommunicationis latæ sententiæ*, quæ afficiat directe ipsas propositiones, et non solum librum in quo continentur, quamvis propter eas damnatum.

Ita damnatæ fuerunt : a *Leone X*, 41 propositiones Lutheri ; a *S. Pio V*, 79 Baii ; a *Clemente VIII*, 1 circa confessionem et absolutionem per litteras vel internuntium ; 45 ab *Alexandro VII*, confirmante duo Decreta S. Officii ; 65 ab *Innocentio XI*, per Decretum S. Officii ; 68 ab *eodem* Pontifice contra Michaelem de Molinos ; 1 ab *Alexandro VIII*, circa peccatum philosophicum ; 31 ab *eodem* Pontifice circa rigorismum, per Decretum S. Officii ; 5 a *Benedicto XIV* circa duellum (2). — Huc vero non veniunt propositiones damnatæ *sub pœnis a jure statutis* (i. e. sub pœnis contra hæreticos vel suspectos de hæresi pronuntiatis) ; nec propositiones damnatæ a *Martino V* contra J. Wicleff et contra J. Huss, vel a *Pio VI* contra Synodum Pistoriensem ; nec errores recensiti in Syllabo Pii IX, eo quod nullam censuram secum ferunt (3).

B. Quod speciatim attinet ad *praxim inquirendi nomen complicis*, hæc habet Benedictus XIV : « Qui *ausus* fuerit docere, licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, denuntiata, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione ; vel scribere aut loqui *præsumpserit* in ejusdem damnatæ praxis defensionem, » (incidit in excommunicationem R. Pontifici reservatam). — Tria igitur ad censuram requiruntur : 1° ut *doceat* quis vel *defendat* hanc praxim tanquam licitam ; 2° ut *doceat* vel *defendat utrumque simul licitum esse*, sc. exquirere nomen complicis (in quavis materia), et reticenti absolutionem denegare ; 3° ut *temerarie* hæc doceat vel defendat (4). Est ergo immunis a censura, tum qui damnabilem praxim sequitur, quin illam doceat vel defendat, tum qui ex ignorantia et sine contumacia illam docet vel defendit.

952. — II. « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos ; — exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus, jure vel privilegio, permittitur ut Episcopus aut alius absolvat. » Can. *Si quis deinceps* 22, et can. *Si quis suadente diabolo* 29, dist. XVII, qu. 4 (cap. xv Concilii Lateranensis II, sub Innocentio II, anno 1139).

Prænotamus, interpretationem hujus articuli esse *late* faciendam, tum in 1ª parte, ubi de privilegio *canonis*, tum in 2ª, ubi de facultate absolvendi agitur ; nam utrobique valet regula « favores ampliandi. » Vide dicta n. 942.

(1) S. Alph., lib. I, 104 ; III, 760. — (2) Cf. Konings, vol. I, Series propos. damn. — (3) Cf. Patavin., n. 230-238. — (4) S. Alph., lib. VI, 491.

A. Quoad PRIMAM PARTEM : 1° per verbum *injicientes* designantur : 1° ipsi percussores seu injuriose tractantes aliquem clericum, cujuscumque sint ætatis, sexus, conditionis, status, modo fuerint rationis compotes et doli capaces; dubium tamen moveri potest quoad impuberes, quia non exprimuntur in constitutione, nam Legislator illos designavit, quando voluit illos attingere, ut videtur infra, in excommunicatione VI, n. 956 ; — 2° mandantes, consulentes, consentientes, modo graviter et efficaciter influant in percussionem ; — 3° ratihabentes, modo quo supra (n. 942) explicavimus (1) ; — 4° non impedientes, si *ex justitia* vel *ex officio* impedire teneantur. — Ita communiter ex *authentica* interpretatione celebris canonis « *Si quis suadente diabolo* (2). » — Quidam recentiores (3) negant quidem censuram etiamnum extendendam esse ad *mandantes ;* sed hæc sententia nobis non satis probabilis videtur, quia nihil immutatum est, nec in ipsa censura, nec in ejus authentica interpretatione, quæ hanc *latissimam* significationem (in favorem status clericalis) constanter admisit (4) (cf. n. 934, 3°).

2° Per *manus violentas* intelligitur quævis *actio* contumeliosa, *externe gravis*, qua læditur clerici corpus, libertas, vel dignitas. — Hinc censuram incurrit : 1° qui leviter, imo levissime, percutit clericum, si percussio, ratione reverentiæ huic debitæ vel ratione circumstantiarum, existimetur graviter injuriosa ; — 2° qui clericum conspuit, luto contaminat, aqua conspergit, detinet in carcere, persequitur fugientem, ita ut in flumen vel fossam incidat, ei evellit crines, lacerat vestem, eripit aliquid per vim et injuriam de ejus corpore, v. g. pileum, pallium, etc., ita ut actio sit graviter injuriosa ; — 3° qui hæc agit, putans esse alium clericum quem lædere intendit, vel consentiente clerico, quia injuria ipsi ordini clericali infertur.

3° Dicitur *in clericos*, i. e. prima saltem tonsura insignitos, etiam excommunicatos, suspensos, interdictos, degradatos verbaliter tantum, non autem apostatas ab ordine sacro, et alios qui canonis privilegium amiserint (5) ; — *et monachos utriusque sexus*, i. e. quosvis religiosos vel religiosas, in latiori sensu ; ergo etiam feminas modo religioso conviventes in Congregatione ab Episcopo erecta, quamvis in ea non fiat professio, aut Institutum nondum fuerit a S. Sede approbatum ; item Novitios vel Tertiarios, si gestent habitum et vivant in communi (6).

4° Dicitur *suadente diabolo*, i. e ex malitia ac peccato gravi. — Secus vero, 1° si quis agat ex subita ira ; imo, jure excusatur qui occidit clericum agentem turpiter cum sua uxore, filia, matre aut sorore ; — 2° si percutiat jocose, vel casualiter, quamvis percussio sit materialiter gravis, vel sanguis copiose effundatur e naribus, et quamvis cum aliqua etiam ira venialiter culpabili conjungatur ; — 3° si percutiat ad defensionem sui vel

(1) Lib. V Decret., tit. XI, cap. XXIII, in 6. — (2) S. Alph., lib. VII, 264-280. — (3) Cf. Reatin., n. 101 ; Pennachi, I, p. 481 ; Formisano, ep. Nolanus, p. 71 ; Del Vecchio, I, n. 598. — (4) Cf. Patavin., n. 263 et seqq. ; Avanzini, p. 86 ; *Nouv. rev. théol.*, t. VI, p. 119. — (5) Non perdunt privilegium qui habitum clericalem non gestant quia impediti sunt, ut in Anglia, modo percussor sciat illos esse clericos (Scavini). — (6) Lib. V Decret. tit. XI, cap. XXI, in 6. — Konings, n. 1719, 3°. — Pagnanus, in cap *Nullus, De foro competenti*, n. 59, praxim S. Rotæ allegans.

suorum propinquorum, imo propriorum bonorum ; — 4° si auctoritate potiatur in clericum, uti prælatus, magister, pater, etc., et percutiat moderate ad correptionem.

B. Quoad SECUNDAM PARTEM, i. e. quoad ABSOLUTIONEM, distinguenda est triplex percussio : 1° *enormis* seu *atrox*, ex qua resultat mors, vel mutilatio, vel notabile vulnus, vel magna injuria; — 2° *gravis* seu *mediocris*, cum fit carnis contusio, vel cum sanguinis copia effunditur quidem, sed absque magna læsione vel injuria, v. g. si extundatur dens, vel capillorum copia evellatur ; — 3° *levis*, non quidem in se, sed relate ad prædictas, quando fit simplex percussio, v. g. manu, pede, baculo et similibus, citra damnum notabile, et quin vulnus, contusio notabilis, vel percussionis vestigium remaneat (1).

Jam vero : 1° si percussio, etsi publica, fuerit LEVIS, Episcopus (vel ejus Vicarius) poterit ex jure communi absolvere percussorem, quisquis ille sit ; 2° si MEDIOCRIS, eos tantum qui collegialiter vivunt, impuberes et feminas ; 3° si ENORMIS, impuberes, sive ante, sive post pubertatem petant absolvi (posito quod censuram incurrant), mulieres et alias personas quæ sui juris non sunt, ex lib. V *decret.* tit. 39, cap. 6, 33 et 60 (adjice adjicienda in casibus occultis, ex cap. *Liceat*) (2). — In dubio utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis, id sequi debet quod majus est, seu quod magis favet privilegiatis, ex prænotata regula interpretationis (3).

Prælati regulares, ex jure communi, absolvere possunt suos subditos qui percusserint ejusdem ordinis sodales, nisi percussio sit enormis aut ipse Prælatus percussus sit. — Sed religiosus qui clericum sæcularem percussit, ab Episcopo pro levi percussione, vel a S. Pontifice absolvi debet. — Qui vero percussit religiosum alterius ordinis, « per abbatem proprium et ejus qui passus est injuriam absolvatur (4). »

953. — III. « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, — necnon de industria spectantes, — illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. » Trid., sess. XXV, cap. XIX, *de Ref.* — Gregor. XIII, *Ad tollendam.* — Clem. VIII, *Illius vices.* — Bened. XIV, *Detestabilem.*

Excommunicantur : 1° *Perpetrantes duellum*, ii scilicet omnes qui, privata auctoritate, ex condicto, singulare certamen ineunt, cum periculo occisionis, vel gravis vulneris. Nihil autem refert, an adsint patrini necne ; an certetur cum armis lethalibus, vel non, modo adsit periculum gravis vulneris, illudque prævideatur. — Item, *provocantes* ad duellum *cum animo pugnandi*, etsi provocatus non acceptet. — Item, *acceptantes*, etsi duellum non sequatur.

2° *Complices*, qualemcumque operam aut favorem præbentes, ut mandantes, patrini, testes, locum tutum præstantes ; qui consilium dant, qui

(1) Zitelli, *App. jur. can.*, lib. II, cap. VI, art. 2, § 1. — (2) S. Alph., lib. VII, 279. — Conc. Trid., sess. XXIV, cap. 6, *de Reform.* — (3) S. Alph., l. VII, 280. — (4) Lib. V Decretal. *de sent. excommuni.*, cap. 32.

litteras provocatorias dictant, scribunt, deferunt; vel in his se alias immiscent, et quocumque modo ad ineundam vel acuendam pugnam excitare videntur, v. g. medicus, vel confessarius, qui *ex condicto* proximus adesset, ut vulneratis opem ferret (1). (S. Offic., 31 maii 1884.)

3° *De industria spectantes*, i. e. qui sua præsentia ad pugnam incendunt; non autem qui aspiciunt casu transeuntes, vel in secreto, vel a longe; nec qui adeunt locum certaminis, ut duellum impediant.

4° *Illud permittentes*, vel *non prohibentes*, cum prohibere valent ac debent, ut duces exercitus, terræ domini, præfecti, etc. (2).

N. B. Censura latius hic quam in Decreto Tridentino sese extendit; sed concordat plane cum Bulla Clementis VIII.

954. — IV. « Nomen dantes sectæ massonicæ aut carbonariæ, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; — necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; — earumque occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint. » — Clemens XII, *in eminenti*. — Bened. XIV, *Providas*. — Pius VII, *Ecclesiam*. — Pius IX, *Qui pluribus*. — Leo XIII, *Humanum genus*, die 20 apr. 1884.

Hanc censuram incurrunt : — 1° *Adscripti sectis* damnatis, *aut aliis ejusdem generis*. Utrum vero aliqua secta inter damnatas aut damnatis similes referenda sit, necne, colliges tum ex S. Sedis præsulumque Ecclesiæ declaratione, tum ex ipsorum adscriptorum interrogatione, si his exploratum sit societatem cui nomen dederunt aliquid contra Ecclesiam vel civile Gubernium machinari.

Hactenus, expresse damnati fuerunt : 1° Liberi Muratores et Carbonarii (ex præsenti Constitutione); 2° Socii singulares (*drôles*, *Odd Fellows*) et Filii temperantiæ (Resp. S. Officii, 21 aug. 1850); 3° Feniani (Decr. S. Officii, 12 jan. 1870) (3). — His certe addendi sunt Solidarii, Internationales, Mazziniani, Clerico-liberales, *l'Union ouvrière Belge*, et similes; parum refert quod « exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando » (Decret. S. Officii, 5 julii 1865) (4). — Item addendæ sunt illæ societates, cujuscumque naturæ sint, in quibus socii, ab ipso ingressu, jurejurando se obligant ad obtemperandum in omni re quæ a rectoribus societatis jussa fuerit; vel etiam ineunt fœdus secreti quod, nec ipsa legitima potestate interrogante, impune violari possit (5).

2° *Fautores*, qui illis sectis *favorem qualemcumque* præstant, i. e. qui eis præbent consilium vel auxilium, palam aut in occulto, per se vel per alios, qui eas in suis ædibus receptant, occultant, seu commoditatem eis faciunt ut alium in locum convocentur; — qui alios hortantur, iisve suadent ut hujusmodi societatibus sese adscribant, earumve cœtibus intersint; — postremo omnes qui eos, quocumque modo, juvant ac fovent, et cooperationis graviter illicitæ reos se constituunt. Videtur tamen immunis a censura, etiamsi graviter peccet, qui semel et iterum interest conven-

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, XVII, p. 604. — (2) S. Alph., lib. VII, 220. — (3) Avanzini, pag. 24; *Collect. S. Sedis*, n. 515. — (4) *Nouv. rev. théol.*, tom VIII, p. 595. — (5) Cf. Konings, n. 1721.

ticulo societatis damnatæ curiositatis causa, sine animo huic se aggregandi vel favendi, eo quod hujusmodi præsentia vere et proprie non præstet favorem sectæ (1).

3° *Non denuntiantes* infra mensem Inquisitori, vel Ordinario, vel judici a S. Sede delegato, *occultos coryphæos ac duces.* — Obligatio denuntiandi est eadem ac pro hæretico, eademque ratione interpretanda ; sufficit autem si reos manifestent per interpositam personam, v. g. per Confessarium, ut constat ex Resp. S. Officii, 15 junii 1870. — Obligatio denuntiandi : 1° cessat, si duces certe qua tales sunt *noti ;* sed non ideo cessat, quia noti sunt ut liberi muratorii, vel eorum nomina in libris et ephemeridibus passim leguntur (S. Offic., 1 febr. 1871 et 19 april. 1893) (2); — 2° suspenditur quamdiu quis denuntiare nequit, quin seipsum prodat. Nec censura astringit, ut olim, ad denuntiandos *alios* qui non sunt coryphæi ac duces ; limitata enim fuit, licet obligationes jure naturali aut positivo impositæ servari debeant haud secus ac ante constitutionem Pianam.

Facta denuntiatione intra 30 dies post cognitam obligationem, vel post sublatum impedimentum quod forsan obstabat, censura non incurritur. Facta *serius* denuntiatione, censura incursa non ipso facto tollitur, ut volunt aliqui, sed non est amplius reservata, et potest a quocumque confessario tolli, ut constat ex Resp. S. Pœnit., dato pro simili casu, anno 1832 (3).

Nota. Satis non est, ut declaravit S. Officium, 5 julii 1837, quod sectarium emissi juramenti pœniteat, ut possit absolvi, si externe cum iisdem sociis adhuc communicet. Debet insuper sectam abjurare, eique valedicere ; item, libros ac signa omnia tradere, ut ad Episcopum vel Inquisitorem transmittantur, aut saltem comburere, si justæ gravesque causæ id postulent (4).

955. — V. « Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes. » Lib. III Decretal., tit. XLIX ; Gregor. XIV, *Cum alios ;* Clemens VIII, Decret. *Sacra Congregatio.*

Prænota. Asyli immunitas in hoc sita est, quod delinquentes (exceptis hæreticis, homicidis, latronibus publicis, et aliis jure excipiendis), qui in locum sacrum vel religiosum, Episcopi auctoritate erectum, confugerint, inde extrahi nequeunt, sed ibidem incolumes atque integri servantur (5). — Huic juri, pluribus in regionibus, ob temporum vicissitudines, laxamentum a S. Sede jam datum est. Sic, ex concessione Pii VII et Gregorii XVI, asyli jure partim destituta fuere atria, scalæ et limina ecclesiarum, « ne in eis otiosi et vagi flagitia impune committerent (6). » — Jus asyli similiter restrictum fuit in Concordato *Austriaco ;* nam statutum est sacrorum templorum immunitatem in tantum servandam esse, « in quantum id publica securitas et ea quæ justitia exigit, fieri sinant (7). » Imo, non desunt regiones, in quibus « lex asyli ecclesiastici secundum omnem suam rationem a longissimo tempore in desuetudinem abiit... Mota autem quæstione, utrum, abrogata contraria consuetudine, lex asyli denuo statuta in his quoque regionibus sit saltem quoad substantiam servanda, necne ? S. Officium respondit : *Affirmative* (8) » (Decr. 22 dec. 1880).

Vi autem præsentis articuli, excommunicantur : 1° Qui hanc immunita-

(1) Avanzini, P. Piatus Montensis, Brabandere, n. 1457. — (2) *Acta S. Sedis*, vol. VI, p. 435 ; et vol. XXV, p. 479. — (3) Cf. *Nouv. rev. théol.*, tom. VIII, p. 612 ; Patavin., n. 302. — (4) Cf. Konings, n. 1721, ubi plura ; Avanzini, pag. 88, not. 16, quoad praxim S. Pœnitentiariæ. — (5) S. Alph. *de priv.*, 25-28. — (6) *Acta S. Sedis*, vol. II. p. 45 et 484. — (7) Aichner, *Compend.*, 198, § 3. — (8) Cf. *Nouv. Rev. théolog.*, XV, 242.

tem violare *jubent* ; 2° qui eam reapse vi adhibita violant, dummodo hoc faciant *ausu temerario*, in religionis vel canonis contemptum. — Hinc a censura eximuntur judices, milites, et omnes qui, lege civili vel aliter coacti, jus asyli violant ; quocirca S. Officium, 1 febr. 1871, respondit (1) : « Eum tantum excommunicationem incurrere qui, ab aliis minime coactus, prudens ac *sciens*, immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat, quem porro, utpote omnis excusationis expertem, excommunicationi subjacere mirum esse non debet. »

956. — VI. « Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo ; — pariterque eos introducentes, vel admittentes ; — itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* præscriptam. »

Excommunicantur : — 1° *Violantes clausuram*, i. e., cum agatur de monialibus, domum integram, et omnia septa huic annexa et muro circumdata ; — *monialium*, quæ scilicet emittunt vota solemnia et habent clausuram papalem, de qua sermo est in Trid. sess. XXV, cap. v, *de Regul.*, et in Constitutione S. Pii V (Ita S. Congr. Episc. et Regul., 1 aug. 1839) ; — *cujuscumque generis*, etc., ergo ipsi locorum Ordinarii, feminæ, et impuberes doli capaces ; non autem hi qui sunt speciali mentione digni, ut sunt reges et reginæ ; — *absque legitima licentia ingrediendo*, quamvis non intendatur malus seu libidinosus finis, vel prætexantur facultates aut privilegia. Est autem legitima licentia, si concedatur ex necessitate ab episcopo vel a superiore regulari monasterii exempti, et in scriptis extra casus ordinarios, v. g. medici, confessarii, in quibus sufficit verbalis licentia (2).

2° *Introducentes vel admittentes*, i. e. Superiorissæ, januæ custodes, vel digniores e monasterio, quæ sciunt nullam datam fuisse legitimam licentiam, et nihilominus aperiunt ; item vi aut dolo, sive ab intra sive ab extra, in ingressum active influentes, v. g. iter monstrando, impedimenta auferendo ; et quamvis qui introducuntur septennio sint minores, et doli incapaces.

3° *Moniales exeuntes* extra *casus* a S. Pio V determinatos, i. e. sine causa magni incendii, infirmitatis contagiosæ, prout est lepra, vel eventus similis, v. g. inundationis, ruinæ imminentis, invasionis militum ; — extra *formam...*, i. e. quin causa sit ab Ordinario (et simul a superiore regulari, si monasterium illi subjaceat) cognita et in scriptis approbata, quando tempus permittit (3). Ex decreto autem S. Officii, 22 dec. 1880 (4), consuetudo etiam immemorabilis concedendi egressum ex aliis causis etsi gravibus, recognitis ab Episcopis, debet censeri abrogata, nec potest continuari. — Cooperantes, qui olim eadem censura plectebantur, hic omittuntur.

957. — VII. « Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes. » — S. Pius V, Const. *Regularium*, et Const. *Decet*.

(1) Cf. *Nouv. rev. théolog.*, XV, 243. — (2) Conc. Trid., sess. XXV, cap. v, *de Regularibus*. — (3) S. Alph., VII, 221 et seqq., mutatis ex nova lege mutandis. — (4) *Nouv. rev. théol.*, loc. cit, 242.

Clausura Regularium (i. e. apud quos vota solemnia emittuntur) est omne illud spatium quod septis monasterii continetur : adeoque claustrum, domus, officinæ interiores (v. g. bibliotheca) ; non vero ecclesia, sacristia (ordinarie), nec hortus, si possit sine transitu per monasterium adiri, et a clausura clavi et muro convenienter separetur.

Excommunicantur : 1° *Mulieres* quæcumque, exceptis Reginis et similibus privilegiatis, imprimis fundatrice ; 2° ipsas *admittentes*, omnes scilicet qui, directe vel indirecte, in causa sunt cur mulieres ingrediantur, v. g. Superior et janitor, si non impediant ingressum, cum instat obligatio illum prohibendi et impediendi.

A viris *admittentibus* incurrebatur *olim* suspensio a divinis, dein privatio officiorum, inhabilitas ad ea, etc. Suspensio in præsentem excommunicationem certe commutata est. — Utrum vero cæteræ pœnæ in suo vigore permaneant, merito in dubium vocatur (1).

958. — VIII. « Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices. » — Paulus II, *Cum detestabile ;* Trid. sess. XXIV, cap. xviii, *de Reformatione.*

Excommunicatio ferit : — 1° *Reos simoniæ realis*, quæ committitur, cum quis emit vel vendit 1. ipsum beneficium, aut 2. collationem ejus vel provisionem, aut 3. electionem vel præsentationem ad illud obtinendum, modo executio conventionis sit ex utraque parte saltem incœpta ; — *in beneficiis quibuscumque*, modo sint beneficia *proprie dicta*, sive sæcularia, ut Episcopatus, canonicatus, decanatus, parœcia ; sive regularia, ut Abbatiæ et quidam Prioratus, qui sunt veri nominis beneficia. — Probabilius tamen sub censura non comprehenduntur generatim Prælaturæ Regularium, ut Generalatus, Provincialatus, etc. ; nec officia ecclesiastica quæ carent beneficio, v. g. officium vicarii generalis ; nec parœciæ *succursales* ad nutum amovibiles, etsi in favorabilibus sub nomine beneficiorum veniant (2). — Vide supra, n. 752, 754.

2° *Eorumque complices*, i. e. « qui procuraverint seu mediatores exstiterint, ut simonia fiat », ut legitur in Const. Pauli II (3).

959. — IX. « Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis. » — Pius IV, Constit. *Romanum ;* — S. Pius V, Const. *Intolerabilis ;* — Trid., sess. XXV, cap. vii, *de Ref.*

Hæc censura incurritur, cum quis alteri (electione, præsentatione, collatione, etc.) beneficium (proprie dictum) procurat cum certa *confidentia*, i. e. cum pacto expresso vel tacito, fore ut is cui procuratur, illud certo tempore ipsi procuranti aliive resignet, vel pensionem ob fructus ex eo perceptos solvat. — Hæc simonia, si fuerit ex una parte consummata (v. g. si Episcopus, cujus nepos nondum est beneficio idoneus, illud conferat alii ea lege ut iste postea nepoti, cum idoneus fuerit, illud resignet), hunc effectum sortitur, ut uterque (conferens scilicet et accipiens) ipso facto excommunicationem incurrant (4). — Complices hic silentio prætereuntur.

(1) Avanzini, pag. 92, not. 19 ; cf. S. Alph., lib. VII, 230 et seq. — (2) S. Alph., lib. III, 106-112 ; cf. C. Reatin., n. 93 (ed. 3ª, n. 120). — (3) Gabr. a Varceno, t. II. pag. 470. n. 5. — (4) S. Alph., lib. III, n. 90 ; cf. Patavin., n. 326.

Verba autem *cujuscumque sint dignitatis* ideo adjecta sunt, quia Cardinales, Episcopi et Prælati majores, solo interdicto a Pio IV plectebantur.

960. — X. « Reos simoniæ realis, ob ingressum in Religionem. » — Urbanus IV, Extrav. *Sane* 1, *de Simonia.*

Incurritur censura ab eo qui, propter ipsum *ingressum in Religionem*, dat vel accipit aliquid temporale, postquam simonia facta est *realis*, i. e. ex utraque parte completa fuit, ideoque solum, juxta sententiam valde probabilem, post emissam solemnem professionem (1). — Non incurritur, si pro Religiosi *sustentatione* aliquid accipiatur, etsi illicite, quia tunc temporale pro temporali datur, et ideo non adest simonia. — Imo, si agatur de monialibus, dos ad sustentationem semper assignari debet, ut constat ex pluribus S. C. Episc. et Reg. decisionibus (2).

961. — XI. « Omnes qui, quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur in Constit. S. Pii V *Quam plenum*, 1 januarii 1569. »

Constitutio *Quam plenum* statuebat, pro Episcopis et Cardinalibus hujus palliatæ simoniæ reis, suspensionem ab ingressu ecclesiæ et a perceptione fructuum Ecclesiarum suarum. — Hæc quidem pœna abrogata est; confirmatur vero excommunicatio ibidem lata in omnes « ab Episcopis inferiores », qui, accepta pecunia, facto concesserint vel publicaverint sive *indulgentias*, sive *alias gratias* in ipsa S. Pii V Constitutione designatas. — Hæ autem sunt : 1° facultas eligendi sibi sacerdotem pro absolutione a casibus Episcopo reservatis ; 2° celebratio Missæ et sepultura tempore interdicti ; 3° ciborum prohibitorum usus ; 4° assumptio plurium compatrum ad baptisma, contra decretum Tridentinum ; 5° absolutio a reali simonia, Papæ reservata (3). — Rationes prohibitionis et censuræ istius sunt quod tales actus vel sunt simoniaci, vel saltem aperiunt viam simoniæ illamque redolent coram fidelibus, qui propterea scandalizantur.

962. — XII. « Colligentes eleeomosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. » — Bened. XIV, Const. *Quanta cura.*

Hanc excommunicationem incurrunt tum *clerici* (qui olim suspensione plectebantur) (4), tum *laici*, quoties, pro Missis celebratis vel celebrandis tradito stipendio, retinent ejus partem ceu lucrum, et quidem tantam quanta sufficit ad furtum grave. — Sed necesse est :

1° Ut sint *colligentes*, quasi ex industria, eleemosynas manuales vel ex fundatione taxatas pro Missis. — Unde, tametsi peccet, censuram tamen non incurrit qui lucrum captat ex stipendiis quæ sibi dantur ut ipse ea persolvat ; neque ille cui sponte deferuntur ut Missas ab aliis celebrandas curet, nisi illi qua collectori deferantur ; neque ille qui semel aut iterum parvum aliquem Missarum numerum colligeret, cum non sit veri nominis collector.

2° Ut sint *lucrum captantes*. — Unde, qui excessum *in pios usus* impendit censuræ non subjacet, tametsi non sit immunis a culpa, ut constat ex

(1) S. Alph., lib. III, 108. — (2) Ibid., 92 ; Cf. Patavin., n. 329-338. — (3) Avanzini, in hanc excomm., pag. 30. — (4) S. Alph., lib. VI, 321.

decreto S. Cong. Concilii, 9 sept. 1874 (1) ; nec culpæ reus est qui aliquid tanquam justum *sui laboris* pretium sibi retinet ; nam, ut loquitur *S. Alphonsus*, « si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur, tunc hujusmodi merces ei debetur ex naturali æquitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium (2). »

3° Ut Missas celebrari faciant *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* — Hinc videtur non incurrere censuram qui facit eas celebrari, quamvis retenta stipendii parte, in loco ubi idem stipendium dari solet (3) ; sed nihil refert quod celebrentur in loco ubi collectæ sunt, vel alibi (S. Offic. 14 jan. 1892).

Deficiente una ex his tribus conditionibus, retentio partis stipendii missarum ab aliis celebrandarum est quidem illicita et injusta, sed non plectitur excommunicatione.

Nota. — Absolutio super his non est danda nisi volentibus restituere, vel paratis stare mandatis S. Sedis, si quando ad eam pro condonatione recurratur (4).

Decreto S. Cong. Conc. (25 maii 1893), propter cooperationem turpi mercimonio occasione stipendiorum missarum, sacerdotes plectuntur suspensione a divinis S. Sedi reservata et ipso facto incurrenda, clerici eadem suspensione quoad ordines susceptos et inhabilitate ad ordines superiores suscipiendos, laici vero excommunicatione latæ sententiæ episcopis reservata.

963. — XIII. « Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, IV kalendas aprilis 1567 ; Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591 ; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592 ; et Alexandri VII, *Inter cæteras*, nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ respicientibus. »

Hac censura plectuntur omnes, sive laici, sive clerici, *cujuscumque dignitatis*, qui, per se vel per alios, agere student, sive insinuare, vel suadere R. Pontifici qualemcumque *alienationem* civitatum, vel locorum ad S. Sedem pertinentium ; ex quovis prætextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis ; et quamvis operam et oleum perdant. — Qui ergo subscripserunt litteris quondam ad R. Pontificem missis (v. g. a sacerdote Passaglia) ut is suo dominio temporali renuntiaret, hi, juxta aliquos, contradicentibus aliis, innodantur hac excommunicatione (5).

964. — XIV. « Religiosos præsumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare, absque parochi licentia. » — Clemens V, in Clem. 1, *de Privil.*

Religiosos hic intellige in stricto sensu, eos scilicet qui vota solemnia emiserunt, vel ex privilegio habentur ut proprie regulares cum solis votis simplicibus, nempe in Societate Jesu ; ita enim in odiosis fert interpretatio communis. — *Parochi* autem nomine venit ille qui habet actualem animarum curam, vel qui ejus vices gerit. — Dicitur *præsumentes ;*

(1) Cf. Del Vecchio, I, n. 608 ; II, 1067. — (2) S. Alph., lib. VI, 322. — (3) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VIII, p. 650-660. — (4) Konings, n. 1753, II, qu. 5°. — (5) Cf. Signoriello, *Novello Mission.*, p. 64, ubi formula retractationis ; Piatus, in hanc excom.

ideo non incurritur censura, tum si ignoretur censura, modo ignorantia non sit affectata, tum si bona fide æstimetur vel necessitatem urgere, vel supponi posse parochi aut episcopi licentiam ; vel si ministrentur Sacramenta iis qui parochiali jurisdictioni non subsunt, v. g. aliis Regularibus, peregrinis, vagis, etc. — Nec sub ulla pœna prohibetur Viaticum iterare ex devotione.

965. — XV. « Extrahentes, absque legitima venia, reliquias ex sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ, ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes. » — Paulus V, *Decr.* 24 aug. 1613 ; Clem. X, Const. *Ex commissæ*, 13 januarii 1672.

Legitima venia est illa quæ a S. Pontifice vel ab Emo Urbis Vicario conceditur, in forma per Const. *Ex commissæ*, Clementis X, præscripta. — Nihil autem refert, utrum quis in magna vel in parva quantitate extrahat, si *constet* esse ex reliquiis martyrum, v. g. cum phialæ vitreæ vel figulinæ tinctæ cruore aut saltem crustas sanguineas occludentes, intus vel extra loculos sepultorum reperiuntur (S. Rit. C., 27 nov. 1863). — Secus vero de aliis cineribus vel ossibus fidelium, etsi prohibitio nihil ex eis auferendi sit, saltem sub veniali, observanda.

966. — XVI. « Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. » — Innoc. III, cap. *Nuper*, xxxix, *de Sent. excom.*

Communicare *in crimine criminoso* idem est ac cooperari actione mortaliter mala crimini jam perpetrato seu contumaciæ ob quam alter excommunicatus est, puta, si quis alteri ob rei retentionem excommunicato *auxilium* vel *favorem* præstet, ne restitutionem faciat (1) (cf. n. 967, Nota).

967. — XVII. « Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsas in officiis recipientes. » — Clemens III, cap. xviii, *de Sent. excomm.* (2).

Dicitur : 1o *clericos ;* unde laici, Episcopi, et probabilius regulares, qui in odiosis non accensentur clericis, eximuntur a censura ; — 2o *scienter et sponte ;* unde excusat ignorantia etiam crassa aut supina, et metus etiam levis ; — 3o *Communicantes in divinis...*, v. g. in sacramentis administrandis, et *ipsas in officiis* (liturgicis) recipientes ; utrumque copulative requiritur, juxta veterem identicæ censuræ interpretationem.

Nota. — Olim, omnis qui cum *vitando* communicabat sive in crimine criminoso, sive in divinis, contrahebat excommunicationem : in priori casu majorem quilibet, in posteriori laici solam minorem. — Hodie, sublata excommunicatione minori, major sola remanet et plectit eos tantum qui cum excommunicato *nominatim a Papa* communicant (sub datis supra clausulis) (3). — Si quis autem jure communi excommunicatum, et ab Episcopo denuntiatum, ad divina officia admitteret, solo interdicto plecteretur (cf. n. 1000, 2o).

968. — XVIII. « Absolvere autem præsumentes (scilicet ab excommunicationibus speciali modo reservatis) sine debita facultate, etiam quovis

(1) Cf. S. Alph., lib. VII, 197. — (2) *Decret.* Greg. IX. c. v, tit. xxxix. — (3) Ita per Litt. apost. excommunicati fuerunt *J. H. Reinkens* (21 nov. 1873) et *D. Panelli* (3 jul. 1875) ; cf. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 465, et VIII, p. 561.

prætextu, vinculo excommunicationis Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo. » Ex 1ª parte Constitutionis, post excomm. XII.

Dicitur 1° *præsumentes ;* ergo immunis est a censura qui absolvit ex ignorantia etiam crassa, ex timore gravi, aut ex probabilitate, qua ductus judicat vel pœnitentem non esse excommunicatione irretitum, vel se habere potestatem illum absolvendi ; — 2° *dummodo*, etc., quia nulla est reservatio in articulo mortis.

969. — XIX. Excommunicantur Missionarii et alii Ecclesiastici viri qui, per se vel per alios, quovis titulo aut forma, mercaturæ dant operam in Indiis orientalibus, vel in America, sive australi, sive septentrionali ; item, Superiores qui delinquentes religiosos sibi immediate subjectos non puniunt.

Ita ex Const. *Ex debito* Urbani VIII, et Const. *Sollicitudo* Clementis IX, quas Pius IX, per authenticam S. Officii declarationem, adhuc vigere pronuntiavit (4 dec. 1873). — Hæc porro censura, ex declaratione S. Officii (17 jan. 1883) inter *reservatas* ponenda est, eo quod, sic statuente Clemente IX, « nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit, præterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi prius restitutis. » Quod si restitutio, non promissa tantum, sed reapse facta fuerit (scilicet causis piis, non tamen Instituto delinquentium), excommunicatio non erit amplius ceu reservata habenda, ut palam est (1).

970. — XX. Ex Concilio Tridentino : Usurpare vel impedire *præsumens* quorumcumque beneficiorum et locorum piorum bona, jurisdictiones, jura, etc., anathemati tamdiu subjaceat, donec ista integre restituerit, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerit (sess. XXII, cap. XI, *de Ref.*).

Hæc excommunicatio contra *usurpatores* bonorum ecclesiasticorum lata, multo latius patet quam illæ quæ in § 1°, art. XI et XII (n. 948-949) enuntiantur. — Complectitur enim : 1° Quoad objecta, ecclesiarum, beneficiorum et quorumvis *locorum piorum jurisdictiones, bona, census, jura* (v. g. jus administrandi), *seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent ;* — 2° quoad personas, eos omnes qui dicta bona, *per se vel per alios* (ideoque et mandantem complectitur), *vi vel timore incusso, seu quacumque arte* (fraude) *aut quocumque quæsito colore* (titulo, prætextu), *in proprios usus convertere et usurpare* præsumunt, *vel impedire ne ab illis ad quos jure pertinent percipiantur.*

Censuræ autem non subjacet qui nullam vim, metum, fraudem aut prætextum adhibuit, ut si quis rem sibi commodatam, vel apud se depositam restituere omittat. — Eos vero qui ecclesiastica bona usurpata (mobilia vel immobilia) *emunt* ab usurpatoribus, in hanc Tridentinam excommunicationem incidere, absolute asserendum est, ex *Resp.* S. Officii, 8 julii 1874, et ratio est, quia vere bona sacra detinent et transferunt in proprios usus. — Idem dicito de illis qui bona ecclesiastica occupata vel alienata a Demanio (nomen italicum Fisci), in locationem vel in emphyteusim acce-

(1) *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 317.

perunt. — Idem etiam de illis qui census sive canones, aliaque jura ecclesiastica (redimibilia vel non redimibilia), sine S. Sedis indulto redemerunt. — Hæc omnia colliguntur ex variis S. Pœnit. responsis, pro Jubilæis annorum 1869 et 1875 (1). — Recole dicta n. 948.

Concilium addit : « *Clericus* vero, qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi *fabricator* seu *consentiens* fuerit, eisdem pœnis subjaceat; necnon quibuscumque beneficiis privatus sit, — et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur; — et a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio, suspendatur (2). »

§ 3. — *Excommunicationes Ordinariis reservatæ* (3).

971. — Tres (quibus quartam addidit Leo XIII) sic enuntiantur :

« Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

I. Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; — necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. » — Clementin. l. IV, *de consang.*, cap. unic.

Ad incurrendam hanc censuram, requiritur : 1° Ut unus saltem e contrahentibus sit *Ordine* sacro insignitus, vel *solemni castitatis voto* ligatus; — 2° ut *matrimonium contrahere præsumant*, i. e. ut præstent consensum matrimonialem de præsenti, utque id faciant cum præsumptione, i. e. cum plena facti et juris scientia, et cum plena libertate. — Sufficere vero matrimonium dictum *civile*, etiam ubi viget lex Tridentina de clandestinitate, constat ex decreto S. Officii, 22 decembris 1880 (4). — Pariter censura incurritur, quando inter dictos præsumentes aliud existit impedimentum dirimens (S. Offic., 14 jan. 1892).

972. — II. « Procurantes abortum, effectu secuto. » — Sixtus V, Const. *Effrœnatam*, § 7. — Gregor. XIV, Const. *Sedes Apostolica*, moderans const. Sixti V.

Ad contrahendam hanc censuram tria requiruntur :

1° Ut *abortus* sit verus ac certus. Unde non incurritur excommunicatio, nisi fuerit certa tum conceptio seu existentia fœtus, tum præmatura ejus ejectio e materno sinu, extra quem nondum vivere poterat. — Sed tollitur antiqua distinctio (Greg. XIV) inter fœtum animatum et inanimatum quare, quocumque tempore post conceptionem verus ac certus abortus procuretur, contrahitur censura. — At irregularitas eodem modo quo prius incurritur.

2° Ut fuerit *procuratus*, i. e. ex industria quæsitus et efficaciter volitus, *sive physice per se*, *sive moraliter per interpositas personas*, ut habet Bulla Sixti V. — Hinc, censura plectuntur medicus, ancilla, socia, potionem propinantes; item paterfamilias, maritus, fornicator, jussione vel minis

(1) Cf Del Vecchio, 1, n. 629-632; P. Piatus, in h. excom., ubi plura. — (2) Cf. Patavin, n° 190 et seqq.; 370 et seqq. — (3) Rom, hi tres casus non sunt reservati (Decret. *S. Offic.* 1 dec. 1875). — (4) Cf. *Nouv. rev. theol.*, tom. XI, p. 46 et seqq.

cogentes mulierem ut abortum sibi inferat. — Ab ea vero eximitur qui prægnantem graviter percutit ex ira, odio vel zelotypia, prævidens forsan abortum, sed non intendens. Pariter, eximuntur medicus dans merum consilium, vel indicans apta media, et pharmacopola præparans aut vendens remedium, etsi ex intentione graviter mala; non enim in articulo recensentur (ut olim in Const. *Effrœnatam*) « qui opem, consilium aut favorem scienter dederint. »

3° Ut fuerit revera *secutus* ex causa in hunc finem posita. — Secus vero, si constet vel saltem probabile sit abortum accidisse ex alia causa, v. g. ex eo quod post sumptum abortivum mulier ex alto ceciderit. Secus etiam, si reum pœniteat priusquam effectus sequatur; quamvis enim eum impedire nequeat, jam immunis est a contumacia, sine qua non incurritur censura.

Dubitatur, *an ipsa mulier quæ abortum sibi procurat, incurrat censuram?* — « Prima sententia communissima *affirmat*... eo quod Bulla satis expresse comprehendat etiam prægnantes... Secunda sententia valde probabilis, et attenta ratione intrinseca probabilior, *negat*... Ratio autem cur Papa exemisse præsumitur prægnantes ab hac excommunicatione, verosimiliter.. quia forte compassus est infirmitati feminarum quæ, dum impulsæ a vehementi *timore* damni obventuri hæc medicamenta sumunt, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvipenderent; et ideo S. Pontifex, ad vitandum novum animæ laqueum et alia pericula, præsertim sacrilegarum confessionum, eas noluit comprehendere. » Ita S. Alphonsus in Bullam *Effrœnatam* Sixti V, in qua eadem est vox *procurantes* (1). — Et idem docent, inter recentiores, Com. Reatinus (2), Cretoni (3), Ballerini (4), Del Vecchio (5), Vecchiotti (6), Ninzatti (7), Pennachi (8), Konings, Haringer, Sabetti, Lemhkuhl, etc., contra Gury, Avanzini, Daris, Grandclaude, Godschalk, etc., insistentes sensui obvio præsentis excommunicationis, generaliter latæ contra procurantes abortum, absque ulla specie restrictionis.

973. — III. « Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes. » — Cf. lib. V *Decretal.*, tit. XX, c. VII.

Utentes sunt illi qui Litteras falsas (immutatas vel suppositas) exhibent, ut effectum quem intendunt consequi possint, sive reipsa illum consequantur sive non consequantur; *cooperantes* sunt qui utenti (non qui falsificanti) operam præstant. — Quod si quis Litteras conficiat, eisque utatur, duplicem excommunicationem incurrit (cf. n. 946).

IV. Laicos cooperantes turpi mercimonio circa missarum stipendia (S. C. Conc., 25 maii 1893, approbante Leone XIII).

§ 4. — *Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ.*

DECEM numerantur : QUATUOR nempe a Const. *Apostolicæ Sedis*, SEX vero a Concilio Tridentino inflictæ. — His subjacent :

974. — I. « Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hære-

(1) Lib. III, 395, qu. 5. — (2) Edit. 2ª, n. 120. — (3) In Comp. Guryano, t. II, p. 617. — (4) II. 1003, adn. *b*. — (5) Tom. I, 621. — (6) *Inst. can.*, II, p. 363. — (7) Tom. I, n. 401. — (8) *Comm.*, t. II, p. 42.

ticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos. » Cf. Alex. IV, c. II, *de Hæret.*, in 6° ; Clem. V, 1. *de Sepult.*

Hanc censuram non incurrunt omnes sepelientes quemcumque notorie excommunicatum, ut olim, sed solummodo *mandantes* qua pollent auctoritate (v. g. Syndici), vel *cogentes* per vim metumve gravem, *sepeliri* in cœmeterio benedicto, aut in alio loco sacro (etsi polluto vel interdicto), *notorium hæreticum* aut apostatam (etsi non *vitandum*), vel quempiam alium, sive a Papa, sive ab Episcopo *nominatim excommunicatum* vel *interdictum*. — Probabilius non incurrunt hanc censuram qui *sepeliunt*, v. g. sacerdos mere obtemperans, vel sepelientibus operam præstant, quia non mandant seu cogunt, etiamsi sponte agant; nec illi qui mandant indignum sepeliri *in loco profano*, etsi cum ritu ecclesiastico et benedictione fossæ, quia talis sepultura non est proprie ecclesiastica. — E contra, illam incurrunt mandantes talem sepeliri in loco sacro, tametsi nullus ritus sacer adhibeatur (1) (cf. n. 1000).

975. — II. « Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; — ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; — vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes. » — S. Pius V, Const. *Si protegendis* (quæ latius extendebatur). — Pauca verba declaratione indigent, nempe :

Lædentes, etc. (cf. n. 945) ; *diripientes*, i. e. quasi prædantes, non autem auferentes clam unam alteramve scripturam ; *S. Officii* sive *S. Inquisitionis*, non Romæ tantum, sed ubicumque exstat (2) ; *scripturas*, i. e. instrumenta sive publica sive privata, sive manuscripta sive typis impressa, quæ pertinent ad hoc tribunal.

976. — III. « Alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica, absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ*, de rebus Ecclesiæ non alienandis. » — (Paulus II.)

Vi hujus articuli EXCOMMUNICANTUR : *alienantes*, ii scilicet penes quos est bonorum administratio, et quorum mandato ac nomine fit alienatio ; non tamen Episcopi vel abbates, eo quod præsens excommunicatio lata est ad formam dictæ Extravagantis, in qua non excommunicantur episcopi et abbates ; interdictum vero ab ingressu ecclesiæ, quo isti plectebantur, omittens sustulit Const. *Apostolicæ Sedis*. — 2° *Recipere præsumentes*, ii nempe qui, nulla excusante ignorantia, etc., præfata bona acquirunt, conducunt, etc., vel quorum mandato ac nomine bona recipiuntur, cujuscumque sint dignitatis. — Non comprehenduntur consentientes, consulentes faventes, mandatarii ; nec qui res ecclesiasticas destruunt, furantur, etc.

Notanda. — 1° Nomine ALIENATIONIS venit omnis actus, saltem mutuo consensu contrahentium perfectus, quo dominium directum vel utile, in toto vel in parte, in alterum transfertur, vel quocumque modo immutatur, obligatur, aut deterius fit. Hujusmodi est donatio, permutatio, venditio, emphyteusis, infeudatio, census, hypotheca, impositio servitutis, transactio, cessio juris *jam acquisiti*, etc., item locatio ultra triennium utile seu fructiferum (3). Locatio ad tres, sex, novem aut duodecim

(1) Piatus, in hanc excom. — (2) Reatin., n. 161. — (3) Ferraris, verbo *Alienatio*, art. 1.

annos, sub conditione quod uterque contrahens post singula triennia libere possit rescindere contractum, non prohibetur in extravagante *Ambitiosæ*, cum revera sit mera locatio triennalis. — Utrum ad incurrendam censuram requiratur traditio rei illicite alienatæ disputatur.

2° Bona ecclesiastica hic dicuntur omnia temporalia seu pretio æstimabilia, jam actu possessa, quorum administratio subest ecclesiasticæ auctoritati, qualia sunt : 1° bona (sive *immobilia* sive *mobilia pretiosa*) quæ pertinent ad ecclesias, vel monasteria, vel Congregationes religiosas ; 2° beneficia ecclesiastica, etiam jurispatronatus, et capellaniæ ecclesiasticæ, non vero laicales, ut probabilius docetur (1) ; 3° bona cujusvis loci pii, v. g. confraternitatis, academiæ, seminarii, nosocomii, etc., auctoritate ecclesiastica erecti, licet in foro civili bona tanquam proprietas privati hominis inscribantur. — Bona *immobilia* sunt omnes fundi urbani et rustici, nempe ædificia, prædia, agri, sylvæ, arbores fructiferæ, etc. ; item jura, servitutes, obligationes et actiones quæcumque in immobilia, quæ vocari solent res incorporales, quia sub sensibus non cadunt, licet rebus corporalibus connexa sint. Bona *mobilia pretiosa* censentur omnia quæ sunt de thesauro ecclesiæ, vel loci pii, ut vasa aurea et argentea, gemmæ, bibliothecæ copiosæ, et similia. — In his non comprehenduntur quilibet annui reditus, nec pecunia quæ ad quotidianos usus destinatur, aut quæ provenit ex *fructibus* fundorum, etiamsi collocata sit in censu publico, in mensis nummariis, etc., nec res aliæ quæ brevi tempore corrumpuntur seu servando servari nequeunt. Comprehenditur vero pecunia quæ provenit *ex alienatione immobilium*, vel reservata est pro gravissimis futuris necessitatibus, vel data est cum *onere perpetuo* Missarum, aut cum obligatione expressa *emendi immobile* vel *mobile* pretiosum, ut asserit et fuse probat Bouix (2).

3° Absque Beneplacito Apostolico (obtinendo a S. C. Episc. et Regularium), cum consensu tamen Episcopi (vel Superioris Regularis, si agatur de exemptis), LICITE et VALIDE fit alienatio : 1° Si res, v. g. terrula, fundus sterilis, sit *exigui valoris*, (jus arbitrio judicis relinquit definire qualis valor sit exiguus) (3) ; aut talis, ut ejus reditus ad eam conservandam non sufficiant ; aut talis, ut verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non sit perduratura, v. g. vestis, jumentum, etc. ; — vel 2° si urgeat necessitas quæ moram non patitur, vel adsit magnæ utilitatis occasio, quæ alias transiret ; — vel 3° si res relicta vel donata sit Ecclesiæ ea lege ut alienari possit ; — vel 4° si res relicta sit incapaci possidendi, ut sunt Minores Observantes et Capuccini, qui rem idcirco vendere possunt et applicare in Ecclesiæ vel monasterii utilitatem ; — vel 5° si habeatur privilegium speciale et *personale* ; nam, ex decreto S. Officii, 22 dec. 1880, constat abrogata esse, tum privilegia antiqua ab ipsa Sede apostolica concessa, alienandi scilicet absque beneplacito apostolico, tum consuetudines particulares huic legi contrarias, quamvis immemorabiles (4).

4° Verba ad formam Extravagantis intellige de justis causis et solemnitatibus quæ ad obtinendum Beneplacitum Apostolicum requiruntur. — Hæc et alia vide supra, n. 736-739, et apud *S. Alphonsum*, lib. IV, 187 (1).

977. — IV. « Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare, infra mensem, confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis a Prædecessoribus Nostris, Gregorio XV, Constit. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 junii 1741. »

(1) Cf. Lucidi, *de Visit. SS. Liminum*, t. III, n. xliv, 16. — (2) *De Regularibus*, p. v, sect. iv, cap. iii. — (3) Bizarri, *Collectanea*, p. 331 ; censet *Bouix* (loc. cit. 2, § 1) hodie pro exiguo haberi posse valorem qui 500 francos non excedit. — (4) *Acta S. Sedis*, vol. xv, p. 539. — Cf. Del Vecchio, I, n. 628, ubi plura. — (5) Cf. de Angelis, lib. III, tit. xiii.

Crimen *sollicitationis* est provocatio ad turpia, facta a sacerdote tanquam confessario (1).

Ut censura incurratur, necesse est ut persona sollicitata per *mensem* integrum denuntiationem culpabiliter omiserit. Verum, « quia tempus non currit ignoranti », mensis computandus est ex quo scivit : 1° obligationem denuntiandi ; 2° censuram obligationi annexam ; 3° tempus sibi præfixum. — Si quid grave denuntiationi obstet, suspenditur obligatio, donec cesset impedimentum.

Ex Concilio Tridentino excommunicantur sine ulla reservatione :

978. — V. Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. (Trid. sess. IV, cap. I.)

De his S. Officium, die 22 dec. 1880, decrevit : « Censuram nemini reservatam, inflictam iis qui libros *de rebus sacris* tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, necnon ad earumdem adnotationes quascumque de rebus sacris in genere, id est, ad religionem pertinentibus, tractantes (2). »

Excommunicantur : 1° *imprimentes*, i. e. typographiæ domini, vel principales administri ; 2° *imprimi facientes*, i. e. auctor libri, editor, vel alius, qui mandat seu curat *per seipsum* ut liber typis mandetur. — Censura non se extendit amplius, ut olim, ad vendentes, retinentes et scripto evulgantes, etsi aliunde graviter, ratione cooperationis, peccare possint.

979. — VI. Qui docent quosdam errores circa Sacram Communionem, vel circa Matrimonium.

1° Circa S. Communionem : « Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus : illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario *præmittendam esse confessionem* sacramentalem. — Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere *præsumpserit*, eo ipso excommunicatus existat. » (Sess. XIII, *de Euch.*, can. 11.)

2° Circa Matrimonium : « Dubitandum non est *clandestina* matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit ; et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant ; quique falso affirmant matrimonia a filiis familias *sine consensu parentum* contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. » — Sess. XXIV, cap. I, *de Ref. Matrimonii*.

980. — VII. Raptores mulierum, eisque consilium, auxilium vel favorem præbentes (sess. XXIV, cap. VI, *de Ref. Matrim.*).

Hanc censuram non incurrit ille qui jam *ab aliis* raptam mulierem in sua domo retinet, quia raptus est jam consummatus. — Sed eam incurrunt :

(1) Cf. S. Alph., lib. VI, 675-705. — S. Offic. (20 jul. 1890) edidit *Instructionem pro examine testium inductorum in denunciationibus contra sollicitantes.* (V. *Canoniste cont.*, nov. 1893.) — (2) Cf. Haringer, n. 112 ; Pennacchi, vol. II, p. 225.

1° raptor, talis scilicet qui impedimentum dirimens matrimonii contrahat; 2° executor, si a raptore distinguatur; 3° omnes cooperantes (1).

981. — VIII. Violantes matrimonii contrahendi libertatem. (Sess. XXIV, cap. IX, *de Ref. Matrim.*).

Hæc censura plectit solos dominos temporales ac magistratus qui jurisdictionem exercent, v. g. in aliqua provincia, in aliquo tribunali. — Quocirca « præcipit S. Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant. » Si matrimonium non sequatur, censura non incurritur.

982. — IX. Violantes in muliere libertatem ingrediendi Religionem. — Hac de causa sic statuitur in sess. XXV, cap. XVIII, *de Regul.* :

1° « Anathemati S. Synodus subjicit omnes et singulas personas .. si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus jure expressis, ad *ingrediendum* monasterium, vel ad *suscipiendum habitum* cujuscumque Religionis, vel ad *emittendam professionem* ; — quique consilium, auxilium vel favorem dederint ; — quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. »

Casus porro quos jus *excipit*, sunt sequentes : 1° Si mulier postquam viri sui religiosæ professioni consensit, et ipsamet continentiam vovit, suspicionem injiciat voti violandi ; 2° si mulier adultera, post suam conversionem, a marito non amplius recipiatur ; 3° si puella, educationis vel custodiæ causa, per aliquod tempus, donec nempe nuptui apta sit, invita constituatur in monasterio. — Ex decr. Gregorii IX, cap. XVIII et XIX, *de Conversione conjugatorum* (2).

2° Simili quoque anathemati (S. Synodus) subjicit eos qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem *veli accipiendi*, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa *impedierint* » (loc. cit.).

983. — X. Magistratus qui adversus contradictores et violatores clausuræ monialium, ad instantiam Episcopi, non præbet auxilium (sess. XXV, cap. V, *de Reg.*).

Nomine *Magistratus* venit prætor, judex, civitatis rector, provinciæ præfectus ; non tamen princeps, ut notat Bonacina. — *Clausura* intelligitur papalis, apud solas moniales solemniter professas vigens.

Nota. Reliquæ EXCOMMUNICATIONES a Tridentina Synodo inflictæ, v. g. contra duellantes (sess. XXV, cap. XIX, *de Ref.*), contra violantes clausuram (sess. XXV, c. V, *de Reg.*), etc., Constitutioni Pianæ insertæ sunt. — Vide supra n. 953, 956, 957.

ARTICULUS II

DE SUSPENSIONIBUS LATÆ SENTENTIÆ

Suspensiones latæ sententiæ, nunc in Ecclesia vigentes, aliæ enumeran-

(1) Cf. S. Alph., lib. VI, 1106-1108. — (2) S. Alph., VII, 212 et 1 *El. qq. ref.* 98 : — Cf. De Angelis, lib. III, tit. XXXI, n. 9.

tur in nova Constitutione *Apostolicæ Sedis*, aliæ renovantur ex Concilio Tridentino; hisque adjunguntur una ex Const. *Romanus Pontifex*, et duæ ex decretis S. Cong. Concilii.

984. — *A.* Suspensiones in Const. *Apostolicæ Sedis* enumerantur SEPTEM, quæ omnes R. Pontifici simpliciter *reservatæ* declarantur :

I. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, AD BENEPLACITUM S. SEDIS, capitula et conventus Ecclesiarum et monasteriorum, — aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt *Episcopos*, aliosve *Prælatos*, de prædictis Ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione. » — Bonifacius VIII, Extrav. *Injunctæ nobis*, cap. I.

Suspensio fertur : 1° in *Capitulum* vel *monasterium* quod provisos recipit contra jus; unde Capitulares suspenduntur a beneficiis quæ collegialiter seu in communi possident; 2° in *alios omnes* (v. g. in sacerdotes vel religiosos) qui Episcopo vel Prælato, quasi legitimus esset, honorem et obedientiam præstant. Hi a propriis beneficiis, i. e. a perceptione fructuum atque (probabilius) ab *administratione* suspenduntur (1); — 3° ad *beneplacitum* S. Sedis. — Alia de *intrusis* vide n. 950.

985. — II. « Suspensionem PER TRIENNIUM a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta. » — Gregor. IX, cap. *Si quis*, XLV, *de Simonia*; Trid., sess. XXI, c. II, *de Ref.*

Olim, suspensionem incurrebant tum Ordinans, tum Præsentator, tum denique ipse ordinatus, quando nempe ordinatus fuerat sub juramento vel promissione non inquietandi illum super provisione sua. — Imo, juxta probabiliorem sententiam, ordinatus in sacris *sine titulo* vel cum titulo *ficto*, suspensionem similiter incurrebat (2).

Hodie, *solus Ordinans* incurrit suspensionem, et quidem in solo casu quo 1° Ordinem sacrum conferat illi qui, speciali privilegio minime gaudens, nullum quo pacifice fruatur beneficii vel patrimonii titulum habet, et 2° pactum de non præstandis ei alimentis inierit. — Ordines exinde, sive majores, sive minores, *per triennium* conferre nequit, nisi a R. Pontifice prius absolvatur (3).

986. — III. « Suspensionem PER ANNUM ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes *alienum* subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris *dimissorialibus*; — vel etiam subditum *proprium*, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris *testimonialibus*. » (Lib. I, tit. IX, cap. II, in 6 Bonif. VIII. — Trid., sess. XXIII, cap. VIII.)

Prænotanda. 1° Ordinandus est Ordinantis subditus ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, vel triennalis familiaritatis. — 2° Litteræ *dimissoriales* sunt illæ quibus Episcopus proprius seu Ordinarius alieno Episcopo clericum suum sacris Ordi-

(1) Del Vecchio, I, n. 639; Piatus, in hanc susp. — (2) S. Alph., lib. VI, 813-824. — (3) Avanzini, not. 42.

nibus initiandi facultatem concedit. Litteræ *testimoniales* sunt quædam attestatio, qua affirmatur clericum initiandum Ordinibus esse dignum cui sacra ordinatio conferatur. Nec Const. *Apost. Sedis*, nec Const. *Speculatores*, e qua de verbo ad verbum exscripta est præsens censura, determinat ætatem et moram quibus contrahi potuit impedimentum canonicum. Aliunde S. Congr. Conc. (11 jun. 1881) declaravit hoc non contrahi in pueritia. Igitur determinatio ætatis et moræ istius dimittitur judicio Episcopi, qui tuta conscientia potest sequi regulam a Pio IX statutam in simili causa pro regularibus, nempe, litteras testimoniales ab iis tantum exigere, qui post expletum 15^m ætatis annum in alia diœcesi ultra annum morati fuerint (1). — (Cf. supra n. 253-259, 560.)

Censura igitur stringit ORDINANTES, i. e. conferentes Ordines majores vel minores, — id vero in *duplici* casu, ut clare in textu exprimitur. — Quoad *Ordinatum*, vide n. 991, 993 et 994. — Collatio primæ tonsuræ subdito alieno, vel proprio absque necessariis litteris testimonialibus, non inducit censuram, quia tonsura non est ordo proprie dictus; nam S. Congr. Concilii declaravit pœnas a Conc. Trid. latas non incurri ab episcopis conferentibus tonsuram subditis alienis, nec ab istis, quia verba Tridentina ad solos ordines restringenda sunt. — Cap. *Nullus*, de temp. Ordin. (l. I, tit. 9, in 6), quo suspensio a collatione tonsuræ clericalis per unum annum decernitur in episcopum qui eam contulerit alieno subdito, fuit ergo correctum jurisprudentia hodie vigente.

987. — IV. « Suspensionem PER ANNUM a collatione Ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, — vel etiam Religioso nondum professo. » — S. Pius V, Const. *Romanus Pontifex*.

Regulares, post emissionem votorum solemnium, ordinantur titulo *religiosæ paupertatis;* possident enim jus omnino firmum ac per se stabile, ut ex bonis Religionis seu monasterii alantur. — Religiosi autem votorum simplicium, et Regulares novitii, vel solemniter nondum professi, jus illud perfectum non habent. Quare, sub pœna suspensionis, hic præcipitur ut nemo ipsis sacrum Ordinem conferat *absque titulo beneficii vel patrimonii*, excepto casu legitimi privilegii, quo gaudent v. g. Societas Jesu, Congregatio Missionis, etc. — Plectebantur olim censura etiam ordinati, ita scilicet ut Ordinum sic receptorum exercitio in perpetuum carerent (2); sed hodie, ex nova Constitutione, *solus Ordinans* censuram incurrit.

(1) S. Alph., lib. VI, 787-789; Pillet, n. 1139; Santi, l. I, tit. XI, app.; Lucidi, *de Visit. SS. Lim.*, I, n. 86. — Qui opinantur commorationem ultra semestre extra diœcesim, sive post adeptam pubertatem, sive etiam post septennium, sufficere ut necessariæ sint litteræ testimoniales, ordinationi aptant regulam vigentem circa litteras testimoniales de statu libero pro matrimonio contrahendo, ab illis exhibendas qui alibi post pubertatem tantum temporis commorati fuerint, ut documentum eorum status liberi necessarium existimetur.

S. Cong. Conc., in instructione data 27 nov. 1892, pro regularibus *Italis* jam militiæ addictis ordinandis, statuit habendas esse litteras testimoniales Ordinariorum in quorum diœcesibus per trimestre commorati fuerint; in decisione 9 sept. 1893 (*in Firmana*) earumdem litterarum necessitatem extendit ad ipsos clericos sæculares *Italos;* in audientia vero 25 jan. 1895, respondit ad Episc. Urgellensem (*in Hispania*) : « Pro clericis ordinandis jam militiæ addictis, sub pœna a Const. *Ap. Sedis* comminata, requiri litteras testimoniales Ordinarii in cujus diœcesi per trimestre commorati fuerint: et quatenus Ordinarii plenum testimonium non reddant, Episcopus, obtenta ad hoc facultate ab Apost. Sede, provideat per juramentum suppletorium. » (V. *Canoniste contemp*, 1890, p. 276; 1893, p. 57; 1894, p. 40; 1896, p. 295.) Hinc patet S. Cong. Conc. sensim sine decreto apostolico ad ipsos clericos sæculares ubique via jurisprudentiæ extendere velle instructionem primo datam pro solis regularibus Italiæ. — (2) S. Alph., lib. VI, 820, prima sent., in fine.

988. — V. « Suspensionem PERPETUAM ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi *ejecti*, extra Religionem degentes. » — Decret. S. C. CONCILII, 21 sept. 1624, approbante Urbano VIII.

Canonica ratio hujus articuli est, quod Professus votorum solemnium, quia a sua Religione *ejicitur*, caret eo ipso suæ Ordinationis titulo, imo et Ecclesia cui sit adscriptus. — Ut autem *censuram* incurrat, requiritur : 1° ut juste, i. e. ex justa causa et servato ordine juris, ejectus fuerit ; 2° ut extra Religionem degat. Secus vero, si statim ingrediatur aliam Religionem, etsi laxiorem, vel Indultum sæcularizationis a S. Sede obtineat. — *Fugitivi* quidem et *apostatæ* eam non incurrunt, sed aliis subjacent pœnis (1). — Cf. n. 679.)

989. — VI. « Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, nominatim denuntiatis, aut ab hæretico, vel schismatico notorio ; — eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus. »

Olim (ex variis juris capitibus) suspensio plectebat etiam Ordinatos ab Episcopo simoniaco, irregulari, deposito, degradato ; nunc *solos ordinatos* ab Episcopo *nominatim* censurato, vel *notorie* hæretico aut schismatico (2). — Casus autem DUPLEX est : 1° Si ordinatus fuerit in MALA FIDE, (scienter et sine gravi metu) *præsumens recipere*, etc., incurrit veram censuram Papæ reservatam. Excipe tamen, si fuerit invalide ordinatus, v. g. ab episcopo Anglicano, quia suspensio ab Ordine in hac hypothesi ne concipi quidem potest. — 2° Si fuerit in BONA FIDE ordinatus, incurrit solummodo quamdam inhabilitatem, contra quam si agat, peccat quidem, sed non contrahit irregularitatem ; — *donec dispensetur*, intellige ab Episcopo suo, prout de jure (3).

990. — VII. « Clerici sæculares *exteri*, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario, absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint ; necnon clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus *suburbicariis*, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium, — vel non præmissis ante Ordinem sacrum suscipiendum *exercitiis spiritualibus* per decem dies, in domo Urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum ; suspensionem ab Ordinibus sic susceptis AD BENEPLACITUM S. SEDIS ipso jure incurrunt ; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium, PER ANNUM. »

Prædicta lege tenentur *Clerici sæculares ;* ergo eadem non tenentur laici qui tonsura insigniri petunt, nec regulares. — Ad Ordinantes quod attinet, ipsi suspenduntur per annum *ab usu Pontificalium*, i. e. ab omni actu episcopalis potestatis ad quem requiritur usus insignium Pontificalium, i. e. mitræ, baculi, pallii.

(1) S. Alph., lib. VII, 68 ; cf. Avanzini, adnot. 46. — (2) Cf. Avanzini, adnot. 47 ; Patavin., n. 506. — (3) S. Alph., lib. I, 190.

Clerici autem sunt vel exteri vel suburbicarii. — 1° Si sint EXTERI, ultra quatuor menses Romæ commorantes, non possunt, durante commoratione, ordinari ab Episcopo *alieno* (etiam cum dimissorialibus proprii Ordinarii), sine licentia Cardinalis Urbis Vicarii in scriptis referenda, vel sine prævio examine coram eodem peracto ; quinimo nec a *proprio* Episcopo, si in præfato examine fuerint *rejecti*. — Si vero ante ordinationem patriam repetierint, animo ibi permanendi, non subjacent isti legi et censuræ (sed vide n. 986 quod litteras testimoniales). — 2° Si sint SUBURBICARII, i. e. si pertineant ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, vetantur sub eadem censura : 1. ordinari extra suam diœcesim, non obtentis a proprio Ordinario litteris dimissorialibus ad Card. Vicarium directis ; 2. recipere Ordines sacros, non peractis per decem dies exercitiis spiritualibus, etc. (1).

B. Suspensiones ex *Concilio Tridentino* renovatæ sunt pariter SEPTEM. quarum aliæ Episcopis, aliæ nemini reservantur, videlicet :

991. — I. Suspensionem ab exercitio Pontificalium incurrit Episcopus qui Pontificalia exercet in aliena diœcesi, sine expressa Ordinarii loci licentia, vel in personas eidem Ordinario non subjectas. — Si hoc modo Ordines confert, Ordinati remanent ab executione Ordinum ipso jure suspensi. (Trid., sess. VI, cap. v, *de Ref.*)

Neutra censura Papæ reservata est. — Data vero Ordinarii loci licentia, alieni subditi possunt, cum legitimis dimissoriis, ordinari (cf. n. 986).

992. — II. Suspensionem ab exercitio Ordinum, *ad beneplacitum futuri Prælati*, incurrit clericus qui majores Ordines suscipit cum dimissoriis Capituli (seu Vicarii capitularis), infra annum a die vacationis Sedis episcopalis concessis; nisi tamen ratione beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi arctatus fuerit. (Trid. sess. VII, cap. x, *de Ref.*) (2).

Ad minores Ordines sic *promoti* privantur privilegio clericali ; — CAPITULUM subjicitur interdicto (vide n. 1002) ; — ORDINANS demum, cum legitimæ *dimissoriales* desint, incidit in suspensionem explanatam sub n. 986 (3).

993. — III. Suspensionem PER ANNUM ab exercitio Pontificalium incurrit Episcopus *titularis* qui alterius subditum, etiam prætextu continuæ familiaritatis, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel ad primam tonsuram promovet, absque proprii eorum Prælati consensu aut litteris dimissoriis. — Qui vero sic ordinatus est, remanet suspensus ipso jure ab executione Ordinum, *donec suo Prælato visum fuerit*. (Trid., sess. XIV, cap. II, *de Ref.*)

Censura Ordinanti inflicta non est reservata, nisi conveniat cum suspensione II[a] Constitutionis *Apostolicæ Sedis* (cf. n. 985).

994. — IV. Suspensionem a collatione Ordinum PER ANNUM incurrit Episcopus qui subditum alienum (etsi litteris dimissorialibus vel privilegio Apostolico munitum) ordinat, absque Ordinarii sui testimonio de probitate ac moribus. — « Et Ordinatus a susceptorum Ordinum executione,

(1) Patavin., n. 509 ; — Haine, tom. IV, p. 412. — (2) S. Alph., lib. VI, 788. — (3) Patavin., n. 514.

quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. » (Sess. XXIII, cap. XVIII, *de Ref.*)

Censura ab Ordinante incursa non est reservata (1) ; imo non incurritur, si sola tonsura conferatur.

995. — V. Suspensionem ab officio et beneficio PER ANNUM (non reservatam) incurrunt Abbates, Prælati exempti, Collegia et Capitula quæcumque, aut Vicarii capitulares, si clericis *sæcularibus*, sub quocumque prætextu privilegii aut consuetudinis, concedant ut ab alio quam ab Episcopo proprio, vel intra cujus fines existunt, ordinentur (sess. XXIII, cap. X, *de Ref.*).

Ordinantes autem et Ordinati plectuntur pœnis de quibus sermo fuit sub n. 992 (2).

QUÆRITUR. *An vigeat nunc aliqua censura vel alia pœna contra eos qui* PER SALTUM *ordinantur?*

Resp. Olim, certe vigebat pœna suspensionis in Clericos qui, inferiore aliquo Ordine prætermisso, ad superiorem ascendebant (3). — Quæ quidem suspensio erat pœna et *censura* pro eo qui *mala* fide sic ordinatus fuerat; mera autem *inhabilitas* aut impedimentum pro aliis. — Jam vero censura, quam Trid. Synodus (4) tantum commemorabat, probabilius cessat ex Const. *Apost. Sedis* (cf. n. 935, 2°). — Remanet tamen *impedimentum*, vi cujus quilibet Ordinatus *per saltum* non potest sine gravi reatu, nec in Ordine suscepto ministrare, nec ad superiorem Ordinem ascendere, nec prætermissum accipere, nisi necessariam impetret *dispensationem*. — Hanc Episcopi concedere possunt iis qui in Ordine suscepto non ministraverint; solus vero Papa iis qui ministraverint, ut declarat ipsum Tridentinum (5).

996. — VI. Suspenduntur (ubi viget decretum Trid. *de Clandestinitate*) sacerdotes qui, absque licentia parochi vel ordinarii alterutrius sponsorum, illos matrimonio conjungere aut benedicere *ausi fuerint ;* et tamdiu (ab officio sacerdotali) suspensi remanent, *quamdiu ab Ordinario parochi* qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, *absolvantur* (sess. XXIV, cap. I, *de Ref. Matrim.*).

997. — VII. Suspenduntur Episcopi concubinarii, vel mulieres suspectas detinentes, si, a Synodo provinciali admoniti, sese non emendaverint (sess. XXV, cap. XIV, *de Ref.*)

Suspensio, excommunicatio et aliæ pœnæ, ob idem scandalum decernuntur etiam a Concilio in CLERICOS Episcopis inferiores, sed sunt *ferendæ sententiæ.*

Nota. Præfectæ monasteriorum in quibus vota solemnia emittuntur, si *de professione* suarum novitiarum Episcopum (ante mensem) certiorem non fecerint, incurrunt suspensionem ab officio, quamdiu Episcopo videbitur (sess. XV, cap. XVII, *de Regularibus*). — Est autem talis suspensio mera pœna, non censura.

998. — *C.* I. Ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex*, incurritur alia suspensio, quam retulimus supra (n. 950).

(1) Cf. S. Alph., lib. VI, 797, versus fin. — (2) S. Alph., lib. VI, 788. — (3) Id., lib. VI, 793. — (4) Sess. XXIII, cap. XIV, *de Reform.* — (5) Patavin., n. 524.

II. Suspensionem a divinis Sanctæ Sedi reservatam incurrunt sacerdotes et clerici exercentes turpe mercimonium missarum (et insuper clerici fiunt inhabiles ad alios ordines suscipiendos), vi decreti S. Cong. Conc., 25 maii 1893.

III. Suspensionem a divinis ipso facto incurrunt clerici, aut etiam regulares extra claustra degentes, qui Romæ commorantur absque debito assensu Ordinariorum et Summi Pontificis (Decret. S. Cong. Conc., 22 dec. 1894).

ARTICULUS III

DE INTERDICTIS LATÆ SENTENTIÆ

QUINQUE sunt Interdicta *latæ sententiæ* : duo in Constitutione *Apostolicæ Sedis ;* alia duo a Tridentina Synodo inflicta ; et quintum ex Const. *Romanus Pontifex*, contra Episcopos intrusos. Primum et quintum sunt speciali modo Papæ reservata ; secundum reservatur judici sententiam ferenti ; quartum reservatur episcopo successori ; tertium vero nemini est reservatum.

A. Ex. Const. *Apostolicæ Sedis :*

999. — I. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, ad universale futurum Concilium appellantia. » — Ex Bulla *Cœnæ*, § 2.

Hoc Interdictum est PERSONALE GENERALE. — Olim, ex Bulla CŒNÆ, interdicto plectebantur etiam *cooperantes*, seu auxilium, vel consilium, vel favorem præstantes, qui silentio hic prætereuntur. (Cf. n. 941.) (1).

1000. — II. « Scienter celebrantes — vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice, vel a jure interdictis, — aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, — *interdictum ab ingressu ecclesiæ* ipso jure incurrunt, — donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, — competenter satisfecerint. » (Bonifacius VIII, cap. VIII, *de Privil., in Sexto*, sed paulo aliter).

Interdicuntur ab INGRESSU ECCLESIÆ : 1° Clerici *scienter celebrantes divina*, quæ nimirum solis Ecclesiæ ministris fas est obire, quæque in loco interdicto sub gravi prohibentur, in se vel quoad modum ; 2° *celebrari facientes*, i. e. Prælati vel alii auctoritate præditi, qui faciunt coram se celebrari, vel compellunt clericos publice et solemniter celebrare ; — 3° *admittentes*... Clerici nempe (exceptis de jure Episcopis), ad quos spectat auctoritative prohibere vel admittere sive ad divina officia, sive ad Sacramenta, sive ad ecclesiasticam sepulturam. — Utrum autem *laicus* qui custodiam habet ecclesiæ vel cœmeterii, et admittit ad sepulturam, hanc censuram incurrat, incerti juris est (2).

(1) Cf. Haine, t. IV, p. 414. — (2) G. a Varceno, in hanc cens. ; Patavin., n. 538.

Notanda. 1. Loca a *jure* interdicta (Interdicto generali vel particulari) pro interdictis non habentur, donec accedat declaratio judicis, i. e. R. Pontificis vel Episcopi, juxta regulam a Martino V statutam in Bulla *Ad evitanda.* — Hinc, si declaratio vel sententia edicta est ab Episcopo vel ejus nomine, ab ipso etiam pendet absolutio ; si nomine R. Pontificis, debet ipse Pontifex vel ejus Delegatus absolvere. — 2. Per *nominatim excommunicatos*, intellige excommunicatos etiam ab Episcopis vel aliis Ordinariis. — 3. Qui hæreticos notorios vel nominatim interdictos admittunt ad divina officia, quamvis peccent, non tamen hac censura plectunctur. — Quoad *sepulturam*, recole dicta n. 974.

B. Ex Concilio Tridentino :

1001. — I. Interdicuntur ab ingressu ecclesiæ Episcopi qui non denuntiant Episcopos illegitime absentes (sess. VI, cap. I, *de Ref.*).

S. Synodus hæc habet : « Crescente vero contumacia (Episcopi absentis ultra semestre tempus), ut severiori SS. Canonum censuræ subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti *ingressus ecclesiæ* eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur. »

1002. — II. Interdicitur Capitulum (respective Vicarius capitularis), si, infra annum Sedis vacantis, litteras dimissorias concedat clerico non arctato ratione beneficii recepti vel recipiendi (sess. VII. cap. X, *de Ref.*).

Vicarius capitularis, reus hujus delicti, plectitur tum præsenti interdicto personali, a quo debet per Episcopum successorem absolvi, tum suspensione ab Officio et beneficio per annum, de quo egimus n. 995.

In casu necessitatis, S. Congr. Episc. et Reg. ampliores tradit facultates pro dimissoriis concedendis (1).

1003. — *C.* Ex Const. *Romanus Pontifex*, interdictum ab ingressu ecclesiæ infligitur Episcopis intrusis, vel intrusionis *auctoribus*. — Vide n. 950, 984 et 998.

SCHOLIUM

PRAXIS CONFESSARII IN ABSOLVENDO A CENSURIS

1004. — *Prænotanda.* — 1. Absolutio a censuris est ipsius pœnæ relaxatio, vi potestatis clavium facta per idoneum superiorem. Est actus qui primario et per se ad jurisdictionem fori externi spectat, quamvis absolutio in foro interno pro casibus occultis dari possit ac sæpe debeat. Hinc si in foro externo a judice ecclesiastico vel ab ejus delegato datur, valet etiam pro foro interno, ita scilicet ut sacramentalis absolutio postea a quolibet confessario impertiri valeat. E contra, si solummodo in foro interno datur, non prodest coram superiore nec coram fidelibus, nisi de ea publice aut saltem per idoneum testem sufficienter constet (2).

2. Existit vero magnum discrimen inter absolutionem *a peccatis* et absolutionem *a censuris*. Etenim : 1° Illa datur ad Deum nobis reconciliandum, hæc autem ad restituendum ea quæ propria sunt civium Ecclesiæ militantis. 2° Illa ad omnia peccata extendenda est, hæc vero ad

(1) Cf., De Angelis, lib. I, tit. 28, n. 21. — (2) S. Alph., lib. VII, 65, not 2.

unam censuram restringi potest. 3° Illa non potest tribui nisi contritis et volentibus ; hæc etiam contumacibus, atque ipsis invitis conceditur valide, imo et licite in aliquibus casibus, v. g. si ad bonum commune conferat. 4° Illa per se absolute danda est, nec illius effectus suspendi, restringi aut revocari potest ; hæc dari potest sub conditione, ex die in diem, ad reincidentiam, ad cautelam, ad effectum particularem, etc. 5° Illa, quia pars est sacramenti, præsentibus tantum ; hæc et absentibus per litteras recte datur, si urgens subsit causa. 6° Illa a solo sacerdote approbato ; hæc a simplice clerico debita facultate instructo dari potest (1). 7° Postremo, peccata absolvi possunt non solum directe, sed etiam indirecte, i. e. per concomitantiam cum iis quæ subjiciuntur clavibus ; censuræ autem non nisi directe absolvuntur, quia inter eas non est necessaria connexio, sed habentur instar catenarum, quarum aliæ sine aliis solvuntur (2).

His præmissis, subjungimus præcipuas Regulas servandas, cum a censuris absolvendum est.

1005. — I. Ante omnia, diligenter exquirat confessarius an pœnitens revera censuram incurrerit. Meminerit igitur principii quod communiter tradunt theologi (3), peccatum scilicet non esse censuræ obnoxium, nisi sit interne et externe grave, in genere suo completum, certum et cum contumacia (hoc est cum notitia legis et facti quo lex violatur, et sine metu excusante) (4) perpetratum. Quod si una ex his conditionibus certo desit, absque hæsitatione pronuntiandum est censuram non fuisse incursam.

Diximus : *perpetratum cum notitia* ; quocirca notandum est a censura quandoque excusare ignorantiam, etsi graviter culpabilem, crassam aut supinam (quin etiam, juxta quosdam, quibus non adhæret S. Alph., l. VII, n. 48, ignorantiam affectatam), quando nimirum dicitur lata in *scienter, consulto* vel *ausu temerario* operantes, *in præsumentes*, etc. (5). Deficiente hujusmodi clausula, ignorantia graviter culpabilis non excusat. Sed adverte ignorantiam aliquando graviter culpabilem seu crassam videri, quin reapse talis sit. Exemplo sint sacerdotes non pauci, qui censuras vix noverant, quia ante Constitutionem Pii IX res erat multis implexa difficultatibus, ob Bullas plurimas usu non receptas, studium juris canonici in certis regionibus leviter delibatum, etc. ; ex quibus resolves eos non fuisse statim ignorantiæ crassæ arguendos.

1006. — II. Si, omnibus perpensis, de incursa censura non liquido constet, sed *dubium* remaneat an sit incursa ; sive dubium sit juris, quia scilicet alii theologi censuræ existentiam aut reservationem affirmant, et alii æque probabiliter negant ; sive dubium sit facti, quia nimirum incertum est an peccatum mortale intervenerit necne, an crimen fuerit in sua specie consummatum, etc., confessarius absolvat ad cautelam, quia absolvere non prohibetur, et expedit ut absolvat.

Diximus : *quia absolvere non prohibetur ;* theologi enim communiter cum S. Alphonso docent, in dubio, etiamsi agatur de peccatis et censuris reservatis, confessarium possidere ac retinere facultatem plene absol-

(1) S. Alph., lib. VII, 117 et seqq. — (2) Ibid., n. 131. — Comment. Reatin., n. 167. — (3) Cf. S. Alph., lib. VII, 42-49. — (4) Vid. supra, n 944. — (5) vid. supra, n. 939 et n. 968.

vendi, ita ut pœnitens qui simplici confessario peccatum dubie reservatum confessus est, omnino a reservatione liberetur, etiamsi postea illud certo reservatum cognoscat (1).

Diximus insuper : *expedit ut absolvat*, saltem ad cautelam, tum quia hæc est praxis Ecclesiæ ut, juxta formam Ritualis romani, pœnitens prius a censuris etiam ignoratis quam ab ipsis peccatis absolvatur; tum quia per hujusmodi absolutionem censura vere relaxatur, etiamsi postea certa apparuerit, et omnes scrupuli ac conscientiæ anxietates depelluntur. Interim dubie censuratus non tenetur in fore conscientiæ sese gerere ut censuratum, nec irregularitatem incurrit, si ordinem sacrum exerceat, v. g. si sacerdos Missam celebret (2).

1007. — III. Si, post accuratam tum juris tum facti recognitionem, de incursa censura moraliter certo constet, confessarius inquirat an *ipso jure* facultatem absolvendi possideat.

Sciendum est igitur hanc facultatem cuilibet confessario competere : 1° si censura nemini sit reservata, ut per se patet ; 2° si pœnitens sit in articulo vel periculo mortis ; tunc enim, « ne hac occasione aliquis pereat, nulla est reservatio ». (Trid., sess. XIV, cap. VII.)

Notandum est quod, quamvis in articulo mortis nulla sit nec peccati nec censuræ reservatio, confessarius tamen, vel in ejus defectu simplex sacerdos, non potest absolvere a quibusdam censuris, nisi censurato onus imponat superiori se sistendi. Debet enim, si agatur de excommunicationibus speciali modo Papæ reservatis (3), exigere ab absolvendo promissionem, quam cito commode poterit, per se aut per alium, Papæ vel facultatem ab eo habenti sese præsentandi, ac ejus mandata humiliter suscipiendi, sub pœna relabendi ipso jure in easdem censuras, si huic obligationi satisfacere ex gravi culpa neglexerit per unius mensis spatium, juxta declarationem S. Officii (4) (19 augusti 1891 et 2 april. 1892) ; sed in litteris rei verum nomen et cognomen supprimuntur, ut confessionis secretum maneat illæsum.

1008. — IV. Si confessarius non habeat ipso jure absolvendi facultatem, videat utrum eam *ab Episcopo* per specialem atque expressam delegationem obtinere possit, sive ad casum hunc particularem, sive ad plures ac diversos casus qui occurrere poterunt. Potest enim delegatio utroque prædicto modo fieri (5).

Jamvero Episcopi, et ab eis specialiter delegati, etsi nullo indulto pontificio gaudeant, possunt ipso jure absolvere : 1° a censuris per S. Pontificem reservatis Ordinariis, uti ex ipsa lege patet ; 2° a censuris Romano Pontifici simpliciter reservatis dummodo casus sint occulti, seu paucis tantum et discretis personis noti, nec ad forum contentiosum deducti, et absolutio detur solis subditis (quibus vi consuetudinis æquiparantur extranei accedentes ad sacrum tribunal) in ipsa diœcesi et in foro conscientiæ, ut constat ex Trid., sess. XXIV, cap. *Liceat*, quod firmum declarat Pius IX in Const. *Apostolicæ Sedis* (6). Prætera, *ex Indulto pontificio*,

(1) Homo Ap., XVI, 142-143. — (2) S. Alph., lib. VII, 67. — (3) Cf. Comm. Patavin., n. 164. — (4) S. Alph., lib. VII, 120-121 ; 127-130. — (5) Ibid., 93. — (6) S. Alph., lib. VI, 593. — Lib. VII, 79-93. — Appendix *de Privil.*, n. 29 et seqq.

Episcopi, Regulares et Missionarii haud raro ampliores habent facultates. Equidem prorsus revocatæ sunt quælibet facultates absolvendi a censuris ante constitutionem concessæ; sed ad tempus S. Sedes alias præsertim episcopis impertiri solet, quarum tenor stricte servandus est.

1009. — V. Si confessarius neque ex jure, neque ex Episcopi delegatione, absolvendi facultatem habeat, *ad ipsam S. Sedem* recurrendum est, saltem *per litteras;* nec deinceps teneri potest sententia usque ad annum 1886 libere asserta (juxta lib. V Decretal. tit. 39, cap. 2, 6, 11, 13, 26, 33 et 58), ex qua ad Episcopum aut ad quemlibet confessarium devolvebatur absolutio quorumlibet casuum et censurarum etiam speciali modo reservatorum, quando pœnitens versabatur in impossibilitate adeundi *personaliter* S. Sedem. Declaravit enim S. Officium illam sententiam, *attenta praxi S. Pœnitentiariæ*, præsertim ab edita constitutione *Apostolicæ Sedis* (1869) *non esse tutam, praximque contrariam tolerandam non esse* (2 april. 1892). Subjungit vero idem decretum: « At in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ (1), super quo confessariorum conscientia oneratur, dari potest absolutio (directa), injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub pœna tamen reincidentiæ in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem (2). » Porro hæc obligatio recurrendi ad S. Sedem, quæ non urget post absolutionem in articulo mortis a censuris simpliciter reservatis S. Pontifici, importat onus sive per se, sive per confessarium ad S. Pontificem recurrendi ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis (*S. Offic.* 2 april 1892). Ex resp. *S. Offic.* (19 dec. 1900), absolutus in casibus urgentioribus potest recurrere ad Ordinarium facultate absolvendi instructum, non autem ad sacerdotem subdelegatum habitualiter ab eo.

Ex declaratione S. Officii (7 nov. 1888), ista obligatio per epistolam recurrendi ad S. Sedem non cessat ob periculum reserationis epistolæ et violationis secreti, eo quod supprimantur vera pœnitentis nomina et ficta supponantur; insuper, ipse pœnitens scribere potest, vel alius confessarii ministerio uti, nec necessario intervenire debet confessarius qui absolvit, quia sæpe gravibus incommodis impeditur; tandem, eadem servanda sunt pro absolutione a casibus Papæ reservatis sine censura ac pro absolutione censurarum.

Ex resolutione S. Officii (9 nov. 1898 et 5 septembris 1900) quam Leo XIII approbavit et confirmavit, « Quando neque confessarius neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt, et durum sit pœnitenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis, absque onere mittendi epistolam.

(1) Ex responso S. Officii (16 jun. 1897), uti licet hac facultate absolvendi, non solum quando adest periculum gravis scandali vel infamiæ, sed etiam quando pœnitenti durius esset manere in statu peccati mortalis donec a S. Sede concessa fuisset et intimata potestas necessaria ad absolvendum. — (2) Decr. S. Officii, die 30 jun. 1886, a Leone XIII confirmatum.

Ut autem onus epistolam mittendi cesset, sufficit quod pœnitens scribendi impar eidem confessario, a quo absolutus fuerit vi decreti 1886 et responsi 16 jun. 1897, se præsentare nequeat, et ipsi durum sit alium confessarium adire; licet confessarius absolvens pro pœnitente epistolam ad S. Sedem mittere posset. »

Recursus ad S. Sedem (seu ad S. Pœnitentiariam) fit sequenti modo : Exponitur stylo simplici in idiomate vulgari (v. g. Italico vel Gallico), vel melius in latino, totum factum cum circumstantiis quæ ad rem spectant, omisso semper vero pœnitentis nomine. Litteræ dein inscribuntur foris : *Eminentissimo ac reverendissimo Domino — Domino Cardinali Majori Pœnitentiario — Romæ ;* — intus vero vel ad Cardinalem, his verbis : *Eminentissime Princeps*, vel ad ipsum S. Pontificem, his verbis : *Beatissime Pater*, dirigi possunt. Et optimum erit, si per aliquem procuratorem, vel per amicum Romæ degentem, ad S. Pœnitentiariam, clausæ tamen ac sigillatæ, deferantur (1).

In Rescripto S. Pœnitentiariæ inscribitur :

« *Confessario ex approbatis ab Ordinario loci, ab oratore electo vel eligendo.* » Solus igitur ille confessarius Rescriptum aperiet; apertum autem si nequeat aut nolit exequi, alius eligi ipsique substitui potest. Non solet nunc S. Pœnitentiaria inserere verba : *Magistro in theologia*, vel *Decretorum Doctori ;* quæ tamen si inserantur, confessarius eligatur his titulis insignitus, vel ex privilegio delegabilis sicut Doctor ; secus, de novo recurratur (2).

In forma commissaria concedi solet rescriptum, et ideo pœnitens, etiam si jam absolutus fuerit, iterum coram confessario se sistere tenetur; sed, rationabili causa suadente tale onus declinare, rogatur S. Pœnitentiaria illud indulgere *in forma gratiosa*, quam adhibendo S. Pontifex vel Major Pœnitentiarius IPSE absolvit a censuris, vel tollit reservationem casuum, vel absolutis urgente necessitate et ad S. Sedem recurrentibus opportuna remedia et pœnitentias injungit.

In locis Missionum, facultates et absolutiones postulandæ sunt a S. Cong. de Prop. Fide.

(1) En formulæ exemplum :

BEATISSIME PATER. — « Titius sacerdos *(vel parochus)* unam pœnitentem *(vel duas, tres*, etc.) complicem in peccato turpi semel *(bis, ter*, etc.) sacrilege absolvit *(vel absolvere simulavit)*. Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per *quindecim* dies missam celebrare et sacramenta ministrare perrexit. Nunc vero, delictorum suorum sincere pœnitens, et remota peccati occasione, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. » (N. B. *Si jam alia vice vice absolutus et recidivus fuisset, id exprimi deberet.)*

Responsum, precor, dirigatur ad me subscriptum,

humillimum tuum servum, N. N. *(nomen et cognomen apponatur)*. — Via N... n° ..... Parisiis. — (3) Planchard, opusc. *de Constit. Benedict. XIV*, quæ incipit : *Sacramentum Pœnitentiæ*, 3ª edit., p. 15.

LIBER TERTIUS

DE RELATIONIBRS ECCLESIÆ CUM SOCIETATIBUS CIVILIBUS

Præsens liber comprehendit tres titulos : in primo, statuuntur *principia quibus regulantur relationes* inter Ecclesiam et societates civiles ; in secundo, describitur *conspectus historicus* harum relationum ; in tertio, disseritur de *Concordatis*, quibus restituitur et firmatur concordia factorum cum principiis.

TITULUS I

Principia quibus regulantur relationes Ecclesiæ et Status.

Hæc principia in duplici capite exponentur : in primo, dicetur generatim de nexu inter Ecclesiam et societatem civilem ; in secundo, expendetur speciatim gradus quem Ecclesia præ societate civili obtinet.

CAPUT I

DE NEXU INTER ECCLESIAM ET SOCIETATEM CIVILEM

Tria ad naturam hujus nexus referuntur : — 1° distinctio utriusque potestatis : — 2° independentia Ecclesiæ ; — 3° concordia et mutuum auxilium Ecclesiæ et Status ; quorum habetur præclarum specimen in distinctione animæ et corporis humani, independentia animæ a corpore, et utriusque mutuo auxilio.

ARTICULUS I

DISTINCTIO UTRIUSQUE POTESTATIS (1).

1010. — I. *Binæ potestates distinctæ rebus humanis præsunt.* Cujuslibet societatis ratio dimanat ex eo quod homines collatis viribus acquirant quædam a se legitime expetita, quæ soli non possent. At quæcumque ab hominibus legitime expetuntur spectant vel æternam, vel temporalem felicitatem. Atqui alteram Ecclesia prosequitur, alteram societas civilis. Ergo binæ potestates rebus humanis præsunt. « Duo sunt, ait S. Gelasius Papa, quibus principaliter hic mundus regitur : auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas (2). » Item Leo XIII : « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet, ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus præpo-

(1) Devoti, *Institutionum canonicarum Prolegomena*, cap. I. — Bianchi, *de la Puissance ecclésiastique*, t. I, liv. I. — Taparelli, *Essai théorique de droit naturel*, lib. XII. — Audisio, *de Jure naturæ et gentium*, lib. III, tit. XI. — (2) Epist. ad Anast. imperat. (anno 494).

sitam (1). » — Hæ duæ potestates merito comparatæ sunt duobus oculis, quibus deducitur corpus hominis per vias rectas.

1011. — II. *Ecclesia et societas civilis multiplici modo differunt*, nempe, origine, fine, rectoribus ac mediis, atque proprietatibus.

1. Differunt *origine*. Ecclesia est a Deo tanquam gratiæ largitore ; Christus quippe eam constituit. Societas vero civilis provenit a Deo tanquam auctore naturæ, sed sine forma determinata ; unde facta humana suas partes habent in determinandis speciebus et formis societatum civilium.

2. Differunt *fine*, *rectoribus* et *mediis*. Equidem utraque societas ad finem hominis ultimum conducit, sed diversis mediis et sub diverso regimine. Supernaturalis est *finis proximus* Ecclesiæ, nempe, hominum sanctificatio per gratiam (2) ; naturalis autem est finis proximus societatis civilis, videlicet, communis civium prosperitas, per ordinem exteriorem interno moralitatis ordine informatum. Ecclesiæ præsunt Pontifices, dum societatem civilem moderantur Principes.

Ad media quod attinet, quamvis Status civilis et Ecclesia adhibeant media quæ ipsis competunt quatenus societatibus perfectis, attamen Status adhibet tantum media temporalia ; Ecclesia vero utitur tum mediis temporalibus sibi congruis, tum mediis spiritualibus quibus a Christo instructa est, v. g. magisterio, potestate ordinis circa sacrificium, sacramenta et benedictiones, et legibus disciplinaribus expositis in toto libro secundo partis posterioris hujus operis. Media enim ad finem proprium cujusque societatis ordinantur, eique respondere debent.

3. Differunt *proprietatibus*. Ratione *extensionis*, Ecclesia est una et universalis ; imperia vero civilia certis limitibus circumscribuntur, ideoque pro diversitate locorum multiplicantur. — Ratione *temporis* et *stabilitatis*, Ecclesia est immutabilis et perpetua ; e contra, regna terrena rerum humanarum vicibus obnoxia sunt, ideoque immutantur, dividuntur et evertuntur.

Merito igitur omni tempore imperium a sacerdotio, thronus ab altari, forum a templo, rex a pontifice, uno verbo, potestas temporalis a spirituali distincta fuit.

ARTICULUS II

INDEPENDENTIA ECCLESLÆ

1° Statuetur independentia seu autonomia utriusque potestatis ; 2° definietur objectum independentiæ Ecclesiæ.

§ 1. — *Independentia utriusque potestatis* (3).

1012. — Ut hæc independentia rite concipiatur, animadvertendum est eam non sic esse intelligendam, quasi Ecclesia et Status omnino separentur, vel alterutra societas auxilio alterius non indigeat ; sed vere dici autonomiam, in eo sitam ut ambabus societatibus liberum sit ad finem sibi proprium mediis sibi propriis tendere ; unde nec status in negotiis eccle-

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque Deus. — (2) Ibid., § Tam ingenti. — (3) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, p. 109. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. III. — Soglia, *Institutiones juris publici*, pars II, lib. I, cap. I.

siasticis, nec Ecclesia in negotiis mere civilibus sese ingerere sine injuria possit. « Utraque (potestas) est in suo genere maxima : habet utraque certos quibus contineatur terminos, eosque sua cujusque natura causaque proxima definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur (1). »

1013. — I. *Potestas civilis est independens in suo ordine*, id est, in negotiis mere temporalibus.

Prob. 1° *verbis Christi :* « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (2). »

Prob. 2° *doctrina et praxi Ecclesiæ*, quæ docet et prædicat legibus civilibus obediendum esse, et politicam potestatem a Deo dimanare. Cæterum nemo in dubium revocat independentiam Status in negotiis mere temporalibus.

1014. — II. *Ecclesia est independens* in omnibus quæ ad ejus finem et media spectant.

Prob. 1. *ratione*. Societas distincta, cujus finis ad aliam societatem non ordinatur, independens est in suo regimine, siquidem independentia est exemptio a superiori potestate ejusdem generis et ordinis. Atqui non solum Ecclesia est distincta, quatenus habet finem proprium et media sufficientia ad illum assequendum ; sed et illius finis ad aliam societatem non ordinatur, cum sit supremus, nempe, adeptio vitæ æternæ. Ergo est prorsus independens in suo regimine.

Prob. 2. *voluntate Christi*. Etenim, quo tempore præstari jussit quidquid juris imperantibus politicis competit (*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*), statim adjecit ad principes civiles deferenda non esse omnia quæ ad religionem spectant (*et quæ sunt Dei Deo*).

Præterea, Dominus Petro et Apostolis, eorumque successoribus, potestatem independentem a potestate civili his verbis contulit : *Docete omnes gentes* (3)... *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (4)... *Pasce oves meas* (5).

Denique Christus, invita et contradicente potestate sæculari, Ecclesiam constituit.

Prob. 3. *praxi Apostolorum*, qui verbis et factis vindicaverunt Ecclesiæ libertatem, nec in exercitio potestatis spiritualis se impediri permiserunt, prædicantes quod *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (6).

Prob. 4. *constitutionibus dogmaticis SS. Pontificum*, in quibus independentia Ecclesiæ asseritur ut doctrina catholica. Hujusmodi sunt Joannis XXII constitutio *Licet*, adversus Marsilium Patavinum ; — Bulla *Cœnæ*, cujus firmitati quoad doctrinam nihil detractum est ; — plurium Pontificum constitutiones adversus *placitum regium ;* — hocce decretum Concil. Vatic. : « Damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati *obnoxiam* (7) ; » — tandem Leonis XIII Encycl. *Immortale Dei*, in qua legitur : « Sicut finis quo ten-

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque Deus. — (2) Matth., XXII, 21. — (3) Matth., XXVIII, 19. — (4) Matth., XVI, 19. — (5) Joan., XXI, 17. — (6) Act., V, 29. — (7) Const. *de Ecclesia Christi*, cap. III.

dit Ecclesia longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. »

§ 2. — *Objectum independentiæ Ecclesiæ.*

Traditur primo norma generalis hujus independentiæ; dein describitur multiplex ejus objectum.

I. — Norma generalis independentiæ Ecclesiæ (1).

1015. — I. *Rejiciuntur tria principia falsa aut saltem captiosa* :

1. Captiosum est istud principium : *Ecclesia præest animis, civitas vero corporibus*, quod urgebatur a Marsilio Patavino, Ant. de Dominis, aliisque Regalistis. Etenim utraque potestas hominem non ex parte tantum, sed integrum, intuitu tam corporis quam animæ, sibi subjectum habet, licet in diverso ordine. Ecclesia sanctificando corpori simul et animæ intenta est; Status vero, cum civibus libertate præditis præsit, eorumque actus dirigat ac dijudicet, non solum corpus respicit, sed et animam, quæ sola prædita est libertate, præcepta percipit et actus externos imperat.

2. Non minus falsum est istud axioma, præcedenti valde affine : *Interna spectant ad Ecclesiam, externa ad Statum referenda sunt.* Tali quippe regula potestas ecclesiastica contineretur intra limites tam arctos, ut ei vix aliud remaneret quam libertas decernendi quæ spectant dogmata et mores. Quam falsum sit hoc principium, quam alienum a mente Christi, facile intelligitur. Cum enim Ecclesia fundata fuerit ut societas visibilis et humano modo regenda, fere universa illius exercitia et instituta externe apparent. Nimirum prædicatio, institutio juventutis, sacramenta, sacrificium, adjuncta cultus divini, publicæ preces, ministrorum electio et ordinatio, exercitium jurisdictionis, regimen pastorale, concilia, etc., certe externa sunt. Si hæc omnia civili potestati obnoxia forent, quid a potestate spirituali regendum remaneret?

3. Ad definiendos limites quibus jura utriusque potestatis secernuntur, non satis tuta est regula sequens : *Ecclesia res spirituales, Status vero res temporales moderatur*, quam sapiunt articuli declarationis cleri Gallicani (1682) et Articuli Organici a Napoleone Concordato conjuncti. Etenim ambigua est hæc regula, tum quia multæ res temporales spiritualibus annexæ sunt; tum quia media quibus Ecclesia utitur, non tantum ex objecti natura determinantur, sed potius ex illorum proportione ad finem obtinendum; tum quia Ecclesia judicat omnia quæ conscientiam respiciunt. Proinde regula non comprehendit omnia quæ potestati ecclesiasticæ subjiciuntur.

1016. — II. Firmum principium ex quo jura utriusque societatis deduci possunt, duplici modo proponitur :

1. *Ex fine societatis accipienda est mensura potestatis.* Cum finis

(1) Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. I. tit. XXXII. — Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, pars II, lib. III.

propter quem membra in unum coalescunt et media adhibentur, sit ratio adæquata cujusque societatis, ex eo necesse est prodire omnia jura imperantium, omnesque obligationes. Unde ad determinandos limites potestatis ecclesiasticæ et potestatis civilis, attendendum est ad cujus societatis finem sive exclusive, sive primario, sive æque pertineat res de qua agitur, ut, hoc investigato, alterutri vel utrique potestati subjiciatur. « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, ait Leo XIII, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ ; cætera vero, quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit quæ Cæsaris sint reddi Cæsari, quæ Dei Deo (1). » Hoc principium triplici regula evolvitur :

Regula 1ª. Res ecclesiasticæ seu causæ, negotia et media quæ ad finem Ecclesiæ ordinantur, spectant ad Ecclesiam, licet externa sint et temporalia ex natura sua. Illæ res seu causæ sunt res spirituales, res temporales spiritualibus annexæ, et causæ quæcumque personarum Deo sacrarum seu ecclesiasticarum.

Regula 2ª. Potestati civili non subjiciuntur nisi res quæ fini societatis civilis respondent. Ratio est, tum quia societas non potest ea exigere quæ non sunt ordinata ad finem suum ; tum quia Statui non competit jus determinandi ea quæ pertinent ad ordinem superiorem.

Regula 3ª. Res mixtæ, id est, quæ sub diverso respectu ad finem utriusque societatis ordinem habent, spectant ad utramque potestatem, eo quod utriusque jus et officium est curare sua. Nisi aliqua pactione aut praxi probata cujusque partes determinentur, dilatentur aut contrahantur, utraque stricte tenetur stare intra limites nativæ suæ competentiæ. Hinc causæ matrimoniales ita secernendæ sunt, ut leges contractum et sacramentum respicientes ab Ecclesia ferantur, Status vero determinet effectus mere civiles matrimonii juxta leges Ecclesiæ celebrati. Hinc in Encycl. *Immortale Dei* (2) declaratur : « In negotiis mixti juris, maxime esse secundam naturam, itemque secundum Dei consilia, non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quæ utramque societatem genuerunt. »

2. *Jura Ecclesiæ determinantur ex voluntate Christi*, qui eam constituit velut societatem perfectam, tum respectu hierarchiæ personarum, in quibus potestas spiritualis residet ; tum respectu multiplicis potestatis ac mediorum quibus finem suum assequitur. Proinde Summus Pontifex, Episcopi et cæteri gradus Hierarchiæ suam potestatem libere exercere debent, quin potestas civilis in ipsorum ministerium sese ingerat. « Intelligi debet, ait Leo XIII in toties laudata Encyclica, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et jure perfectam ; neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque inter. — (2) Ibid., § Ex iis autem.

liberam, aut quidquam de cæteris juribus detrahant quæ in ipsam a Jesu Christo collata sunt (1). »

II. — Multiplex objectum independentiæ Ecclesiæ.

Independentia Ecclesiæ respicit : — 1° magisterium et ministerium ; — 2° liberum exercitium jurisdictionis ; — 3° jura quoad personas et bona sibi necessaria.

1. — *Independentia Ecclesiæ quoad magisterium et ministerium* (2).

1017. — I. Ecclesia est independens *in exercendo magisterio*, siquidem ipsi soli a Christo commissum est jus et officium docendi. Rectores ergo Ecclesiæ libere permittantur, juxta mandatum Christi :

1. Veram doctrinam propagare, dubia circa fidem et mores exorta dirimere, decisiones ejusmodi fidelibus communicare ;

2. Instructionem religiosam in quibuscumque scholis dirigere, ita ut cuncti qui religionem aut theologiam docere volunt, ab auctoritate ecclesiastica missionem obtineant ;

3. Novos asseclas ex hæreticorum aut infidelium numero conversos in Ecclesiæ sinum recipere, et conditiones hujus transitus determinare ;

4. Propria auctoritate corrigere abusus ex parte tum prædicatorum, tum magistrorum religionis, forte intervenientes, et damnare libros fidei aut moribus nocivos.

1018. — II. Ecclesiæ competit eadem libertas *in exercendo ministerio*. Omnia quæ sacramenta et cultum divinum respiciunt, sacramentalia, benedictiones, publicæ preces, pia exercitia ad sensum religionis fovendum comparata, indulgentiæ, ratio peragendi rem divinam in sacris conventibus, vota, juramenta, et similia, licet externam speciem gerant, tamen sunt res ecclesiasticæ et sacræ. Propterea manus profanæ non præsumant eas moderari.

Perperam prætenditur abusibus circa cultum exortis occurrendum esse. Numquid non constituti sunt sacrorum antistites, qui propria auctoritate abusus ejusmodi reprimant ?

Inde plura inferuntur : 1° Ubi auxilium potestatis civilis invocatur pro executione legum ecclesiasticarum, ista intra terminos præsidii implorati stare debet.

2° Quoties gubernio politico indicantur aliquæ circa cultum ordinationes a viris ecclesiasticis factæ, id civilitatis et amicitiæ causa fieri solet, non ex stricto jure, nisi S. Pontifex aut Ordinarius ita fieri præceperit.

3° Si magistratus sæcularis preces communes pro salute societatis instituí cupiat, ejus postulationi libenter acquiescendum est ; verum ille non potest functiones sacras præcipere.

2. — *Liberum exercitium jurisdictionis.*

1019. — Rectoribus Ecclesiæ vindicatur independentia quoad discipli-

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Ex iis... — (2) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, § 111. — Suarez, *Defensio fidei catholicæ*, lib. III, cap. VIII.

nam. Cum enim ipsis incumbat munus dirigendi actus fidelium in ordine ad salutem, ab omni vinculo libera esse debet jurisdictio qua in hunc finem instructi sunt. Ad eam referuntur jus *inspectionis*, potestas *legislativa* et potestas *judiciaria*. (Cf. n. 314-318, et 432-438.)

I. *Jus ecclesiasticum inspectionis* tria complectitur : — *Primum* est Episcoporum, cleri et fidelium, libera communicatio cum Summo Pontifice. *Secundum* est jus pastorum invigilandi sive personaliter sive per alios super gregem sibi commissum, ex quo v. g. Summo Pontifici competit facultas mittendi Legatos ubique terrarum, et cuique Episcopo licet suam diœcesim visitare. *Tertium* est jus pontificium recipiendi relationes de statu ecclesiarum particularium.

Hinc illa definitio Concilii Vaticani (1) : « Ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam, jus eidem esse consequitur in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. »

II. *Jus ferendi leges.* — Cum potestas legislativa per se stans et prorsus independens Ecclesiæ a Christo collata fuerit, natura rei postulat ut leges ecclesiasticæ libere statuantur et applicari valeant, quin obstaculum aliquod opponatur, v. g. *placitum regium* (2). « Revera, ait Leo XIII, Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quæ hinc consequitur, judicandi puniendique potestate (3). »

III. *Potestas judicandi et puniendi.* — Ejusdem potestatis quæ leges condit, est etiam tum de illarum transgressione judicare, tum pœnas reis infligendas determinare. Non licet ergo gubernio civili sese immiscere judiciis ecclesiasticis, aut potestatem spiritualem in pœnis irrogandis impedire. Quapropter admitti non potest *appellatio ab abusu* seu recursus ad principem et ad tribunalia sæcularia, ubi quis per abusum potestatis episcopalis se injuste damnatum existimat.

1020. — *Appellationes ab abusu sunt illicitæ et invalidæ.*

Prob. 1. *ratione.* Ad solum legislatorem spectat interpretatio authentica suarum legum. Proinde an lex quædam canonica per judicium rite applicata fuerit, nonnisi superior ecclesiasticus decidere potest, cujus est eam interpretari et de recta ejusdem applicatione judicare. Itaque appellationes *ab abusu* adversantur independentiæ potestatis ecclesiasticæ a societate civili.

Refutantur prætextus quibus istud systema fulcire nituntur politici. Primus est : *excessus potestatis*, ad quem devenire possunt Ecclesiæ ministri. Verum Christus interpretem juris divini constituit Ecclesiam, minime vero principem civilem ; quapropter earum rerum cognitio ad solam Ecclesiam pertinet. — Alter prætextus est : principem esse *defensorem canonum*. Sed cum ipsi canones mandaverint hac de re superiorem ecclesiasticum esse adeundum, si principes velint custodiam canonum

(1) Sess. IV, cap. III. — (2) Supra, *Pars generalis*, lib. I, tit. I, *de Legis acceptatione*, n. 94-98. — (3) Encycl. *Immortale Dei*.

suscipere, in hoc incumbere debent ut morem gerant superioribus ecclesiasticis, nec unquam obsequentis auxilio imperantis præsumptionem substituant. — Tertius prætextus est : *subditos esse protegendos*. Verum oppressis non deficit remedium canonicum, siquidem possunt ad superiorem judicem ecclesiasticum appellare.

Prob. 2. *auctoritate*. Iste recursus ad potestatem sæcularem a canonibus prohibetur, et quidem sub gravissimis pœnis.

Innocentius III statuit : « Nec pro defectu justitiæ clerici trahantur a laicis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus (1). »

Concilium Tridentinum decernit : « Nefas sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu quod contenta in præsenti decreto non sint observata ; cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat (2). »

Pius IX damnavit propositionem sequentem : « Civili potestati... competit potestas indirecta negativa in sacra ; eidem proinde competit... jus *appellationis* quam nuncupant *ab abusu* (3). »

Tandem Const. *Apostolicæ Sedis* excommunicatione plectit cogentes, sive directe sive indirecte, judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones. — Cf. n. 944.

3. — *Jura Ecclesiæ quoad personas et bona sibi necessaria.*

1021. — I *Jura Ecclesiæ quoad personas sibi necessarias.*

1. Ecclesia tot ministros assumit, quot pro fine suo obtinendo necessarii aut utiles sibi videntur. Libera eorum selectio ex multitudine civium eo minus Ecclesiæ denegari poterit, quod ipsi præit vocatio divina, nec clerici et sacerdotes exulant e societate civili, sed religioni inservientes simul commune bonum efficacissime procurant. Insuper, ex natura status clericalis sponte sequitur ad Ecclesiam spectare facultatem præscribendi et examinandi dotes quibus polleant promovendi ad ordines.

2. Clericorum tum institutionem, tum educationem, Ecclesia dirigit. *Institutio* theologica non est nisi informatio ad scientiam sacram religionis ; atqui ad solam Ecclesiam pertinet potestas docendi religionem. Pius VII id clare sic expressit : « Episcopis ex jure divino competit ut fideles vel in persona vel per alios instituant, ac etiam adspirantes ad statum clericalem in theologia aliisque sacris disciplinis instruant, vel per magistros probatæ fidei instrui curent. Hoc quidem jus a potestate civili neque everti neque constringi potest (4). »

Pius IX damnavit hanc propositionem : « In ipsis clericorum seminariis, methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur (5). »

Haud aliter de *educatione* clericali sentiendum. Si enim dubitari nequit quin ad Ecclesiam spectet cura animarum generatim, seu fidelium reli-

(1) *Decretalium* lib. II, tit I, cap. XVII. — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. III, *de Reform.* — (3) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 41. — (4) Pius VII, *Esposizione dei Sentimenti*. — (5) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores,

giosa educatio et ad virtutes christianas informatio, eminenter ad illam pertinet institutio ad perfectionem clericalem.

3. Ecclesia libere confert *beneficia*, et beneficiatos canonice instituit. Etenim, cum parochiæ et cætera beneficia sint instituta ecclesiastica, nonnisi ad rectores Ecclesiæ pertinet ipsis vacantibus novum pastorem præficere (1).

Ob eamdem rationem, cætera officia ecclesiastica sine ullo sæcularium interventu personis idoneis conferuntur, nisi aliqua facultas rite indulta fuerit laicis.

4. Cum religiosi ordines consilia Christi profiteantur et ad Ecclesiæ integritatem pertineant, in territorio et possessionibus cujuslibet nationis et societatis civilis admitti debent sicut ipsa Ecclesia. Igitur præsulibus Ecclesiæ competit jus introducendi conventus religiosorum et monialium, ita quidem ut vita regularis juxta præscriptiones canonicas et cujusque ordinis regulas dirigatur. Superioribus vero Ordinum licet tot socios sibi adsciscere, quot a Deo vocati videntur et habiles ad finem ordini præstitutum. Tandem libera esse debet singulorum conventuum communicatio cum suis præsidibus generalibus.

II. *Jura Ecclesiæ quoad bona sibi necessaria.*

Huc referuntur jus *acquirendi* bona temporalia, facultas de iis *disponendi*, eorumque administratio, de quibus ex professo dictum est in libro secundo (2).

ARTICULUS II

CONCORDIA ET MUTUUM AUXILIUM ECCLESIÆ ET STATUS

§ 1. — *Concordia utriusque potestatis.*

1022. — I. *Ecclesia et Status sunt divino jure sociabiles*, id est, non obstantibus distinctione et autonomia utriusque potestatis, ex voluntate Dei concordibus studiis mundum regere tenentur.

1. Multa sunt quæ hanc concordiam exposcunt. Illam postulat finis communis ultimato utrique præfixus, nempe, gloria Dei et salus æterna hominum, quem Ecclesia immediate et proxime, Status vero mediate et remote prosequitur. Illam exigit populorum incolumitas, quæ obtineri nequit, nisi uterque principatus amico fœdere consocietur : « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, ait S. Ivo Carnutensis, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur (3). »

2. Hujusmodi concordia tria supponit. *Primum* est utriusque societatis independentia in ordine proprio, neutra præsumente alterius regimen invadere aut turbare. *Secundum* est subjectio sociorum erga utramque societatem, sub diverso respectu, siquidem iidem homines sunt simul membra Ecclesiæ et Status, seu fideles et cives : in rebus mere tempora-

(1) Supra, part. II, lib. II, *de Beneficiis*, n. 767. — (2) Supra, part. II, lib. II, *de Rebus temporalibus Ecclesiæ*, n. 724-800. — (3) S. Ivo Carnutensis, *Epist.* 238, *ad Paschalem II.*

libus, fideles legibus civilibus obediunt; et quoad spiritualia, ipsi magistratus subjiciuntur legibus Ecclesiæ. *Tertium* est mutuum præsidium quo religio perficit societatem civilem, Status vero protegit Ecclesiam.

Eo ipso quod Ecclesia et Status sunt divino jure sociabiles, facile intelligitur eidem personæ competere simul posse potestatem spiritualem et potestatem temporalem, atque pessime errare eos qui asserunt principatum civilem Rom. Pontificis cum illius primatu spirituali pugnare.

1023. — II. *Non requirenda est absoluta separatio Status ab Ecclesia.*

Prob. 1. *auctoritate* Rom. Pontificum. Gregorius XVI ait : « Neque lætiora religioni et principatui ominari possumus ex eorum votis qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe pertimesci ab impudentissimæ libertatis amatoribus concordiam illam, quæ semper rei et sacræ et civili fausta exstitit et salutaris (1). »

Pius IX damnavit hanc propositionem : « Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est (2).

Prob. 2. *ratione.* Separatio absoluta consistit in eo quod regimen societatis civilis sit *atheum*, nimirum, tanta indifferentia laborans respectu religionis, ut perinde se gerat quasi nulla exstet religio. Atqui istud principium sic reprobat Encycl. *Immortale Dei :* « Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat; omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. »

Et revera atheismus politicus vel ita intelligitur ut logicam severitatem servet, vel ita ut a logica severitate deficiat. Si logicus esse vult, nihil differt ab errore Protestantismi, qui Ecclesiam politicæ auctoritati postponit; nam ex illa separatione Status a religione necessario sequitur, ut in ferendis legibus nulla ratio Ecclesiæ habeatur sed tantum spectetur politica utilitas. Proinde, si politica utilitas aliquid quandoque persuadeat quod Ecclesiæ legibus adversetur, id poterit civiliter imperari. En jura Ecclesiæ in discrimen adducta, et fidelium conscientia violenter oppressa.

Si vero error ille a logica severitate deficit, atque ab Ecclesia sic Statum separat ut ei nec opem ferat, nec injuriam irroget, fatemur systema hujusmodi minus esse perniciosum, et jacturam facilius tolerandam secum ferre. Imo ejusmodi est, ut in nonnullis societatibus, quæ ex hominibus multiplices et contrarios cultus profitentibus coalescunt, vitari nequeat, v. g. in Statibus fœderatis Americæ septentrionalis (3).

(1) Gregorii XVI Epistola Encyclica *Mirari* (1832). — (2) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 55. — (3) Leonis XIII const. *Longinqua*, 6 januar. 1895. § 2 : « Hoc Ecclesiæ apud vos concessum est, non repugnante temperatione civitatis, ut nullis legum præpedita vinclis, contra vim defensa jure communi justitiaque judiciorum, tutam obtineat vivendi agendique sine offensione facultatem. Sed quamquam hæc vera sunt, tamen *error tollendus*, ne quis hinc sequi existimet petendum ab America exemplum optimi Ecclesiæ status, aut universe licere vel expedire, rei civilis reique sacræ distractas esse dissociatasque, more americano, rationes. Quod enim incolumis apud vos res est catholica, quod prosperis etiam auctibus crescit, id omnino fœcunditati tribuendum qua divinitus pollet Ecclesia, quæque, si nullus adversetur, si nulla res impedimento sit, se sponte effert atque effundit; longe tamen uberiores editura fructus, si, præter libertatem, gratia legum fruatur patrocinioque publicæ potestatis. »

Verum hæc *separatio relativa* non ex ordine, sed ex ordinis carentia resultat. Imperfecta enim conditio talium societatum prohibet quominus in debita relatione cum Ecclesia se constituant. Itaque ad naturam ordinatæ societatis non rite pertingunt, quemadmodum hominis naturam pervertit qui corpus sine relatione ad animam perficiendum sibi proponit.

Vera igitur doctrina illa est quæ utramque societatem sic distinguit, ut tamen non divellat, sed harmonice ordinet inter se, sicut juxta rationis et fidei dictamen harmonice ordinantur corpus cum anima, vita præsens cum futura, ac mutuæ relationes hominum cum relationibus ad Deum (1).

Qua de re hæc referre juvat ex Encycl. *Immortale Dei:* « Quia utriusque imperium est in eosdem, cum usu venire possit ut res una atque eadem, quamquam aliter, sed tamen eadem res, ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambæ constitutæ, utriusque itinera recte atque ordine composuisse... Itaque inter utramque potestatem quædam intercedat necesse est ordinata colligatio : quæ quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur... Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicæ sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita : incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa; officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt præsto esse quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adjutores ; pariterque intelligunt sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cætera, quibus communis hæc vita constat, vel parienda, vel conservanda datos. »

§ 2. — *Mutuum auxilium Ecclesiæ et Status.*

Dicemus 1° de præsidio quod Ecclesia Statui præstat; — 2° de officiis Status erga Ecclesiam.

I. — De præsidio quod Ecclesia Statui præstat.

Ecclesia, legatione sua fungens, indirecte simul promovet finem societatis civilis, quæ ab illa variis modis firmatur.

1024. — I. *Principes et subditi religioso ligamine ad invicem connectuntur per doctrinam catholicam.* Docet enim Ecclesia principes, velut Dei ministros, populis præsidere gladio justitiæ instructos, eisque obediendum esse; atque vicissim principibus injungit officium recte gubernandi (2).

In ea quam Ecclesia temperat et tuetur constitutione reipublicæ, « leges spectant commune bonum, neque voluntate judicioque fallaci multitudinis, sed veritate justitiaque diriguntur; auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, contineturque ne declinet a justitia,

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Itaque inter. — Cf. Liberatore, *Institutiones juris naturæ*, lib. II, cap. VI. — (2) Proverb. ,VIII, 15. — Sap., II, 4. — Rom., XIII, 1. — I Petr., II, 13. — S. August., *de Civitate Dei*, lib. V, cap. XXI.

seu modum in imperando transiliat; obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad justitiam pertinere illa intelliguntur : vereri majestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicæ, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis (1). »

1025. — II. *Ecclesia vinculo religionis cives ad invicem connectit* « Timor Dei solus est qui custodit hominum inter se societatem, » ait Lactantius. Atqui sola vera religio, scilicet Ecclesia, timorem Dei efficaciter docet et inculcat, justitiamque et caritatem commendat.

« Similiter, pergit Leo XIII, ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas : non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se præceptis, civis idem et christianus (2). »

1026. — III. *Ecclesia mores optimos civium procurat*, ideoque civitatem egregie adjuvat. Differunt sub hoc respectu imperium et sacerdotium ; nam imperans civilis urget externam actionum cum lege convenientiam, quam *legalitatem* vocant ; at vero Ecclesia etiam animi motus dirigit, peccata interna insectatur, sicque consequitur ut homines manum et cor a peccato cohibeant. Qua ratione flagitiorum externorum fons obstruitur, et subditi non tantum legalitatis studiosi, sed vere probi et honesti efficiuntur.

« Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest ; jamque plus fortasse quam oporteret est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et morum custos Ecclesia Christi ; ea est quæ incolumia tuetur principia unde officia ducuntur, propositisque causis ad honeste vivendum efficacissimis, jubet non solum fugere prava facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu (3). »

1027. — IV. *Ecclesia firmat principalia rei civilis fulcimenta*. Huc referuntur matrimonium et juramentum, quibus sola Ecclesia necessarium robur dignitatemque conciliat. Ea sola matrimonium ad normam componit legis divinæ, cui stricte inhærent incolumitas et ordo familiarum. Ad jusjurandum quod attinet, proposito Dei timore pariter et amore, Ecclesia potest efficere ut tum veritas in jurejurando, tum fidelitas in explendo juramento religiose servetur.

1028. — V. *Ecclesia salutem publicam jugiter juvat mediis supernaturalibus*, v. g. sacrificiis, benedictionibus, precibus. Ea siquidem continuo, juxta monitum Apostoli (4), facit « obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt. » Procul dubio est his suffragiis neque familias neque regna sine gravi detrimento privari posse, ita ut illud appareat verissime dictum : « pendet a religione qua Deus colitur reipublicæ status, multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit (5). »

(1) Encycl. *Immortale Dei*, § Societas domestica. — (2) Ibid. — (3) Ibid., § Bene morata civitas. — (4) I Tim., II, 1. — (5) Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cf. Labbe, Collect. Conc., t. III.

VI. Demum, Ecclesia, quoties subest necessitas, pro opportunitate circumstantiarum et facultatibus suis, efficaciter subvenit societati civili, tum infligendo contumacibus pœnas spirituales, tum subsidia pecuniaria præstando, ut compertum est cuilibet legenti civitatum christianarum historiam.

II. — De officiis Status erga Ecclesiam (1).

Hæc officia sunt alia negativa, alia positiva : priora huc spectant ut non ponatur vel tollatur obex fini Ecclesiæ prosequendo ; posteriora vero ad hunc finem prosequendum per se et directe conspirant.

1. — *Officia negativa Status erga Ecclesiam.*

1029. — *Potestas civilis, finem suum prosequendo, Ecclesiam indirecte adjuvat.*

Dum princeps legibus et pœnis scelera impedit vel reprimit, morum externam decentiam promovet, ideoque cives ad veram honestatem præparat ; dum impietatem et violentiam coercet atque fraudes et turbas a societate arcet, efficaciter removet obstacula quibus Ecclesia impeditur in exercendo munere sibi divinitus commisso. Nihil enim magis obest religioni et regimini pastorali, quam civium commotiones et bella sive extera, sive præsertim intestina. Hæc est præcipua ratio propter quam Apostolus preces pro regnantibus fieri jubet, nempe, « ut quietam et tranquillam vitam agamus (2). »

1030. — II. *Potestati civili non competit jus moderandi religionem.* Hæc regula duplici modo intelligitur, nempe, vel respectu civium, vel respectu Ecclesiæ (3).

1. *Potestas civilis non habet jus instituendi et imponendi religionem socialem.* Ratio est, tum quia non præcipit actus mere internos, tum quia minime est infallibilis, tum quia multi ritus religiosi fidem supponunt, cui prædicandæ sola Ecclesia est præposita.

Attamen potest et debet tueri veritates ordini sociali necessarias. Etenim sunt quædam veritates quibus ordo socialis innititur, v. g. Dei existentia, immortalitas animæ, discrimen boni et mali. Atqui potestas civilis potest ac debet efficaciter tueri omnia quæ ad conservationem societatis necessaria sunt. Ergo ejusmodi veritatum tutelam rite suscipit, tum prohibendo ne impugnentur, tum satagendo ut singulis civibus inculcentur. Secus, non exerceretur juxta rationis dictamen.

2. Potestati civili non licet aliquid legibus aut juribus Ecclesiæ adversum decernere aut agere. Id infertur sive ex independentia Ecclesiæ, sive ex inviolabilitate jurium quibus Ecclesiam suam Christus instruxit.

2. — *Officia positiva Status erga Ecclesiam.*

1031. — I. *Ecclesia protegenda est, ubi ejus protectio fit possibilis.*

Prob. 1. *rationibus. Primo*, directe pertinet ad societatem civilem

(1) Brabandere, *Juris canon. compend.*, n. 34. — (2) I Tim., II, 2. — (3) Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. III, tit. XIII.

curare tranquillitatem et pacem reipublicæ, quæ pars maxima est temporalis felicitatis. Atqui tranquillitas et pax diu consistere non potest cum indifferentia erga religionem, qua sola refrænantur concupiscentiæ ; ait enim S. Jacobus (IV, 1) : « Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris? » Ergo rectores societatis civilis debent veræ religioni favere.

Secundo, societas civilis temporalem felicitatem curare debet, non absolute et simpliciter, sed quatenus est propria hominis. Atqui temporalis felicitas hominis propria ordinatur ad vitam æternam, adeoque respectum habet ad religionem (1). Ergo principes illam ita procurare debent, ut subserviat veræ religioni, et sic ad vitam æternam mediate deducat.

Prob. 2. *auctoritate*. S. Leo docet « regiam potestatem non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam (2). »

Pius IX damnavit istas propositiones : « Optima est conditio societatis in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ religionis, nisi quatenus pax publica postulet (3). »

« Ætate hac nostra, non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis... Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere... Enimvero, falsum est civilem cujusque cultus libertatem conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos (4). »

Paucis : Principes temporales tenentur positive protegere Ecclesiam, vi officiorum suorum 1° erga Deum, cujus sunt ministri in bonum ; — 2° erga Ecclesiam ipsam, quam ut matrem revereri et tueri debent, non secus ac subditi sui ; — 3° erga cives, qui jus habent ut a potestate civili adjuventur in prosecutione finis ultimi, ad quem omnia ordinanda sunt. — Equidem principes nondum baptizati non sunt Ecclesiæ filii, sed jure divino compelluntur ad baptismum suscipiendum ; unde indirecte ligantur erga Ecclesiam etiam in infidelitate, dum erga Deum et subditos semper directe ligantur.

1032. — II. *Principes ita religionem tueri debent, ut Ecclesiæ judicia non antevertant, sed sequantur.*

Prob. 1. *rationibus*. *Primo*, in negotiis quæ fidem aut disciplinam spectant, potestas civilis tenetur Ecclesiam consulere, sive quia causæ hujusmodi sunt saltem ex fine spirituales, sive quia hac agendi ratione facilius vitantur conflictus. Qui ergo officium protectionis ita dilatant, ut e tutoribus legislatores fiant, rei sunt usurpationis potestatis spiritualis.

Secundo, felicitas temporalis non procuranda est cum detrimento maximi boni seu vitæ æternæ. Atqui felicitas temporalis sæpius non ordinaretur ad vitam æternam, si principes in defendenda religione anteverterent judicia Ecclesiæ, cum Ecclesia sola tuto decernere possit quid ad religio-

(1) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. I, sect. II. — (2) S. Leonis *Epist.* 125. — (3) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura* (8 decemb. 1864). — (4) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 77, 78, 79.

nis bonum conferat et expediat. Ergo principes tenentur Ecclesiæ judicio stare et obsequi, in religionis protectione.

Uno verbo, potestas civilis exercet *officium* defendendi Ecclesiam ; ergo non potest illud commutare in *jus* eam regendi.

Prob. 2. *autoritate* Decretalium : « Publicum (societatis civilis) auxilium ita in Ecclesiæ bonum conferendum est, ut non præjudicare præsumat, sed potius quæ Deo sunt placita exequatur (1). »

Accedit auctoritas Concilii Tridentini, quod « sæculares principes officii sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæque Protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui non solum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, parochos et superiores Ordines, reverentiam revocaturos... Propterea (sancta Synodus) admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos, cujuscumque status et dignitatis exstiterint, ut quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quæ ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcipua ejusque patrocinio tecta, venerentur (2). »

III. Ad hæc capita reduci potest protectio Ecclesiæ : 1. Ipsi præstare defensionem legalem omni societati legitimæ debitam ; — 2. providere necessitatibus cultus et ministrorum ; — 3. leges canonicas sancire in foro externo, iisque leges civiles conformare ; — 4. etiam vi repellere conatus hostium nominis christiani ; — 5. auxilium præbere contra hæreses, schismata, apostasiam et scandala.

Potestas civilis Ecclesiæ serviens consuevit nuncupari *brachium sæculare ;* unde Ecclesia dicitur invocare brachium sæculare, quando potestati civili committit punitionem criminosorum, vel in suis necessitatibus implorat illius interventum et auxilium.

CAPUT II

GRADUS ECCLESIÆ PRÆ SOCIETATE CIVILI

Exponentur : — 1° jura societatum perfectarum ad invicem ; — 2° primatus Ecclesiæ quoad societates civiles catholicorum.

ARTICULUS I

JURA SOCIETATUM PERFECTARUM AD INVICEM (3)

Jura societatum perfectarum ad invicem duplici modo spectantur : in *statu concordiæ*, et in *statu conflictus.*

1033. — I. *Ejusmodi jura in statu concordiæ* duplici regula definiuntur :

Regula 1ª. Ex duabus societatibus quæ iisdem membris coalescunt et in statu concordiæ existunt, *neutra potest alteram impedire.*

Prob. 1°. — Societates hujusmodi habent rationem plurium et diversa-

(1) *Decretalium* lib. I, tit. XXXI, *de Officio judicis ordinarii.* — (2) Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. XX, *de Reform.* — (3) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. I, sect. I.

rum obligationum eidem subjecto inhærentium, siquidem non aliud est societas, nisi multitudo hominum suscipientium mutuam obligationem conferendi vires suas ad certum finem consequendum. Atqui plures obligationes eidem subjecto inhærentes, eo ipso quod inter eas non adest oppositio, omnes observari debent. Ergo neutra illarum societatum jus habet impediendi alteram.

Prob. 2º. — Status concordiæ inter plures societates iisdem membris coalescentes supponit singularum finem salvum et liberum esse, neque ab aliis impediri; nam cuilibet societati competit tantum potestas exigendi ea quæ sunt ad finem suum necessaria. Ergo, salvo fine suo, in statu concordiæ nulla societas potest aliam impedire.

Regula 2ª. Ex duabus societatibus ad invicem coordinatis illa *subordinata* est, cujus finis habet rationem medii ad finem alterius. Ratio est, quia media ordinantur ad finem eique inserviunt. Proinde societas subordinata debet vires suas dirigere ad finem alterius societatis quæ ei præeminet.

1034. — II. *In statu conflictus* duæ societates esse dicuntur, cum altera fini suo insistere non potest, quin alteram impediat. Illarum jura mutua pariter definit duplex regula:

Regula 1ª. Ex duabus societatibus quæ iisdem membris coalescunt, in statu conflictus, illa prævalere debet quæ habet finem altioris ordinis.

Prob. Ex duabus obligationibus eidem subjecto impositis, et in conflictum occurrentibus, illa prævalet quæ majus bonum tuetur. Atqui duæ societates iisdem membris coalescentes habent rationem plurium obligationum eidem subjecto impositarum, illa vero majus bonum tuetur quæ altioris ordinis finem habet. Ergo ex duabus societatibus quæ in conflictum devenerint, illa prævalere debet quæ habet finem altioris ordinis.

Regula 2ª. Si quæstio incidat de veritate necessitatis quam societates inter se confligentes pro re sua asserunt, jus ferendi judicium ad societatem superiorem pertinet, reservato quoad inferiorem jure exponendi quæ sua intersunt.

Prob. 1ª *pars*. Absurdum est boni minoris gratia majus bonum in discrimen vocare. Atqui majus bonum in discrimen vocaretur, nisi in re dubia judicium societati superiori reservatum esset. Ergo in conflictu ad superiorem societatem pertinet judicium.

Prob. 2ª *pars*. Judicium rectum ferri non potest, nisi libratis hinc inde rationibus. Atqui rationes librari non possunt, nisi auditis iis quorum interest. Ergo inferior societas jus habet exponendi quæ sua intersunt.

Quod ad praxim attinet, exorto conflictu, 1º inquirenda est et tollenda illius causa ab his qui posuerunt eam, vel quorum interest, sive sit ecclesiastica, sive civilis, sive mixta; — 2º si conflictus sic resolvi nequeat, ineatur concordatum seu amicalis compositio; — 3º si ipsa via concordati præcludatur, jus decidendi pertinet ad Ecclesiam, utpote dignitate et fine suo superiorem; nec unquam illius decisio Statui vere nocebit.

ARTICULUS II

PRIMATUS ECCLESIÆ QUOAD SOCIETATES CIVILES CATHOLICORUM

Claritatis causa, hunc ordinem tenemus : — 1° exponitur sensus quæstionis; — 2° demonstratur subordinatio societatis civilis catholicorum ad Ecclesiam; — 3° deducuntur corollaria potestatis Ecclesiæ in societatem civilem.

§ 1. — *Exponitur sensus quæstionis* (1).

1035. — I. Societatum civilium triplex conditio respectu Ecclesiæ distinguitur. Quædam enim ab ejus potestate *facto* et *jure* omnino eximuntur, scilicet, societates civiles *infidelium ;* istæ enim, licet teneantur suscipere fidem et baptismum, quibus Ecclesiæ subjaceant, nondum ejus auctoritati sunt subditæ, nec peccant ejus leges transgrediendo. — Quædam potestati Ecclesiæ de *jure* subjiciuntur, sed ab ea de *facto* separatæ sunt, videlicet, societates *schismaticorum* et *hæreticorum*, qui sunt filii Ecclesiæ per baptismum, sed matri resistunt. — Quædam autem cum Ecclesia sunt conjunctæ, *jure* et *facto*, eique obediunt, nempe, civiles *catholicorum* societates, de quibus hic agitur et quæritur utrum Ecclesia præ illis major habenda sit.

1036. — II. Jamvero majoritas alicujus societatis præ alia triplici modo concipitur :

1. Iste primatus est honoris tantum, sejunctus ab omni jurisdictione in societatem inferiorem, ita ut injuriam hæc faciat societati superiori, si ejus primatum diffiteatur, sed ab eadem coerceri auctoritate propria non possit. Majoritas ejusmodi celebratur apud regna sive respublicas, quorum quædam majora sive primi ordinis relative ad cætera appellantur, v. g. Gallia et Germania relative ad Helvetiam et Daniam.

2. Primatus est conjunctus cum plena jurisdictione, ita ut ad majorem societatem pertineat inferiorem in omnibus regere. Hæc majoritas competit Ecclesiæ catholicæ quoad ecclesias particulares, regnis sive imperiis quoad provincias quibus coalescunt, et generatim societati supremæ quoad inferiores societates homogeneas.

3. Primatus cum indirecta jurisdictione est conjunctus, ita ut societas major nonnisi *per accidens* possit auctoritatem suam exercere in minorem, cum scilicet proprii finis necessitas id exigit. Hujusmodi primatus societati majori competit erga societates heterogeneas, v. g. Ecclesiæ erga societates civiles, ut patebit ex infra dicendis.

1037. — III. Majoritas Ecclesiæ non lædit independentiam societatis civilis. Etenim, in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis, Ecclesia nihil potest in societate civili, eo quod felicitatis temporalis cura non est ei commissa, sed principi.

§ 2. — *Subordinatio societatis civilis catholicorum ad Ecclesiam.*

1038. — 1. Triplex hypothesis fingi potest, nempe, subordinationis

(1) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, chap. x, § 115. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. II, tit. XII.

Ecclesiæ ad Statum, vel æqualitatis utriusque potestatis, vel subordinationis Status ad Ecclesiam. Atqui neque prima, neque secunda hypothesis admitti potest.

1. Admitti nequit *subordinatio Ecclesiæ ad Statum*. Si enim Ecclesia æternæ populorum saluti prospicit, civilis autem potestas negotiis temporalibus, quomodo prima hypothesis admitti poterit, quin æterna temporalibus postponantur, et finem a mediis legem accipere statuatur? Enimvero, iste error Protestantium huc tendit ut religionem in negotium et instrumentum quoddam politicum convertat, et ministros Ecclesiæ in civiles quosdam magistratus : quod religionis christianæ indolem supernaturalem et divinam constitutionem pessumdat et destruit (1).

2. Neque admittenda est *æqualitas utriusque potestatis*. Etenim, manifestum est duas societates natura distinctas et inter se extraneas, quæ absolute supremæ sint, fingi non posse; nam excellentia societatum ab earum fine pendet. Atqui hominum duo fines absolute supremi fingi nequeunt.

Civilis catholicorum societas iisdem membris constat quibus Ecclesia Christi; eadem multitudo sub imperio potestatis civilis felicitatem temporalem inquirit, simulque sub imperio Ecclesiæ vitam æternam prosequitur. Est autem vita æterna ultimus ac supremus finis, cui felicitas ac vita temporalis subest. Proinde societas civilis catholicorum est cœtus hominum qui temporali felicitati quærendæ ita student, ut profiteantur eam subesse studio felicitatis æternæ, quam credunt sub regimine Ecclesiæ tantum obtineri posse.

« Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat; quarum præcipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandæ, cujus officia hominem Deo conjungunt (2). »

3. Superest *tertia hypothesis*, juxta quam Ecclesiæ competit majoritas seu primatus præ civili catholicorum societate, eo quod finis Ecclesiæ superet finem temporalem societatis civilis.

1039. — II. *Potestas civilis subordinatur Ecclesiæ tum in omnibus quæ conscientiam spectant, tum etiam in temporalibus quatenus religionem respiciunt.*

Probatur 1. *Scriptura sacra*. Verba Christi (*Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis... Pasce oves meas*) Ecclesiæ potestatem leges ferendi et judicandi conferunt quoad omnes christianos et omnia quæ ad conscientiam spectant. Atqui res civiles respiciunt conscientiam, quatenus consentaneæ sunt vel adversantur legi divinæ, cujus Ecclesia est interpres et custos. Ergo in hoc potestas civilis subordinatur Ecclesiæ.

2. *Decretis SS. Pontificum*. Bonifacius VII docet : « Oportet temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati... Subesse Romano Pontifici omnem

(1) Liberatore, *Institutiones juris naturæ*, lib. II, cap. VI. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. III, tit. XVIII. — (2) Encycl. *Immortale Dei*.

humanam creaturam, definimus esse omnino de necessitate salutis (1). »

Pius IX, quædam hac de re pseudoliberalium placita reprobans, ait : « quæ falsæ ac perversæ opiniones eo magis detestandæ sunt, quod eo potissimum spectant ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet, non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos, summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium concordia, quæ rei cum sacræ tum civili fausta semper exstitit ac salutaris (2). »

Ab eodem Pontifice damnatæ sunt istæ propositiones : « In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet... Reges et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia (3). »

3. *Auctoritate SS. Patrum*, quorum unanimis doctrina asserit finem societatis civilis, ejusque imperium, Ecclesiæ subesse debere, quemadmodum corpus animæ, et sensus rationi. Satis erit allegare verba S. Thomæ : « Potestas sæcularis subditur spirituali sicut corpus animæ, et ideo non est usurpatum judicium (4). »

4. *Praxi Ecclesiæ*. Nimirum Ecclesia est infallibilis in disciplina generali; atqui potestatem indirectam exercet constanter, diverso tamen gradu, sive in nationibus convertendis, sive in nationibus christiane constitutis, sive in nationibus hodiernis :

Primo, Ecclesia quovis sæculo ingreditur quascumque gentes, etiam invitis principibus et magistratibus; libertatem suam vindicat; docet obediendum esse Deo magis quam hominibus; subtrahit fideles imperio potestatis civilis in omnibus quæ legibus divinis repugnant.

Secundo, prioribus sæculis, Ecclesia conditionem puerorum, mulierum, servorum et civium immutat; gentes ethnicas jure christiano informat; fidelibus munera publica non permittit nisi sub certis conditionibus. Inde passim exsurgunt gentes vere novæ, scilicet, nationes christianæ, quarum complexus merito appellatus est *Christianitas* seu *Respublica christiana*.

Tertio, præter excommunicationem et pœnitentiam publicam, quæ privationem ipsius potestatis civilis importabant, et ipsos imperatores attingebant, Ecclesia, medio ævo, pluries e solio deposuit principes et eorum subditos absolvit a juramento fidelitatis. Tanta autem pœna decernebatur propter hæresim, immanis sceleris scandalum, aut pertinacem violationem constitutionis populi christiani, cujus præcipuum caput erat religio catholica; et Ecclesiæ sententiam fideliter populi exequebantur. — E converso, regibus christianis consecratio seu sacra coronatio et unctio conferebat simul majorem auctoritatem et graviora officia.

Quarto, sæculis recentioribus, Ecclesia intervenit apud principes et nationes christianas, præsertim per concordata et legatos sive nuntios

(1) Bonifacii VIII const. *Unam sanctam*. — (2) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura* — — (3) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 42, 54. — (4) Cf. S. Joannes Chrysostomus in II Cor., Hom. XV. — S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* XVII. — S. Isidorus Pelus., lib., III, ep. 449. — Ivo Carnutensis, ep. 449. — Ivo Carnutensis, ep. 51. — S. Bonaventura, lib. *de Eccl. Hierarchia*, p. 2. — Bouix, *de Papa*, pars IV.

Sedis Apostolicæ, et reprobavit contraria juri divino et suæ disciplinæ.

Ergo potestas civilis subordinatur Ecclesiæ in omnibus quæ conscientiam et religionem spectant.

5. *Ratione. Primo*, ordo temporalis subest ordini spirituali, seu regi debet juxta legem divinam. Atqui potestas civilis ordinem temporalem regit, Ecclesia vero spiritualem. Ergo potestas civilis apud christianos subordinatur Ecclesiæ in iis quæ legem divinam, ideoque conscientiam respiciunt.

Secundo, præeminentia Ecclesiæ exigit ut societas civilis catholicorum nunquam ei adversari præsumat, imo instituta sua, leges et actus fini Ecclesiæ conformet. Hæc obligatio resultat ex ordine finis utrique societati præstituti. Finis Ecclesiæ præfixus est ut omnia instauret in Christo, id est, ut non tantum singulos homines sanctificet, sed etiam integras familias et societates civiles spiritu religionis vivificet. Finis vero principatus civilis, cum sit hominum tranquillitas et felicitas temporalis procuranda, non est principalis, independens et quasi ultimus in sua linea. Itaque, sicut universa creata gloriæ Dei inservire debent, sicut quivis fidelis terrena negotia destinationi suæ supernaturali accommodare tenetur ita societas civilis catholicorum spiritu religionis compenetranda est. Hinc potestas civilis subordinatur Ecclesiæ, quatenus illius actus ad normam finis altioris componendi sunt (1).

§ 3. — *Corollaria potestatis Ecclesiæ in societatem civilem.*

1040. — I. Potestas seu primatus Ecclesiæ in societatem civilem non est *directa*, nam utriusque societatis finis proprius est diversi ordinis et generis, et ideo neutra ratione sui pendet ab altera ; est ergo *indirecta*, id est, fundatur in subordinatione felicitatis temporalis, cui procurandæ præposita est potestas civilis, ad salutem æternam, cujus cura commissa est Ecclesiæ. Unde debet princeps in prosecutione felicitatis temporalis rationem habere finis Ecclesiæ, et hunc non solum non impedire, sed etiam præsidio suo promovere, quantum necesse et possibile est. — Equidem plures veteres canonistæ tribuerunt Ecclesiæ supremam potestatem *directam* in societates civiles : sed illa opinio paucissimos habuit assertores post Bellarminum et Suarezium, qui egregie declaverunt et propugnaverunt solam potestatem indirectam (v. g. Suarezius in *Defensione fidei* contra Anglos). Præterea, difficillimum est eam aptare decretis et gestis SS. Pontificum, atque universæ Traditioni ; dum facile conciliantur cum potestate indirecta in temporalia Statuum, quæcumque ex documentis dogmaticis et historicis certo accepimus. (V. Bouix, de *Papa*, part. IV).

II. Potestas indirecta Ecclesiæ in societatem civilem est *spiritualis*, tum quia continetur in potestate clavium, tum quia erga christianos exercetur, tum quia tendit ad finem spiritualem. Nimirum potestas spiritualis, dum cives christianos attingit, regit et ligat, exercetur indirecte in ipsam societatem civilem. Etenim in rebus etiam temporalibus, quatenus

(1) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, chap. x, § 116.

religionem et conscientiam respiciunt, civitas cedere debet Ecclesiæ, quia Deus non vult ut hominum temporale bonum promoveatur cum detrimento boni spiritualis et æterni. Sic Ecclesia, votorum solemnitati incapacitatem dominii annectens, sive consentiente sive etiam invita potestate civili, manifeste exercet indirectum influxum in temporalia.

Unde Pius IX damnavit istam propositionem : « Ecclesia vim inferendi potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (1). »

1041. — III. Plenitudo potestatis indirectæ ab Ecclesia non exercetur nisi apud nationes christiane constitutas. Etenim requirit quatuor conditiones, videlicet, personas catholicas, periculum religionis ortum ex criminibus imperantium, populum obedientem Ecclesiæ, ac spem removendi malum, quæ extra nationes christianas concurrere nequeunt.

Igitur praxis Ecclesiæ per medium ævum, quo tempore conditiones hujusmodi non deficiebant, non fuit usurpatio, sed legitima et utilis ; nam juxta jus publicum potestas spiritualis conscientiam populorum dirigebat. Istius rationis agendi duplex causa assignata est : alii dicunt Ecclesiam sua potestate indirecta usam fuisse (2) ; juxta alios, Ecclesia jure publico tunc vigente utebatur (3). Sed facile conciliatur utraque explicatio, notando jus publicum Europæ in medio ævo fuisse aptatum divinæ constitutioni et juribus Ecclesiæ.

1042. — IV. Potestas indirecta Ecclesiæ perficit societatem politicam, nedum illius libertatem comprimat et jura coarctet. Etenim protegit principes adversus rebelliones subditorum, et populos adversus excessus potestatis civilis, id est, imperantes simul et subditos in officio continet.

Quando principes christiani non agnoscunt subordinationem societatis civilis ad Ecclesiam, teste lugenda et multiplici experientia etiam præsentis temporis, nedum ipsorum auctoritas inde firmetur, labefactatur et ruit, siquidem Ecclesia jam non potest tumultuantes populos cohibere.

TITULUS II

Conspectus historicus relationum Ecclesiæ et Status (4).

Iste conspectus complectitur tres periodos, quæ sunt : 1° ætas juris antiqui ; — 2° ætas juris novi ; 3° ætas juris novissimi.

CAPUT II

ÆTAS JURIS ANTIQUI

Inter Ecclesiam et Imperium divino jure concordia semper florere deberet ; verum variæ fuerunt temporum vices, quas recensemus, nempe : — 1° exstitit status belli inter Ecclesiam et imperium ; — 2° initum est fœdus imperfectum utriusque potestatis.

(1) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 24. — (2) Bellarminus, *de Romano Pontifice*, lib. V.— (3) Fénelon, *de Summi Pontificis auctoritate*, cap. XXXIX.— (4) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, § 116.

ARTICULUS I

STATUS BELLI INTER ECCLESIAM ET IMPERIUM (1)

1043. — I. Tribus prioribus sæculis, inter utramque societatem nullatenus intercessit nexus legi divinæ conveniens. Equidem Ecclesia non solum, quod caput est, divinitus instituta erat; sed insuper haberi debebat ut societas legitima, sive juxta leges mosaicas, quæ Messiam et Ecclesiam prænuntiabant, sive juxta leges romanas, quibus diversi cultus tolerabantur. Ipsam vero potestati civili minime nocentem, sed e contra faventem et religiose obsequentem in omnibus quæ rationi et legi Dei non repugnabant, persecuti sunt tum Judæi, tum Romani, tum Barbari.

Nimirum christianismus, quia vitia eradicare satagebat et animas e servitute dæmonis et peccati eripiebat, instigantibus spiritibus malis, ubique proscriptus fuit. Nota est persecutio quæ fere indesinenter, decies vero acrius exarsit, a Nerone usque ad Constantinum. Deficiente interdum imperatorum feritate, fideles a præsidibus aut vili plebe multis in locis impune mactabantur. Ecclesia vero, spiritu et exemplis Christi informata, atque ab animo vindictæ prorsus aliena, ut *vinceret in bono malum*, mansuetudinem et veritatem tortoribus opponebat.

1044. — II. Deus illud novum belli genus patiebatur, ut divina religionis virtus illucesceret, ut Ecclesia nullo humano præsidio adjuta triumphans orbem subigeret, demum ut scirent Cæsares Deum Ecclesiam suam constituisse sine illis et pro illis, ac pro ea et contra illos se pugnaturum esse usque ad sæculorum consummationem.

Igitur suam libertatem Ecclesia martyrio vindicavit; et sic manifesta fuit illius distinctio et independentia ab imperio, qua servitus animarum tandem solvebatur.

ARTICULUS II

FŒDUS IMPERFECTUM UTRIUSQUE POTESTATIS (2)

1045. — I. A certamine contra ipsum Deum suscepto et manifeste inutili recessit Constantinus, tum politica prudentia, tum instinctu divini numinis ductus: in subsidium labentis imperii advocavit Ecclesiæ virtutem et sapientiam; sedem imperii Constantinopolim Deo providente transtulit, quo facilius surgeret potestas temporalis Romanorum Pontificum; Ecclesiæ concessit privilegia; forum episcopale et immunitates ecclesiasticas approbavit. Hinc, deposito nomine et officio *Pontificis Maximi*, quo Cæsares hactenus perfuncti erant, imperatores *advocatium Ecclesiæ* seu ejus defensionem susceperunt.

1046. — II. Istud fœdus merito dicitur imperfectum. Etenim miserabili fato, jura sacra et civilia alicubi permiscebantur. Dum in re civili partem judiciorum Cæsares Episcopis committebant, Episcopi sacra nonnulla, titulo protectionis, ab illo peragi patiebantur; ejusmodi fuit mate-

(1) Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. III, tit. X. — (2) Phillips, *du Droit ecclésiastique dans ses principes généraux*, t. II, § 118.

rialis conciliorum convocatio, *externique episcopi* dignitas, quæ adeo dilatata est, præsertim Byzantinorum ex vanitate atque odio in Romanos, ut externus episcopus, nempe, legum ecclesiasticarum defensor, non judex, deceptus ab hæreticis, res spirituales invaderet.

Imperatores Græci a recto tramite in eo deviarunt, quod in exstirpandis hæresibus limites meræ tuitionis transilierunt, et decreta dogmatica proprio motu edere et summa vi exequi præsumpserunt. Proinde haud semel factum est ut potius hæreticis adversus Ecclesiam, quam Ecclesiæ adversus hæreticos protectionem impenderent.

1047. — III. Etsi imperfectum, hujusmodi fœdus Ecclesiæ et imperii exstitit gentibus perutile, tum quia multæ leges ecclesiasticæ inter imperii leges insertæ sunt; tum quia leges et mores accesserunt ad evangelicam æquitatem, mansuetudinem et sapientiam; tum quia in dies augebatur Ecclesia, quæ, barbaris irruentibus et imperium lacerantibus, fractas gentes in novam societatem condidit.

CAPUT II

ÆTAS JURIS NOVI

In hac ætate cernitur : — 1° Primatus Ecclesiæ in imperium ; — 2° reactio Status in Ecclesiam.

ARTICULUS I

PRIMATUS ECCLESIÆ IN IMPERIUM

1048. — I. Medio ævo, pluribus modis exercetur et innotescit influxus Ecclesiæ in societatem civilem.

1. *Deficientem Europam* Ecclesia maternis ulnis amplectitur ; Barbaros ad æquitatem et humanitatem adducit; scientiarum et artium semina fovet; gladio et vi ubique grassantibus caritatis opera et immobilem christianæ simplicitatis fortitudinem opponit, et sensim justitiæ et legum firmat regnum.

2. *Potestas temporalis SS. Pontificum* in Status romanos, providente Deo præparata, ex beneficiis orta, sine usurpatione crescens, fundatur in pietate omnium erga S. Petrum; consensu populorum stabilitur, et liberalitate Francorum augetur (1).

3. *Dignitas imperialis*, a Græcis non translata, sed in Occidente ubi a tribus sæculis desierat renovata, Carolo Magno de Ecclesia bene merito conceditur a S. Pontifice Leone III, ut imperator fungatur munere defendendi Sedem Apostolicam et Christianitatem. Unde principes electi dignitatem imperialem a Summis Pontificibus non accipiunt, nisi prius emittant juramentum fidelitatis erga Sanctam Sedem, et Romæ coronentur (qui usus perseveravit usque ad Carolum V) (2).

4. Barbarie nondum penitus extincta, Ecclesia non raro fortiter luctatur adversus regum et procerum indomitas passiones; abrogat *investituras*,

(1) Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiæ disciplina*, t. III, lib. I. — (2) Bianchi, *de la Puissance ecclésiastique*, liv. V.

quibus lædebatur libertas cleri et independentia Ecclesiæ; quinimo, deponit Henricum IV et Fridericum II, constitutionis christianæ violatores (1).

1049. — II. Nationes catholicæ non tantum singulæ agnoverunt divinam Ecclesiæ institutionem, quatenus apud ipsas religio evasit lex socialis, cujus publica violatio censebatur crimen sociale; verum etiam ex ipsarum fœdere orta est ethnarchia christiana seu *Christianitas*.

1. *Christianitatis notio.* — Christianitas est societas nationum catholicarum, nempe, nationum quæ in suo jure publico agnoscunt divinam Ecclesiæ auctoritatem. Differt ab Ecclesia, quæ fidelibus et diœcesibus constat, dum ethnarchia christiana est societas internationalis, cujus principium est religio communis et inviolabilis.

2. Christianitati præest duplex *auctoritas* distincta, videlicet, temporalis et spiritualis, siquidem ejusmodi societas est mixta, seu constat simul Ecclesia et nationibus, et ideo bona ordinis naturalis intendit cum bonis ordinis supernaturalis.

Judicia feruntur ab *auctoritate spirituali*, cui temporalis subordinatur. Etenim, hujus societatis vinculum est communis fides et suscepta obligatio tuendi Ecclesiam. Atqui ad potestatem spiritualem pertinet definire quid fides, quidve Ecclesiæ bonum ab ethnarchia christiana postulet. Itaque Summus Pontifex nationibus catholicis præsidet.

Christianitatis suprema *potestas temporalis* nequit residere in principe infideli, vel hæretico, vel schismatico; munus enim istius potestatis est bonum christianitatis promovere, nec bonum hujusmodi promovere potest ille qui profitetur religionem Ecclesiæ catholicæ adversantem. Unde patet ratio cur princeps qui ab Ecclesia defecerat, ab imperio delapsus declarabatur.

Hæc est summa juris publici quod medio ævo effloruit, tanquam mens et norma constitutæ christianitatis (2).

3. *Perfectio ethnarchiæ christianæ.* — Christianitas est perfecta ethnarchia; etenim illius maxima est unitas et efficacia.

Tanto major est socialis *unitas*, quo validius est principium unitatis seu auctoritas. Atqui christianitati præest infallibilis auctoritas Ecclesiæ, quæ fortiter et suaviter dominatur, atque societatis vera pericula et commoda denuntiat. Inde nascitur judiciorum unitas, quam sequitur unitas voluntatum et actionum.

Societatis *efficacia* oritur e præstantia finis, e copia mediorum, e magnitudine præmiorum. Atqui nulla societas præstantiorem finem prosequitur, siquidem christianitatis finis est religionis defensio et propagatio; nulla societas mediis potentioribus utitur, illius enim media sunt præsidia naturalia et spiritualia quibus nationes christianæ et Ecclesia potiuntur; nulla demum societas majora præmia prospicit, nam ejus præmia sunt bona vitæ præsentis et futuræ.

4. *Extensio et vicissitudines christianitatis.* — Fœdus ethnarchiæ christianæ, si jungatur inter quasdam nationes catholicas, eo tendit ut omnes

(1) Bianchi, *de la Puissance ecclésiastique*, liv. II, VI. — (2) Taparelli, *Essai théorique de droit naturel*, liv. XII.

nationes fidem profitentes complectatur. Porro optima pars humani generis agit causam religionis catholicæ, dum reliquum genus humanum in mille sectas divisum est.

« Fuit aliquando tempus, ait Leo XIII (1), cum evangelica philosophia gubernaret civitates : quo tempore christianæ sapientiæ vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicæ ordines rationesque penetraverat ; cum religio per Jesum Christum instituta in eo quo æquum erat dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret; cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quæ nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit; quod Mahometanorum incursiones victrix propulsavit; quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque præbere cæteris consuevit; quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est; quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset; majoraque exspectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiæ majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuæ legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit : « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur (2). »

ARTICULUS II

REACTIO STATUS IN ECCLESIAM (3)

1050. — I. Ob repetita dissidia quibus imperatores cum SS. Pontificibus collisi sunt, mutua sacerdotii et imperii concordia turbata est. Hæreticorum versutia et jurisconsultorum invidia Romanos Pontifices veluti jurium civilium invasores tradiderunt. Exinde scissio utriusque potestatis sensim præparata, demum aperte consummata est.

II. Omnia in pejus ruere cœperunt, postquam *Philippus Pulcher* lites funestas cum Bonifacio VIII contestatus esset. Ex eo tempore, decrescere visus est influxus Ecclesiæ in societates civiles.

III. *Romani Pontifices Avenione sederunt* (1305-1378). Ista translatio gravissimum vulnus tum Ecclesiæ, tum concordiæ utriusque potestatis inflixit. Durante enim hac *captivitate babylonica*, ut dicitur, SS. Pontifices, cum in honorifica regis Galliarum custodia tenerentur, ab ejus nutu pendere videbantur. Propterea ipsorum decreta multis erant contemptui, neque assequebantur obedientiam sibi debitam.

IV. Diuturnum *schisma Occidentis* detraxit venerationi erga sedem Apostolicam. Hac enim occasione, primum in orbe catholico agitari cœpit

(1) Encycl. *Immortale Dei.* — (2) Ep. CCXXXVIII. — (3) Audisio. *Droit public de l'Eglise*, t. II, tit. XXIII. — Phillips, *du Droit ecclesiastiques dans ses principes généraux*, t. III.

quæstio utrum S. Pontifex sit supra, an infra concilium : atque in Conciliis tum Constantiensi tum Basileensi, pro concilio contra S. Pontificem decisa videbatur.

Viri liberioris ingenii passim in scenam prodibant, qui SS. Pontificum auctoritati se audacter opponerent, simulque alios, præsertim principes, ad eam excutiendam exhortarentur. Unde contigit ut placita Sedi Romanæ infensa, sive a doctoribus istius temporis sive a Conciliis schismaticis desumpta, a principibus avide fuerint recepta, legibusque civilibus inserta. Sic in Gallia *Pragmatica Sanctio*, juribus pontificiis valde adversa et noxia, in synodo Bituricensi procusa et in senatu Parisiensi promulgata, est, regnante Carolo VII.

Itaque vinculum unionis, quo hactenus ex una parte Episcopi et imperantes cum Romano Pontifice, ex altera singuli populi cum Ecclesia colligati erant, laxatum est, ac propterea societatis christianæ membris e mutuo fœdere recedentibus, ordo rerum vehementer perturbatus fuit. Præsertim illud omen malum eo tempore deprehenditur, quod singulæ nationes et ecclesiæ particulares potius suis libertatibus et juribus nationalibus pertinaciter inhærere, quam nexum antiquum cum Ecclesia universali consolidare nituntur. Id patet ex Concilio Constantiensi, in quo diversæ nationes seorsim agebant.

V. Christianitatem dissolvit *protestantismus*. Cum unitas Ecclesiæ schismate esset lacerata, sanctitas obfuscata sceleribus, catholicitas attenuata ob nationum abalienationem, et ipsa apostolicitas impugnata ab Episcopis supra S. Pontificem se extollentibus ; semina futuræ reformationis jacta jam erant, siquidem aliud non deerat, nisi ut insuper Ecclesiæ visibilitas, indefectibilitas et necessitas, in dubium vocarentur. Et quidem hunc exitum sæculo XVI° res sortitæ sunt, ubi plures nationes ab Ecclesia defecerunt. Ex quo tempore, diversæ fuerunt relationes et vices Ecclesiæ ad societates civiles, sive quia imperator, dum Protestantes in imperio admittere coactus est, aperte manifestavit se advocatiæ seu defensioni Ecclesiæ rite gerendæ sectisque reprimendis imparem esse ; sive quia praxis et doctrina Protestantium circa relationes Ecclesiæ et Status etiam a principibus catholicis adoptata est ; sive quia multi scriptores, mediæ ætatis publicam jurisprudentiam non capientes aut transvertentes, reactionem principum in Ecclesiam fovere nisi sunt.

CAPUT III

ÆTAS JURIS NOVISSIMI

Hujus ætatis duplex eminet character : 1° dominatio Status in Ecclesiam ; — 2° divisio Status ab Ecclesia.

ARTICULUS I

DOMINATIO STATUS IN ECCLESIAM

Istiusmodi dominatio exercita fuit : — 1° juxta systemata Protestantium ; — 2° juxta systemata politicorum.

§ 1. — *Systemata Protestantium* (1).

1051. — Pseudoreformatores, ad ordinem aliquem in suis sectis stabiliendum, summam jurium pontificiorum et episcopalium transtulerunt in principes sæculares, qui sacrorum regimen pronis animis susceperunt. Verum, ut hanc praxim prioribus sæculis incognitam aliquo titulo decorarent, innumeras hypotheses excogitarunt, quarum præcipuas referre interest, nempe, *systema episcopale*, *systema territoriale* et *systema collegiale*.

I. Juxta *systema episcopale*, quod ad solam Germaniam restringitur, jus sacrorum dirigendorum ex titulo devolutionis in manus principum devenisse censetur. Jus episcopale, inquiunt, per reformationem in territoriis protestanticis suspensum est, et exinde ad principes evangelicos devolutum. Cum tamen hæc hypothesis non sit nisi manifestum sophisma, inventa sunt alia systemata.

II. *Systematis collegialis* defensores, v. g. Guizot, Puffendorf, Boehmer, fingunt Ecclesiam primitus fuisse collegium seu societatem imperfectam personarum æqualium, quod progressu temporum ex hierarchiæ usurpatione juribus omnibus spoliatum est; at, facta reformatione, jurisdictionem Episcopis ereptam ad communitates rediisse, ab iisque libera voluntate transfusam esse in principes protestanticos, quibus proinde duplicis generis jura relate ad religionem competerent, nempe, jura majestatica seu imperio annexa, et jura collegialia seu ab ecclesiis accepta.

III. Grotius, jurista Batavus, concinnavit *systema territoriale*, ab aliis accuratius excultum, et apud schismaticos acceptissimum, quo jus dirigendi religionem et res ecclesiasticas non minus principum majestati ex jure intrinseco competere prætenditur, quam quodlibet aliud regiminis civilis objectum. Istud systema duas potestates in unam conflavit; nam ex solo titulo dominationis territorialis, et ex illo principio : *Cujus est regio, illius est etiam religio*, Protestantes integrum *jus in sacra* suis principibus vindicarunt.

Protestantium doctrina, utpote ambitiosæ cupiditati ostium pandens, ipsis principibus catholicis arrisit, et ab eis sive aperte sive subdole, diversis tamen modis et gradibus, in praxim deducta est. Nedum autem principes et populos liberaret, causa fuit ingentium malorum, nationes catholicas depressit, et ipsos reges e solio dejecit.

§ 2. — *Systemata politicorum* (2).

1052. — I. *Varia systemata recensentur*. — Invida laicorum jurisprudentia principibus vindicat adversus Ecclesiam prætensa jura *protegendi*, *cavendi*, *inspiciendi* et *subveniendi*. Sedulo perpendenda est ista errorum series.

1. Titulo *protectionis*, in regiam potestatem contulerunt nonnulla

(1) Soglia, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, pars II, lib. I, cap. I. — Audisio, *Droit public de l'Eglise*, t. II, tit. II. — (2) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib I, cap I — Zallinger, *Institutiones juris ecclesiastici*, liber isagogicus, cap. XI.

Ecclesiæ jura. Etenim, nomine advocatiæ seu protectionis non intelligunt meram religionis defensionem, sed principibus tribuunt jus dirigendi negotia ecclesiastica. Hinc *libertates gallicanæ* contra Summum Pontificem, verius dictæ *servitutes Ecclesiæ gallicanæ*.

2. Jure *cavendi* (ne civitas ex usurpationibus Ecclesiæ detrimentum patiatur, ne publica tranquillitas turbetur, etc.), ex protestantibus mutuato, Ecclesiæ divina auctoritas etiam a catholicis oppugnata et demissa est. Hinc *leges Josephinæ*, ita dictæ a suo auctore, Imperatore Josepho II.

3. Jure *inspiciendi*, communicatio fidelium vel Episcoporum cum Romano Pontifice vinculis obstricta est ac fere impedita. Hinc *placitum regium*.

4. Demum jure *subveniendi*, introducta est *appellatio ab abusu*, seu appellatio a sententiis Episcoporum ad judicem civilem.

1053. — II. *Systematum ejusmodi fundamenta convelluntur*. — 1. Hæc systemata deprompta sunt ex libris Protestantium, qui non agnoscunt potestatem publicam et gubernativam Ecclesiæ, in suo genere summam, distinctam et prorsus independentem a civili imperio. Proinde politici et principes catholici sibi contradicunt, dum dogma catholicum de divina origine potestatis et libertatis ecclesiasticæ, quod ore et animo profitentur, in re inficiari et ejurare videntur, usurpato jure judicandi de negotiis Ecclesiæ.

2. Asserunt jura religiosa potestati civili competere tanquam *jura majestatica*. Jamvero nomine *majestatis* intelligitur complexio jurium quæ ad regimen societatis perfectæ pertinent. Inde infertur ipsos errare, sive consideretur Ecclesia, sive spectetur Status.

Ad Ecclesiam quod attinet, tum ex natura sua, tum ex voluntate Christi, ipsa est societas perfecta, adeoque ad eam pertinet complexio jurium quæ propria sunt societatis perfectæ Igitur ei non desunt jura majestatica in iis quæ religionem respiciunt.

Ex altera parte, ad Statum non spectant jura religiosa. Etenim jura societatis ex fine ipsius dignoscuntur et limitantur, siquidem media eatenus tantum expetuntur, quatenus ad finem conducunt. Atqui finis societatis civilis, utpote temporalis, non obtinetur saltem directe per exercitium religionis, quæ ex se ordinem habet ad beatitudinem æternam. Ergo Status non habet jus moderandi res religiosas. Proinde ipsi sacra et inviolata esse debet distinctio et independentia Ecclesiæ.

3. Neque dicatur potestatem independentem asseri Ecclesiæ non posse, quin frequens cum societate civili oriatur conflictus, qui existere nequit sine magna perturbatione. Etenim perturbatio ibi tantum esse potest, ubi nulla est ratio ordinis. Atqui Ecclesia et societas civilis inter se coordinantur, sive quia finem diversum habent, sive quia nulla adest oppositio inter finem unius et finem alterius, sive quia finis societatis civilis fini Ecclesiæ subordinatus est.

Quapropter, si qui oriantur conflictus, ita omnia determinata sunt, ut nulla possit, nisi ex hominum vitio, perturbatio exoriri; nam in jure naturali et christiano præsto sunt regulæ, quibus et judex et modus

designantur ad facillime finiendam controversiam ejusmodi, inter societatem majorem ac societatem minorem exortam. Immerito igitur politici doctrinæ catholicæ imponunt quod oritur e vitio hominum, vel magistratui ecclesiastico vitium magistratus civilis.

4. Pius IX damnavit sequentes propositiones : « Neque ecclesiasticæ potestatis distinctio et independentia servari potest, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis (1). »

« Civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites intra quos eadem jura exerceri queant... Romani Pontifices et concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura principum usurparunt... Reipublicæ Status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus... Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur (2). »

ARTICULUS II

DIVISIO STATUS AB ECCLESIA

1054. — I. *Agendi ratio Ecclesiæ erga Statum.* — Dici vix potest quantopere mox delineata Ecclesiæ conditio cesserit in labem religionis et civitatis. Gallicanismus enim, inde exortus a sæculo XIV°, et deinceps tenacissime in praxim deductus ab omnibus qui imperaverunt Galliæ usque ad nostra tempora, est subjugatio Ecclesiæ a potestate civili in detrimentum hierarchiæ et potissimum Sedis Apostolicæ. Similiter apud Germanos, Febroniana doctrina in actum deducta est cum maximo libertatis ecclesiasticæ dispendio, ita ut ex juribus Ecclesiæ vix ullum sit, cujus exercitium a civitate non impeditum vel usurpatum fuerit.

Verum novissime, vix mediante sæculo XIX°, in stabiliendo utriusque potestatis nexu saniora principia præsertim apud clerum illustrari et propagari incœperunt ; unde deinceps Ecclesiæ libertatem et independentiam multi scriptores, tum ecclesiastici tum laici, fortiter et invicte vindicant, ac pro ipsius juribus Romani Pontifices et Episcopi ubique terrarum strenue decertant.

Equidem, cum vix ulla jam existat natio juxta legem christianam constituta, hodie non exercetur plenitudo potestatis indirectæ, quæ competit Ecclesiæ quoad societates civiles catholicorum, nedum illius praxis aliquatenus offendat aut coarctet autonomiam Status in rebus mere temporalibus. Attamen Summi Pontifices, « catholicæ religionis, veritatis ac justitiæ, assertores ac vindices..., præcipuos nostræ ætatis errores reprobant, qui..., cum civilis ipsius societatis detrimento dominantur..., Ecclesiæ juribus rectæque rationi adversantur... Quæ falsæ ac perversæ opiniones eo magis detestandæ sunt, quod eo potissimum spectant ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis quam Ecclesia, ex divini sui Auctoris institutione et mandato, libere exercere debet erga nationes, populos, summosque eorum principes (3). »

(1) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura*. — (2) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos nostræ ætatis errores, 19, 23, 39, 40. — (3) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura*.

1055. — II. *Agendi ratio Statuum erga Ecclesiam.* — Jura (seu potius abusus) a principibus vindicata *protegendi*, *carendi*, *inspiciendi* et *subveniendi*, jam arguebant illos protestanticam Status præeminentiam complexos esse. Nuper vero, quum publicus et legalis atheismus pro optima societatis civilis forma indictus fuerit, alia ineunda fuit via, nempe, rescissio Ecclesiæ a Statu, ejusque expulsio. Ut autem convellatur excogitatum jus *expellendi* vel *dividendi*, simul asserenda est independentia et unio utriusque potestatis.

1. Independentia Status in rebus mere temporalibus, ex dictis et demonstratis in primo titulo hujus libri, minime complectitur jus expellendi vel opprimendi Ecclesiam. Jamvero mala fides, pseudophilosophia et effrænata ambitio, ipsam expellere nituntur, ut Status nullo demum divino vel ecclesiastico jure intra veritatis et justitiæ tramites contineatur. Ecclesia autem protestatur, ubi potestas civilis ei denegat liberum exercitium sive magisterii, sive ministerii, sive jurisdictionis.

2. Politici, « civili consortio impium absurdumque *naturalismi* principium applicantes, audent docere optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum, omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine (1). »

Equidem Ecclesia minus aversatur indifferentismum quam protectionem seu verius oppressionem potestatis civilis religionem regere præsumentis. Absolutus vero indifferentismus societatis civilis ad Ecclesiam est impossibilis ; etenim Status semper cavere debet ne jura religionis lædat, alioquin esset inimicus aut persecutor.

Igitur distinctio et independentia Status et Ecclesiæ non excludunt, nequidem in sæculo XIX°, concordiam utriusque potestatis ; quæ unio servatur vel instauratur per *concordata*.

TITULUS III

De Concordatis.

Concordata sunt *conventiones ab Apostolica Sede cum principibus initæ de relationibus Ecclesiæ et Status, ad concordiam* firmandam vel restituendam. — Dicemus : 1° de concordatis cum guberniis catholicis ; — 2° de concordatis cum guberniis heterodoxis ; licet enim ineantur potissimum cum gentibus catholicis, nihil impedit quominus S. Sedes paciscatur etiam cum principibus heterodoxis vel infidelibus, quoad conditionem catholicorum ipsis subditorum in civilibus.

CAPUT I

DE CONCORDATIS CUM GUBERNIIS CATHOLICIS

Exponenda est : 1° historia concordatorum ; — 2° eorum natura ; — 3° illorum obligatio.

(1) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura*.

ARTICULUS I

HISTORIA CONCORDATORUM

Tria notare juvat : 1° concordatorum originem ; — 2° concordata sæculi XIX[i] ; — 3° corollaria ex praxi Ecclesiæ defluentia.

§ 1. — *Concordatorum origo* (1).

1056. — Concordata ducunt originem a prudentia R. Pontificum, qui, pacis procurandæ causa, principum relationes cum Ecclesiis particularibus ordinant. « Incidunt quandoque tempora, ait Leo XIII, cum alius (ab ordinata colligatione, in qua Status omnia Ecclesiæ jura reveretur et tuetur) quoque concordiæ modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum, si qui principes rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternæ pietatis eximia documenta præbet, cum facilitatis indulgentiæque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest (2). »

I. Vix civili christianæ religionis inauguratione peracta a Constantino, concordatorum initia visa sunt in illis concessionibus quibus leges ab imperatoribus condebantur de ecclesiastica disciplina, ex delegata S. Pontificis auctoritate. Illis enim legibus aut factis, explicita vel implicita, generalis vel particularis Pontificum sanctio accesserat.

Hujus rei documentum exstat initio Codicis, ubi Romanum Pontificem sic alloquitur Justinianus : « Omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam perferre Vestræ Sanctitatis. » Quonam fine ? — « Quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ Sedis, et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire. » Respondet S. Joannes, R. Pontifex, laudans et approbans his verbis : « Quod, quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus (3). »

II. Eadem juris publici disciplina medio ævo servabatur; et, quando leges civiles religioni adversantes condebantur, illas Ecclesia rejiciebat. Sic a concilio generali VIII vetitum est ne principes in Episcoporum electiones se immiscerent, vel Ecclesiæ libertatem quomodocumque imminuerent. Sic concordatum Calixtinum, a Calixto II cum imperatore Henrico V initum (a. 1122), investituras abolevit.

Igitur omni ætate SS. Pontifices cum principibus ecclesiastica negotia composuerunt. Hac de causa, apocrisiarii olim mittebantur apud imperatorem Constantinopolitanum, sicut hodiernis temporibus nuntii, internuntii, legati a latere et delegati apostolici apud summos imperantes, ubique terrarum.

III. Recentibus sæculis, ad quædam approbanda, vel rejicienda, vel concedenda, SS. Pontificum cum principibus tractatio plurima fuit. Nicolaus V, concordato habito cum Friderico III aliisque principibus, commotas Germaniæ ecclesias paci restituit (1447). Abrogata *Pragmatica Sanctione* Caroli VII, regis Galliæ, Leo X cum Francisco I concordatum

(1) Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. III, tit. XII. — (2) Encycl. *Immortale Dei*. — (3) *Codex Justiniani*, lib. I, tit. I.

iniit (1516). Aliud pro Bohemia Urbanus VIII et Ferdinandus II subscripserunt (1630). Simili ratione, Benedictus XIV cum pluribus regnis causas ecclesiarum ordinavit, atque inviolabilis pacti firmitatem stipulationibus adjecit, nempe cum Caroio III, rege Neapolitano (1741), cum Ferdinando VI, rege Hispaniarum (1753), etc. Pariter Pius VI cum imperatore Josepho II pro ducatu Medionalensi conventionem pepigit.

§ 2. — *Concordata sæculi* XIX[i].

1057. — Novissima concordata differunt a prioribus, in eo quod non spectent tantum quasdam res disciplinares, sed potissimum eo tendant ut a potestate civili divina jura Ecclesiæ agnoscantur et sanciantur, vel saltem salva sit libertas catholicorum.

I. Ad liberum religionis catholicæ exercitium in Gallia restituendum, Pius VII cum Napoleone, tunc primo consule, celeberrimum concordatum pactus est, anno 1801. Novi concordati anno 1817 confecti executio, ob difficultates exortas, primo suspensa et postea dimissa fuit. Anno vero 1822, vi novæ conventionis, numerus episcopatuum in Gallia notabiliter auctus fuit (1).

II. Ad componendum in diversis regionibus ecclesiarum statum, Sancta Sedes plurimas conventiones iniit, nempe, anno 1817, cum rege Bavariæ: anno 1818, cum rege utriusque Siciliæ; anno 1821, cum rege Borussiæ; anno 1827, cum Confœderatione germanica; eodem anno, cum rege Batavorum et Belgii; anno 1834, cum regno Neapolitano.

Pius IX plurima concordata iniit, præcipue cum Guberniis Hispaniæ (1851), Russiæ (1847) et Austriæ (1855); sed dua posteriora post modicum tempus saltem ex parte lacerata fuerunt, Guberniis civilibus iterum Ecclesiæ jura et libertatem violantibus, contra fidem datam et subscriptam (2).

Novissime, Leo XIII cum plurimis Guberniis, v. g. Russia (fere statim pactum conculcante), Germania, Lusitania, principatu Amani, vulgo *Montenegro* (1889), statibus fœderatis Columbiæ in America Australi (1887), etc., causas Ecclesiam spectantes discussit et concordatis clausit, vel legum iniquarum reformationem promovit. In concordato cum Columbia, horum pactorum perfectissimo, plena libertas integraque jura Ecclesiæ religiosissime asseruntur et sanciuntur.

§ 3. — *Corollaria ex praxi Ecclesiæ defluentia.*

1058. — I. *Concordatorum adversarii* sunt duplicis generis:

1. Acerrimi eorum hostes nostra ætate prodierunt, qui ea vehementer insectantur tanquam libertati populorum infensa, atque excogitata ad explendam SS. Pontificum cupiditatem dominandi; quas quidem censuras ex odio in Sedem Apostolicam profectas esse quisque sanus tanto facilius intelligit, quod ab impiis communiter proficiscuntur et dolose urgentur.

(1) Pii VII const. *Ecclesia Christi, Ubi primum, Commissa divinitus*, et *Paternæ charitatis*. — (2) Pii VII const. *Provida solersque*. — Leonis XII const. *Ad dominici gregis custodiam*. — Pii IX const. *Ecclesia catholica*.

2. Alii vero improbant concordata, eo quod existimant in iis aliquod vulnus hierarchiæ ecclesiasticæ divinitus constitutæ semper inferri, perinde ac si Ecclesia de rebus divinis transigeret. Tales sunt pseudoliberales, *Ecclesiæ liberæ in statu libero* conditionem celebrantes, divinumque civitatum cum Ecclesia vinculum et connubium disrumpentes.

1059. — II. *Jus ineundi concordata* Romano Pontifici competit, eo ipso quod sunt causæ majores, quæ ipsi pleno jure sunt reservatæ. Etenim Summus Pontifex, cum supremam omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerat, ad incolumitatem et incrementum religionis et Ecclesiæ catholicæ semper vigilare debet, et curare ut cum civilibus guberniis pro disciplinæ vigore, securitate et libertate ecclesiarum tuendis, amicæ et tutæ nectantur relationes, quibus firmandis efficacissime prodesse noscuntur solemnia pacta juribus Ecclesiæ conformia, usu dicta Concordata. Proinde jus ineundi concordata cohæret cum primatu Sanctæ Sedis.

1060. — III. *Utilitas concordatorum.* — Ex eorum origine et historia luculenter perspicitur concordata inita fuisse ut dissidia tollerentur, strictior et suavior cum Sede Apostolica conjunctio efflorescceret, hujus denique auctoritate rerum ecclesiasticarum ordine firmiter stante conquiescerent gentes.

Concordata nequeunt impugnari neque ratione causæ, quæ est sapientia SS. Pontificum lites exortas componentium; neque ratione finis, siquidem ipse est concordia inter Ecclesiam et imperium refovenda; neque ratione medii, nam omne concordatum est conventio æquitatis et benignitatis legibus consona, qua necessitatibus et juribus utriusque societatis sartis tectisque servandis providetur.

Concordatorum utilitas innotescit etiam ex ipsorum natura, quæ nunc consideranda est.

ARTICULUS II

NATURA CONCORDATORUM

Dicemus : — 1° de concordatorum materia; — 2° de personis contrahentibus; — 3° de concordatorum indole.

§ 1. — *Concordatorum materia.*

1061. — I. *Duplicis generis sunt res quæ concordatis subjiciuntur.* Aliæ intime inhærent Ecclesiæ, ei sunt prorsus necessariæ, nec unquam alienabuntur; aliæ, etsi proprie dictam alienationem abhorreant, ex gratia tamen et opportuno favore in laicos quoad usum transferri possunt.

Prioris generis sunt jura Ecclesiæ a Christo collata, v. g. libera Episcoporum et fidelium cum Romano Pontifice communicatio; libera Evangelii prædicatio et errorum expunctio; libera clericorum institutio in disciplinis ecclesiasticis, et puerorum educatio in fide ac moribus; libera votorum religionis emissio, et publica consiliorum evangelicorum profes-

(1) Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. III, tit. XII. — Satolli, *Prima principia juris publici eccles., De Concordatis.*

sio; jus in personas ac bona Ecclesiæ necessaria; paucis verbis, liberum exercitium magisterii, ministerii et jurisdictionis.

Ad secundum genus referuntur ea quæ respiciunt disciplinam, quatenus ab Ecclesia pendet, v. g. nova diœcesium circumscriptio, et Episcoporum nominatio, approbante tamen S. Pontifice; quædam jura in beneficia, salva auctoritate spirituali; rerum ecclesiasticarum alienatio, administratio et possessio; fori ecclesiastici limites, et judiciorum formæ.

Discrimen inter duo hæc genera in eo consistit quod circa prius principum officia, circa posterius vero SS. Pontificum largitates regulariter versentur.

1062. — II. *Officia principum* continentur in primo rerum genere. Si principes recta via incederent, nunquam de rebus ejusmodi concordata inirentur. At historia concordatorum historia est dolorum! Quapropter, afflicta vel eversa religione in quibusdam regionibus, Ecclesiæ jura essentialia publico fœdere sanciuntur, ut quantum fieri potest mala religionem deprimentia sanentur, et catholicorum libertas firmetur. Etenim Ecclesia est societas quæ suo cultu, suis pastoribus atque institutionibus, jure divino libere uti potest et debet; et sicut cætera jura stricta, jus Ecclesiæ nunquam lædendum est, vel ex integro resarciendum, si læsum fuerit. Igitur, ablata ei restituere strictæ justitiæ officium est, non terrenæ majestatis beneficium.

Præterea, nullibi ejus liberum regimen officit principum et populorum libertati, modo ista naturalibus divinisque legibus inique non adversetur, seu cum licentia aut tyrannide non confundatur; nullam Ecclesia respuit regiminis politici formam, peregrina in hoc mundo, sua libertate contenta, nihil ultra appetens quam ut divinam missionem suam prosequatur apud omnes gentes, salutem æternam animarum primario quærendo· prosperitatem vero temporalem familiarum, civitatum et nationum, quantum fieri potest, simul procurando, stabiliendo et augendo.

Igitur principes, dum Ecclesiam catholicam tuentur, vel revocant expulsam, vel oppressam liberant et reficiunt, sive catholici sint sive acatholici, divina servant jura. Si laudandus sit Napoleo per concordatum anni 1801 catholicis restituens liberum et publicum exercitium religionis catholicæ, nihil tamen Galliæ neque S. Pontifici de suo elargitus est, nisi *articulos organicos*, dolose et injuste concordato superadditos, et ideo ab Ecclesia rejectos.

1063. — III. In altero rerum ordine continentur *SS. Pontificum gratiæ et largitates*, aliqua scilicet privilegia, quæ neque ordinis neque jurisdictionis potestatem requirunt, per principes exercenda, vel derogationes disciplinæ generali Ecclesiæ, v. g. circa collationem beneficiorum, competentiam fori ecclesiastici. Præterquam enim limites nativi fori ecclesiastici et fori civilis aliquando obscuri sunt, ob affinitatem utriusque, et ideo declarationem dogmaticam postulare possunt, Ecclesiæ licet instituta sua mutare et quædam jura propria principibus delegare. Igitur, quotiescumque pactiones de ecclesiastica disciplina intercesserunt, ex una parte jura Ecclesiæ patuerunt, non tunc constituta sunt; ex altera.

concessit vel passa est Ecclesia ut nonnulla jura ad res sacras pertinentia a catholicis principibus vel magistratibus quasi suo nomine exercerentur.

Cum Ecclesia sit societas sui juris, cumque circa sacra jus nullum competat laicis imperantibus, ea evidenti ratione quod laici sunt, oves scilicet et non pastores; si quædam hujusmodi in concordatis adscripta illis fuerint, SS. Pontificum largitates et privilegia dicenda erunt.

§ 2. — *Personæ contrahentes concordatum.*

1064. — I. *Prænotanda* (1). — Nemini dubium est non modo societates compares pacisci inter se posse, verum etiam societates dispares. Itaque in ordine politico et civili videmus nationes independentes cum aliis nationibus independentibus conventiones inire, et singulas societates civiles cum collegiis intra se existentibus sibique subditis fidem suam obligare, sive utrinque pariter jus strictum conferatur, sive Status seu gubernium aliquid concedat subditis, v. g. monopolium fabricationis talis instrumenti, sive a Statu suscipiantur promissiones a subditis factæ.

Licet autem utroque in casu ejusmodi acta generali *conventionis* nomine appellari possint, nihilominus, quia quoad juris effectus inter se possunt differre, eadem diverso nomine distinguenda esse plures juris scriptores censuerunt. Itaque pacta inter societates compares dicuntur *publica fœdera;* pacta autem inter societatem civilem et aliquod collegium eidem subjectum, seu inter principem ejusque subditos, modo *concessionis.* modo *privilegii*, modo *conventionis* nomine appellantur, juxta illorum objectum et circumstantias.

II. Publicorum fœderum duplex distinguitur species. Quæ enim mutuam stipulantur paciscentium obligationem, dicuntur *pacta synallagmatica;* quæ vero unius tantum partis obligationem inducunt, generali nomine *conventiones* appellari consueverunt.

Dimissis contractibus juris communis, v. g. venditionis, locationis, qui inter gubernium velut personam moralem et privatos iniri possunt, sicut inter ipsos privatos; — privilegia seu concessiones gubernii tum singularibus personis tum collegiis seu societatibus, reducuntur ad triplex genus : alia dicuntur *gratuita*, alia *onerosa*, alia *remuneratoria.* Jamvero *onerosa* sunt quæ conceduntur in commutationem seu compensationem operis præstandi vel juris cedendi a subdito privilegiato, v. g. immunitas a militia ludimagistris concessa; *gratuita*, quæ ex mera liberalitate dimanant, v. g. exemptio a quibudam tributis in coloniis transmarinis; *remuneratoria*, quæ per modum remunerationis alicujus meriti conceduntur, v. g. pensiones veteranis aut illorum viduis et pupillis attributæ.

1065. — II. *Conditio respectiva partium inter quas initur concordatum* (2). — I. Concordata inter Ecclesiam et societatem civilem catholicorum non æquiparantur *actibus internationalibus.* Etenim, Ecclesia catholica est universalis societas, quæ gentes integras sub Christo capite

(1) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. II — (2) Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. III, tit XII.

et ejus lege complectitur, ita ut ipsi principes sint Ecclesiæ membra. Summus Pontifex, fidelium communis pastor ac pater, non appellandus est extraneus, siquidem in gentibus catholicis religiosa autonomia erga S. Pontificem et Ecclesiam universalem fingi nequit; alioquin eo ipso vinculum unitatis atque catholicitatis abrumperetur. — Quod recte diceretur de conventione circa temporalia, inita inter Romanum Pontificem, tanquam civilem principem Status Pontificii, et alium principem, falsissime prædicaretur de concordato, quod S. Pontifex init tanquam præsul Ecclesiæ catholicæ, omnes gentes complectentis.

Ex ista sublimi catholicæ religionis universalitate, patet quæ sit Summi Pontificis, quæ principum persona in concordatis ineundis. Ille pater, hi filii; unde inter eos domesticæ habentur relationes, non autem externæ nationis ad nationem. Dum enim ex jure naturali quoad politicum regimen nationes plurimæ legitime constituuntur, ex Dei institutione positiva et mandato omnes gentes conveniunt in unam societatem religiosam, quæ est Ecclesia catholica. Falluntur ergo qui politicas distinctiones vel anglicanismi errores ad Ecclesiam unam et universalem transferunt.

2. Attamen, cum Ecclesia sit societas publica, ipsa potest cum societatibus civilibus *conventiones* inire. « Quin etiam et opinione et re eamdem (auctoritatem Ecclesiæ absolutam planeque sui juris) probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tanquam cum suprema potestate legitima consueverunt (1). »

§ 3. — *Concordatorum indoles* (2).

Concordata sub duplici aspectu considerantur, prout respicitur ipsorum *natura*, vel *forma extrinseca*.

1066. — I. Ad naturam quod attinet, concordata inter Ecclesiam et societatem civilem catholicam regulariter præ se ferunt indolem *privilegiorum*. Id infertur ex iis quæ diximus sive de *materia* concordatorum, sive de *personis* contrahentium. Etenim, cum catholici Ecclesiam tanquam matrem agnoscant, ejusmodi concordata plerumque versantur circa largitates quas Sedes Apostolica, pacis servandæ causa, principibus velut filiis concedit.

1067. — II. Forma concordatorum est *forma conventionum*. Id patet ex actibus quibus concordata inter utramque potestatem præparantur, contrahuntur et publicantur; in his enim exhibetur solemnis contractus promissionis utrinque factæ et acceptatæ.

Neque obstat 1° *materia concordatorum*, quæ non potest pretio æstimari. Equidem non licet pacisci de rebus sacris per modum simoniæ. Verum in concordatis agitur vel de agnoscendis religionis catholicæ juribus, quæ semper ab Ecclesia vindicari possunt; vel de ordinanda eccle-

(1) Encycl. *Immortale Dei*. — (2) Soglia, *Institutiones juris ecclesiastici*, pars I. cap. III § 60. — Brabandere, *Juris canon. compendium*, n. 63 et seqq.

siarum particularium disciplina, quæ pendet a suprema potestate Summi Pontificis. Proinde nihil impedit quominus concordata formam conventionum induant.

Neque obstat 2° *independentia potestatis pontificiæ*, quæ per conventiones ligaretur et dependens fieri videretur. Etenim distinguitur inter *ipsam potestatem* et *usum potestatis*. Plenitudo potestatis pontificiæ, quatenus ex jure divino respicit commune bonum Ecclesiæ, nunquam ligatur. Usus vero potestatis intuitu boni Ecclesiæ in aliqua re ligatur per concordata, in eo tantum sensu quod concordata religiose observanda sunt, quamdiu conditiones stipulatæ non violantur a potestate civili, nec concessiones ei factæ cedunt in Ecclesiæ detrimentum.

ARTICULUS III

OBLIGATIO CONCORDATORUM

Agemus 1° de concordatis rite ineundis; — 2° de effectibus concordatorum; — 3° de concordatis interpretandis ac rescindendis.

§ 1. — *De concordatis rite ineundis* (1).

1068. — I. Sicut privatorum, ita et societatum pacta invalida sunt, sive desit liber consensus, sive desit materia licita.

1. Si consensus fuerit extortus dolo vel errore versante circa rei substantiam, eum nullo modo liberum esse manifestum est. Propter metum gravem injusteque incussum, contrahentes, licet aliqua ex parte liberi dicantur, ea tamen libertate carent quæ necessaria est ad firmiter contrahendum; adeoque, si pars læsa velit, consensus iste revocari potest.

2. Materia conventionis illicita est, si adversetur alicui officio proprie dicto, seu veræ obligationi qua contrahentes actu tenentur. Hinc celebris distinctio inter jura quæ alienari seu rectius delegari possunt, et jura quæ alienari nequeunt, sed ab ipsa potestate spirituali debent exerceri. Nimirum inalienabilia dicuntur ea quæ cum potestate spirituali inseparabiliter conjuncta sunt; cætera dicuntur alienabilia.

1069. — II. Ex istis principiis, quæ ipsi Regalistæ admittunt, deducuntur duo corollaria :

1. Concessiones quas ab Apostolica Sede terror vel arma extorserunt, nulla gaudent firmitate. Tales fuerunt concessiones a Paschale II imperatori Henrico V factæ, quæ propterea in concilio Lateranensi II merito revocatæ fuerunt; item concordatum a Pio VII, cogente Napoleone subscriptum, anno 1813, et ab eodem Pontifice mox revocatum.

2. Romani Pontifices nihil possunt concedere quod naturæ Primatus et officio pascendi oves Christi repugnet. Unde merito S. Pius V negavit se posse principibus concedere perpetuam facultatem admittendi vel rejiciendi constitutiones apostolicas, etiam mere disciplinares. Hæc facultas, quam politici dicunt *placitum regium*, concedi nequit, præsertim si petatur sine conditionibus; eoque magis, si petatur velut *privilegium coronæ regiæ*

(1) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. II.

debitum. Ratio est, quia sine fidei dispendio non posset ejusmodi error pontificia concessione confirmari, nec talis praxis induci sine maximo detrimento.

§ 2. — *De effectibus concordatorum* (1).

1070. — I. *Utrum concordata sint pactis synallagmaticis accensenda, et strictam pariant obligationem justitiæ in utroque contrahente*, est quæstio inter catholicos controversa. Alii affirmant, v. g. De Angelis, Soglia, Brabandere, DD. Turinaz, ex eo quod revera sunt solemnes pactiones inter supremos societatum perfectarum moderatores, in forma conventionis publicatæ, cum subscriptione S. Pontificis et Principis, aut delegatorum ab eis, et expressa assertione mutuæ obligationis. Sic in concordato inter Leonem X et Franciscum I, Galliæ regem (*tit. XVII*), decernitur fore *irritum et inane, quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate*, ETIAM PER NOS (LEONEM X) ET SUCCESSORES NOSTROS, *scienter aut ignoranter contigerit attentari*. Similiter Pius VII, in Const. *Ecclesia Christi*, his verbis claudit confirmationem concordati cum Napoleone initi : *Omniaque in eis* (articulis concordati) *contenta ac promissa, sincere et inviolabiliter ex nostra hujusque Sedis parte adimpletum et servatum iri, tam nostro quam nostrorum successorum nomine, promittimus ac spondemus*. His et aliis similibus clausulis consonant plurima documenta a S. Sede emanata, præsertim quoties conquesta est de inobservantia concordatorum ex parte Guberniorum civilium; et novissime ipse Leo XIII, in epistola encyclica ad Episcopos Galliæ (16 febr. 1892) *pactum bilaterale* nuncupavit Concordatum a Pio VII cum Napoleone initum.

Alii negant, v. g. Tarquini, Palmieri, Satolli, sive quia in concordatis regulariter agitur de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, in quibus societas civilis subdita est Ecclesiæ, quæ erga inferiorem stricte ligari nequit; sive quia pactum bilaterale mutuam paciscentium obligationem producit, dum in concordatis principes nihil juris Ecclesiæ conferunt, nec ullam proprie contrahunt obligationem. Etenim, quæ spondent principes pro Ecclesiæ libertate vel defensione, sunt officia ipsis a Deo ipso imposita. Hæc vero opinio deinceps asseri nequit, utpote implicite reprobata a Leone XIII.

Alii demum (et forte rectius) mediam quasi viam ineunt, dicentes concordata esse pacta synallagmatica, non stricto quidem sensu, qualia fiunt inter pares, sed sensu quodam latiori, juxta quem præscinditur a quæstione an contrahentes sint jure pares vel non, et consideratur tantum obligatio reciproca orta ex mutuo consensu.

1071. — II. In omnium tamen sententia, concordata mutuam et perpetuam pariunt obligationem, nempe, officium ea servandi quæ promissa sunt; nam contrahentes solemniter suam fidem obligant, proprio atque successorum et subditorum suorum nomine. Societas civilis tenetur præ-

(1) Cavagnis, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, n. 636 et seqq. — Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. I, tit. XII. — DD. Turinaz, episc. Nanceiensis, *Les Concordats*. — Brabandere, *Juris canonici compend.*, n. 65.

existenti obligatione, *aucta vi pacti;* Ecclesia vero tenetur non solum ratione sapientiæ, benignitatis et fidelitatis capitis sui, sed etiam *vi pacti* bilateralis seu promissionis ab altera parte acceptatæ cum repromissione, subaudita tamen necessaria conditione : *nisi aliud exigat bonum animarum.*

Neutra ergo pars potest a concordato resilire, vel ei derogare, invita altera; alterutra vero fidem frangente, altera potest vel resilire, vel executionem urgere.

Unde Pius IX damnavit istam propositionem : « Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas, solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante (1). »

1072. — III. Concordatum est simul *lex ecclesiastica et civilis :* lex quidem ecclesiastica, qua Summus Pontifex disciplinam ecclesiarum particularium ordinat; et simul lex civilis, quam potestas politica promulgat et civibus imponit sicut cæteras leges civiles. Sub utroque respectu, derogat juri communi, quatenus illius dispositiones cum sacris canonibus aut jure civili antea vigenti in tali regione conciliari nequeunt.

§ 3. — *De concordatis interpretandis ac rescindendis.*

Dicendum est 1° de interpretatione et rescissione conventionum in genere; — 2° de nterpretatione et rescissione concordatorum in specie.

I. — Interpretatio et rescissio conventionum in genere (2).

1073. — I. Interpretatio et rescissio conventionum quæ inter duas societates initæ sunt, fit vel mutuo partium consensu, vel legitimo judicio, non secus ac in conventionibus quæ a privatis ineuntur.

Si societates inter quas conventio facta est sint omnino inter se independentes, nonnisi mutuo consensu fieri potest ejusdem conventionis interpretatio aut rescissio, eo quod deficiat tunc superior quo jus inter eas dicatur et executioni mandetur.

Si alterutra ab altera dependeat, sive directe ratione sui, sive indirecte ratione rei de qua agitur, quando mutuus consensus haberi nequit, judicio societatis superioris standum est. Quo in judicio, si de rescissione privilegii onerosi agatur, rescissio ita decernenda erit, ut ad æquitatis normam compensetur id quod collatum fuerat, nisi forte bonum publicum aliter fieri omnino postulet.

1074. — II. In ipsis societatibus civilibus, vigent regulæ sequentes :

1. Concessio facta societati vel personæ nullatenus subditæ revocari nequit arbitrio concedentis. Ratio est, quia judicium est actus jurisdictionis; atqui nulla est jurisdictio in personam non subditam.

2. Princeps interpretatur et, interveniente causa publica, revocare potest privilegia societati aut personæ sibi subditæ a se concessa, præsertim si gratuita sint, quia jure exigit a subditis necessaria ad bonum commune.

(1) Pii IX *Syllabus*, complectens præcipuos nostræ ætatis errores, 43. — (2) Suarez, *de Legibus*, lib. VIII, cap. XXXVII.

II. — Interpretatio et rescissio concordatorum in specie (1).

1075. — I. Societas civilis, si quid jure divino indebitum Ecclesiæ concesserit, id non potest arbitrio suo revocare, vel interpretando moderari.

Prob. 1. Concessio facta Ecclesiæ a societate civili est concessio facta non subdito. Atqui nemo potest concessionem non subdito factam arbitrio suo revocare, vel interpretando moderari, ex modo dictis.

2. Quidquid Ecclesiæ concessum est, id fini Ecclesiæ proprio seu fini spirituali addicitur. Atqui in iis quæ fini spirituali sunt addicta societas civilis nullam per se habet potestatem. Ergo in iis quæ Ecclesiæ concessa sunt societas civilis nullam per se potestatem habet.

1076. — II. Ecclesia de concordatorum interpretatione definitive judicat, et concessiones a se factas, si aliud postulet commune bonum in ordine ad quod concordata facta sunt, revocare potest : nisi forte agatur de rebus temporalibus a quibus ratio spiritualis separata fuerit, v. g. bonis ecclesiasticis a Gubernio Gallico alienatis et a Pio VII remissis, quæ deinceps non videntur posse ab Ecclesia repeti.

Etenim principis est interpretari et, si justa causa id exigat, revocare privilegia etiam onerosa et pacto confirmata, personæ subditæ concessa. Atqui concordata communiter, saltem ex parte materiæ, in pluribus præ se ferunt indolem privilegiorum, a S. Pontifice concessorum rectoribus societatis civilis, tanquam a principe privatis a se dependentibus. Ergo ad Ecclesiam definitive spectat interpretatio et rescissio concordatorum.

CAPUT II

DE CONCORDATIS CUM GUBERNIIS HETERODOXIS

Investigandæ sunt 1° relationes potestatis civilis ad heterodoxos ; — 2° conventiones Ecclesiæ cum potestate civili heterodoxa.

ARTICULUS I

RELATIONES SOCIETATIS CIVILIS AD HETERODOXOS (2)

1077. — I. *Principia canonica de libertate cultuum.* — Libertas conscientiæ secernenda est a cultuum libertate.

Libertas conscientiæ est jus naturæ rationalis ne ullius conscientiæ violentia inferatur, ab eo verba vel facta extorquendo quæ firmis rectisque animi persuasionibus opponantur. Tyrannice hanc libertatem violabat polytheismus, dum christianos cogebat ad cultum idolorum. E contra, prior ingressa est viam libertatis et æquitatis Ecclesia, quæ numquam reluctantibus animis, sed edoctis tantum et volentibus, religionem inserit. Hinc manifestum discrimen intercedit inter principes vere catholicos et persecutores infideles aut hæreticos : principes catholici protegunt fidem, persecutores vero conscientiam opprimunt.

(1) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. II. — De Angelis, *Prælectiones juris canonici*, lib. I, Appendix. — (2) Audisio, *Juris naturæ et gentium fundamenta*, lib. I, it. XIII.

Libertas cultuum est facultas colendi Deum externis et placitis actibus. Si privatim tantum habeatur, cultus dicitur toleratus ; si exerceatur etiam publice, cultus omnes coram lege civili æquiparantur.

Hinc patet quanta rei ignorantia laborent qui confundunt libertatem conscientiæ cum libertate cultuum, aut tolerantiam cum æqualitate civili.

Circa libertatem cultuum duplex statuitur regula :

Regula 1ª. — Ubi nexus Ecclesiæ et Status juri divino conformis viget, religio catholica exclusive protegenda est, ne dissolvatur unitas religiosa, quæ felicissime perficit ipsam civitatem seu societatem civilem.

Etenim, libertas cultuum est ex se inordinata et reprobanda, utpote juri divino contradicens, nec unquam tanquam verum jus vindicari potest, sed ad summum tolerari tanquam malum minus et moraliter necessarium. Ergo ubi vera religio dominatur, libertas ejusmodi non admittenda est, nisi in extrema necessitate, scilicet, ad majora mala præcavenda, vel ad magnum adipiscendum bonum (1).

Regula 2ª. — Instituta semel libertas cultuum adeo fideliter servanda est, ut quilibet cultus suas existendi atque agendi rationes petat ex seipso, nec ullum Status imponere audeat. Sic enim illuduntur multi, ut libertatem cultuum jactent, et adversus Ecclesiam catholicam tyrannidem exerceant.

1078. — II. *In praxi libertas cultuum pro variis locis et temporibus diversa est.* — Nostra ætate :

1. Paucæ nationes reperiuntur, in quibus religio catholica unice est recepta. Id in concordato *Hispaniæ* constitutum est ; id ad novissimum usque tempus in diversis *Italiæ* territoriis viguit, et in plerisque regionibus Americæ meridionalis hodiedum saltem nomine retinetur, in capite constitutionis politicæ.

2. In *Galliis*, quamvis religionem catholicam longe maxima pars civium profiteatur, in *Belgio*, in *Helvetia*, et in plerisque *Germaniæ* ditionibus, leges civiles æqualem libertatem et favorem omnibus cultibus tribuunt, excepto paganismo.

3. In America septentrionali, tanta libertas quibuslibet religionibus et sectis permittitur, ut *Status Uniti* nullam habeant rationem religionis civium.

4. In *Anglia*, post emancipationem (1829), catholici liberius respirare cœperunt, et deinceps saltem legaliter sicut cæteri cives habiti sunt ; plenissima sui cultus libertate gaudent, atque ad munera publica generatim admittuntur, tum in ipso regno Majoris Britanniæ, tum in universis illius dominiis.

5. In quibusdam regnis, religionis catholicæ propagatio proscribitur, imo illius exercitium innumeris vexationibus impeditur. Hæc est Ecclesiæ conditio in *imperio Russico*, in quo nihil intentatum relinquitur ut catholici in fide subvertantur. — In regnis Daniæ, Sueciæ et Norvegiæ, ubi stricte interdictum erat exercitium publicum religionis catholicæ,

(1) Pii IX Litteræ encyclicæ *Quanta cura*. — *Syllabus*, complectens præcipuos ætatis nostræ errores, 77, 78, 79.

novissime omnino abrogatæ sunt pœnalitates quibus vexabatur, et libertas religiosa facta est aliquatenus juris publici (1).

ARTICULUS II

CONVENTIONES ECCLESIÆ CUM GUBERNIIS HETERODOXIS (2)

1079. — I. Cum in multis locis catholici subjaceant regimini politico principum heterodoxorum, et inde eorum conditio præsertim in spiritualibus ardua fiat, nisi lege aut solemni pacto asseratur plena libertas vivendi catholico more, aliquando opportunum judicat S. Sedes cum hujusmodi principibus res Ecclesiæ amice componere. Discrimen quod in ejusmodi concordatis ineundis intercedit, non oritur ex eo quod respectu istarum societatum diversa sit indoles ac ratio concordatorum. Cum enim eorum natura eruatur ex materia circa quam versantur, atque hæc materia sit spiritualis vel spirituali annexa, multo magis ejus vis integra retinenda est cum hæreticis aut infidelibus quam cum catholicis, siquidem illi graviori ratione sunt incapaces jurisdictionis in hanc materiam.

Igitur discrimen in eo consistit quod principes hæretici auctoritatem Ecclesiæ catholicæ non agnoscant. Propterea, potest quidem Ecclesia abstinere ab ineundis concordatis cum illis, ne videatur extraneos et adversarios in partem sui regiminis admittere et privilegiis augere. Verum, si populorum saluti opportunum existimet S. Pontifex ejusmodi concordata pacisci, hæc accipiunt formam consuetam *conventionum*, ac velut pacta servantur ; solent tamen aliter promulgari quam concordata cum guberniis catholicis. Conventione enim facta inter legatos Romani Pontificis et Principis heterodoxi, Rom. Pontifex in speciali bulla promulgat quæ de rebus ecclesiasticis in tali regno constituit, juxta dictam conventionem ; et vicissim Princeps civilis per peculiare documentum subditis suis nuntiat quæ R. Pontifex promulgavit, eaque jubet servari tanquam proprias leges. — Supra, n. 1057, plura concordata hujusmodi recensita sunt.

1080. — II. Si tractu temporis res eo deveniant ut, circumstantiis mutatis, eædem conventiones sine detrimento salutis hominum servari non possint, Ecclesia rem primo componere mutuo consensu curabit ; si vero id minus succedat, a fide data merito recedet, quandoquidem in talibus adjunctis quælibet pacta humana vi sua deficiant.

Propositus titulus *de concordatis* finem Institutionibus canonicis imponit.

(1) In Dania, anno 1847 ; in Norwegia, anno 1845 ; et in Suecia, anno 1873. — (2) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici*, lib. I, cap. II. — Phillips, *du Droit ecclés. dans ses principes généraux*, t. III, § 128.

FINIS

INDEX RERUM ALPHABETICUS

A

Abbas — potestas legislativa, n. 67 II, 405. — Abbates sæculares, commendatarii, exempti, 403 ss.
Abbatissæ potestas et electio, 600.
Abortus — procurantium pœnæ, 877, 972.
Abrogatio consuetudinis, 106. — Legis, quid, 112.
Absentia a residentia, 783, 785.
Absolutio a censuris. 896. — Ad cautelam, ad reincidentiam, 896[2]. — Complicis, 947. — Praxis confessarii in absolvendo a censuris, 1004 ss. — A. a suspensione, 910.
Absolvere præsumentes ab excommunicationibus speciali modo reservatis, excommunicati, 968.
Abstinentiæ dies, 684.
Abusus Baptismi irregularem facit, 262[2]. — Ordinis, Ordinationis, 266[3]. — Sacram. Pœnitentiæ, 878, II[2]. — In impetrandis Rescriptis, 132[3].
Acceptatio legis — a fidelibus, 92 s. — a principibus (placitum regium, Exequatur), 94 ss. — ab episcopis, 98 s.
Accessus in electione Papæ, 333[3].
Accessus reservatio in resignatione beneficii, prohibita, 789[4].
Accusatio, 837. — **Accusator**, 804.
Acolythatus, 245[1].
Acta et Litteræ S. Sedis, in genere quid sint, 945.
Actor in judiciis, 804.
Actuarius, 805[1].
Administratio bonorum ecclesiasticorum, 734 ss., 799, 800.
Administrativa potestas Rom. Pontificis, 318 ss.
Administrator apostolicus, 402[2]. — A. bonorum Ecclesiæ, 735, 799, 976.
Admissio in Statum religiosum, 557 ss.
Adulti baptizandi, 612.
Advocatus, 805[1]. — Fiscalis, 805[2].
Ædificiorum ecclesiasticorum reparatio, 696.
Æqualitas utriusque potestatis, Ecclesiæ et Status, non admittenda, 1038[2].
Ærarium subsidii (*caisse de retraite*) 269[4].
Ætas requisita ad Ordines, 263[3]. — Ad Beneficia, 768[1].
Ætas juris novi quoad Ecclesiam et Imperium, 1048 ss. — Juris novissimi, 1051 ss.
Alienatio, quid, 976, not. 1. — Bonorum ecclesiasticorum, 736 ss. — Civitatum et locorum S. Rom. Ecclesiæ, 936. — Alienantes bona ecclesiast., absque beneplacito apostolico, excommunicati, 976. — Quando A. licita et valida, *ib.*, not. 3.
Altaria, materia et forma, 711[2]; — consecratio, 666[2], 711[3]; — exsecratio, 711[4, 5]; — fixa, portatilia, 711[1]; — a. privilegiatum, 625.
Amentia, irregularitas, 264[1].
Amortizationis lex, invalida, 725.
Amovibilitas parochorum, 486[2], 754[5].
Anathema, quid, 897[1].
Apocrisiarii, 391.
Apostasia a religione, 580. — Irregularem facit, 266[1]. — A. a fide, 865 ss. — A. clericatus et monachatus, pœnæ, 878[1]. — Apostatæ, qui, excommunicati, 937[1].
Apostoli, litteræ dimissoriæ, 853.
Apparitores, 805.
Appellantes ad futurum universale Concilium, excommunicati, 941.
Appellatio, quid, 845[2, 4]. — Ab abusu, 1020. — A. judicialis origo et species, 846. — Facultas appellandi, 847 ss. — Ordo appell., 850 s. — Tempora appell., 852 ss.
Applicatio Missæ conventualis, 459[3].
Approbatio librorum, 652. — Ordinum ab Ecclesia, 553 ss.
Arbitri, 804.
Archiconfraternitas, 638 s.
Archidiaconi — in Capitulo, 453. — Vicarii episcopales, 471.
Archiepiscopus, 380 ss.
Archipresbyteri, 479.
Aristocratia, quid, 68. — In Ecclesia, 69[3].
Armorum gestatio, clericis prohibita, 290 IV.
Articuli organici in Gallia, 158.
Assessor (in judiciis), 805.
Asylum ecclesiasticum, 700. — Violantes excomm., 955.
Auditores, 805. — Rotæ Romanæ, 365, 805. — Cameræ apostolicæ, 366, 805.
Autonomia Ecclesiæ et Status, 1012 ss.

B

Baccalaureus, 637 [2].
Baptismus, abusus, 266 [2]. — B. adultorum, 612. — Baptizandi, 610 ss.
Baptizatio campanæ, 713.
Basileense Concilium, 520.
Basilica, 694 [1]. — B. majores Romæ, 694 [1]; B. minores, *ib.*
Beatificatio servorum Dei, 688 ss. — Beatus, quis, 688. — Cultus beatificatis exhibendus, 692.
Benedictio nuptialis, 665 VI. — Benedictiones, 664 s.; — episcopales, 666.; sacerdotales, 667. — Formulæ, 669 — Regulæ generales, 668 s.
Beneficia compatibilia et incompatibilia, 787.
Beneficiatus. — Obligationes quoad superfluos reditus, 780 ss.; — quoad residentiam, 783.
Beneficium. — Definitio, 752; — origo, 753; — variæ species, 754; — erectio, 755; — unio, 756 ss; — collatio, 439, 765 ss.; — divisio, 760 ss.; — dismembratio, 762 s.; — suppressio et extinctio, 764. — Quibus conferri potest, 768; — dimissio, 788 ss.; — permutatio, 791; — pluralitas beneficiorum, 786; vacatio libera, 788 ss.; — v. necessaria, 794 s.; — translatio, 792
Bigamia, vera, interpretativa, similitudinaria, quoad ordines, 264 [4].
Biretum violaceum, 442 [2]; — doctoris, 637 [2].
Bona clericorum, patrimonialia, quasi patrimonialia, beneficialia, 776; — necessaria et superflua, 776 [3]; — eorum acquisitio, 776; — eorum dominium quis habeat, 777 s.
Bona ecclesiastica, quæ, 739 ss; 948 *A.*; 976, not. 2. — B. Ecclesiæ immobilia et res mobiles pretiosæ, 736. — B. temporalia Ecclesiæ: jus acquirendi 724 s. — Dominium ecclesiasticum, 726 ss. — Inviolabilitas, 731 ss. — Administratio, 730, 734 ss. — Alienatio, 736 ss.; — conditiones: justæ causæ et solemnitates, 737.
Bona Ecclesiæ Romanæ, dominium temporale *usurpantes*, etc., excommunicati, 949. — Bona eccles. usurpata *ementes*, excomm., 970. — Bona eccl. alienantes, excomm., 976.
Brevia pontificia, 128.
Bullæ pontificiæ, 128. — Bullaria, 212.
Burchardi Wormatien. collectio, 174 [4]; 180.
Bursa corporalis, non benedicenda, 715.

C

Cœlibatus, 293 ss.
Calix, ex quali materia, consecratio et exsecratio, 712.
Camera apostolica, 366. — Camerarius Curiæ Romanæ, *ib.*
Campanæ consecratio et usus, 713.
Cancellaria Apostolica, 372. — Cancellariæ Regulæ, 209.
Canones Apostolorum, 164 ss. — C. disciplinares, 80 ss.; — dogmatici, eorum indoles, 75. — Notæ, 76. — C. morum, 77 ss. — Canonum collectiones, 161 ss.; — græcæ, 169 ss.; — latinæ, 174 ss.
Canonicatus — erectio et collatio. 450 ss.
Canonici regulares, sæculares, 446; — eorum obligationes, 458 ss. — C. honorarii, 455.
Canonicus pœnitentiarius, 454; — C. theologalis, *ib.*
Canonizatio servorum Dei, 688 ss.
Capellæ: publicæ, 704; privatæ, 705 s.
Capellania, 752 [3]. — Capellanus, 502.
Capitula, quid; eorum species, 444. — Statuta capitulorum, 461; — in Gallia, 462. — Capituli consensus, 463.
Capitulum cathedrale, collegiale, 444 ss. — Potestas capituli, sede plena, 463; — sede vacante, 464. — C. regulare, in Ordine religioso, 596.
Carbonarii, secta damnata, 954 [4].
Cardinales, 344 ss.; — eorum creatio, 349; — prærogativæ, 350; — auctoritas, sede plena, 351 s.; — sede vacante, 353.
Cardinalis protector, 587, 603 nota
Castitatis votum, 293 s., 535 s., 538, 572, 971.
Casuale, 740 ss.
Catecheses, 647 III.
Catechismus Romanus, 650.
Catechumeni, 613.
Cathedraticum, 441 [2].
Causa (in judicio), 801 [4].
Causæ ecclesiasticæ, 806 s.; — majores, 808; — spiritualibus annexæ, 807 [3]; — beneficiales, *ib.*; — clericorum, 807 [4], 809; — matrimonii, 807 [2].
Censuræ — definitio, 890; — subjectum, 891; — potestas ferendi censuras, 892. — Forma et solemnitates in ferenda C., 893 — Causæ excusantes ab incurrenda C., 894. — Effectus, 895. Absolutio a C., 896. — Violans censuram, 895 [2].
Censuræ latæ sententiæ, hodie vigentes, 935 ss.
Cessatio a divinis, quid, 925 s.; — effectus, 927 s.
Chirurgiæ praxis, Clericis prohibita, 289 [3].
Chorepiscopi, 477.
Chrismatis benedictio, 666.
Christianitas, quid, 1049 [1]; — eam dissolvit protestantismus, 1050 [5].
Citatio (in judicio), 812; — privata, publica, simplex, peremptoria, *ib* [3].
Clausula « et amplius », quid, 850 i. f.

Clausura monialium, 578; — Religiosorum, 576 s., 957. — Eam violantes, excomm., 956 s., 983.
Clementinæ (in jure canon.), 201.
Clerici — accessus ad Ordines, i. e. præparatio, 248; — Ordinatio, minister, 251 ss. — Adscriptio alii diœcesi, 257 [1]. — Obligationes, 284 ss.; — habitus, vestitus, 291 s. — Cœlibatus, 293 ss. — Quæ prohibita clericis, 288 ss. — Immunitas, 279 ss. — Privilegia, 274 ss. — Cl. in sacris instituti matrimonium contrahere præsumentes, excomm., 971.
Cleri gallicani declaratio, 150 ss.
Coadjutor parochi, 498 [2].
Cœlibatus clericorum, 293 ss.
Cœmeteria, 707; — benedictio, 708; — pollutio, 709.
Coercitiva potestas Ecclesiæ, 119 s., 881.
Collatio beneficiorum, 439, 765 ss.; parochiarum, 440; canonicatuum, 451 s. — C. libera, 767 ss. — Quibus conferri possint, 768. — Litteræ collationis necessariæ ad possessionem beneficii, 770. — C. casuum conscientiæ, 496.
Collatores beneficiorum, 767.
Collectiones canonum, 161-213.
Collegia laicorum, 630 ss.
Collegiata capitula, 444, 448.
Collegium Cardinalium, 344 ss.
Commendæ beneficiorum, 775, Scholium.
Communicatio in sacris, 870. — Cum hæreticis, *ib.*; cum schismaticis, 873; cum intrusis, 950.
Communicatio fidelium cum excomm. toleratis, 901; — cum non toleratis, 902; — quando licita, *ib.* II. — Communicantes in crimine criminoso, excomm., 966; Clerici in divinis cum nominatim excommunicato comm., 967.
Communio quoad excomm., 487; — quid, 900 II.
Commutatio piarum voluntatum, 750 [3].
Competentia, privilegium Clericorum, 282. — C. fori ecclesiastici, 806 ss.
Complex in peccato turpi. — Absolventes, excomm., 947. — Praxis inquirendi nomen complicis, damnata, 951 B.
Complices in duello, 953 [2]; — in simonia reali in beneficiis, excomm., 958 [2].
Compromissum, modus electionis, 333 [3], 419 [3].
Concilia. — Notio, definitio, species, 503 s. — Origo, 505 s. — Utilitas, 507 s. — Celebratio, 509 ss. — Auctoritas, 529 ss.
Concionatorum approbatio, 428.
Concilium generale, 509 ss.; — ejus convocatio, 510 ss.; — celebratio, 513 ss.; — confirmatio, 517 ss.; auctoritas, 529 s. — Concilia generalia, confirmata, 519; — partim confirmata, partim reprobata, 520; reprobata, 520 [3].
Concilium particulare, 504; — nationale, 521; — provinciale, 522 ss.
Concilii Tridentini S. Congregatio, 362.
Conciliorum collectiones, 213.
Conclave, 333 [2].
Concordata. — Origo, 1036. — Concordata sæculi XIX, 157, 1057 s. — Corollaria ex praxi Ecclesiæ, 1058 ss — Natura, materia eorum, 1061 ss.; — contrahentes, 1064 s.; — indoles, 1066; — obligatio, 1068 s.; — effectus, 1070; — interpretatio, rescissio, 1073 s.
Concordia Ecclesiæ et Status, 1022.
Concursus ad beneficium, 440.
Condonatio onerum fundationis, 751 [3].
Confessarius regularis, 589; — monialium, 602, 607 s. — C. praxis in ab solvendo a censuris, 1004 ss.
Confessio judicialis, extrajudicialis, 822 — C. reorum, 843.
Confirmatio electionis Episcopi, 421 s.; — concilii generalis, 517 ss.; — provincialis, 524; — synodi diœcesanæ, 528.
Confraternitatum — indoles, 638; — erectio, 639; — regimen et extinctio, 640.
Confrontatio, 844.
Congregationes religiosæ, 541. — C. profitentium vota simplicia, 604 ss.
Congregationes Romanæ. — Indoles et auctoritas, 133 ss., 354 ss.; — institutio, 355; — convenientia, 356; — constitutio, 357 s.; — Congr. S. Officii, 359; — C. Indicis, 360; — C. de Propag. Fide, 361; — C. Conc. Trid., 362; — C. S. Rituum, 363; — C. Episcoporum et Regul., 364 [1]; — C. super statu Regularium, 364 [2]; — C. Indulgentiarum et Reliquiarium, 364 [3]; — C. jurisdictionis et immunitatis eccles., 364 [4]; — C. super negotiis extraordinariis Ecclesiæ, 364 [5]; — C. examinis Episcoporum, 364 [6]; — C. studiorum, 364 [7].
Conjugati, quoad ordines, 263 [2]. — quoad statum religiosum, 558 [2].
Conscientiæ libertas, quid, 1077.
Consecratio calicum et patenarum, 666 [2], 712; — ecclesiarum, 697; — campanarum, 713; — Episcopi, 423 ss.
Conservatoria, quid, 603.
Consilia evangelica, 535 ss.
Consiliarii (in judicio), 805.
Consistorium Rom. Pontificis, 133 [2]; — publicum, secretum, 352.
Constantiense Concilium, 520.
Constitutiones Apostolicæ, 167 s.; Summorum Pontificum, 127 ss.; — religiosorum, 575.
Consuetudo. — Natura et species, 100; — conditiones requisitæ, 101 ss.; — quomodo abrogatur, 106.
Contemplativi Ordines, 547 [1].
Contestatio litis, 844.
Contumacia, 813, 887 [2].
Conventiones inter diversas societates 1068; — inter Ecclesiam et Statum, 1069. — C. interpretatio, rescissio, 1073 ss.

Conventus capitularis (corpus canonicorum), 460.
Conversi, religiosi, 547[5].
Convictus, quis, 844.
Coronatio Papæ, 333[4].
Corporalia, benedicenda, 715.
Corporalis irregularitas, 263.
Corpus juris canonici, 203 ss.; — auctoritas, 204; — modus citandi, 206.
Crimen, 863; — contra Deum, 865 ss.; — contra res sacras, 874 ss. — C. communia, 877; — c. clericorum, 878. — Crimina quæ inducunt irregularitatem, 264[6] ss. — C. quoad statum religiosum, 558[4].
Critica necessaria in usu juris canon., 42 s.
Crudelitatem in proceres Ecclesiæ exercentes, excomm., 942.
Crucis insigne, 334[2], 384, 442[2].
Cultus divinus, 675 ss. — C. Beatis et Sanctis exhibendus, 692 s.
Cultuum libertas, 1081.
Curia episcopalis, 443, 805[2]. — C. Romana, 342 s.
Curiales, qui, 343[3].
Cursores, 805.

D

Dataria, tribunal gratiæ, 371.
Decanus ruralis, 479[2].
Decimæ, 746.
Declaratio cleri gallicani, 151.
Declarationes Congreg. Cardinalium, 135 ss.
Decretales, 127. — D. Gregorii IX, 197 ss. — Decretalium collectiones, 195 ss.
Decretum Gratiani, 190 ss.
Defensores hæreticorum, excomm., 937[4], 939[4].
Degradatio clerici, 933.
Delegatio, subdelegatio, 302.
Delicta, mixta, occulta, publica, manifesta, notoria, 864.
Democratia, 68. — D. in Ecclesia, 69[5].
Denuntiatio, evangelica, canonica, judicialis, 838. — D. obligatio, quando cessat, 954[3].
Depositio clerici, 932.
Derogatio legis, quid, 112.
Devolutio beneficii, 867[1].
Diaconatus, diaconi, 244[1].
Dignitas imperialis, 1048[3]. — Dignitates R. Pontificis, 335. — Dignitates in capitulis, 453.
Dignus quoad beneficia, 768.
Diminutio beneficii, 762 s.
Dimissio beneficii, 788 ss.
Dimissiorales litteræ, 256 ss.
Diœceses, divisio, 62.
Discrimen inter jus canon. et theologiam, 23 ss.
Dismembratio beneficii, 762 s.
Dispensatio legis, 113 ss. — D. a votis solemnibus et simplicibus, 581. — In quibus casibus possunt dispensare Episcopi, 436.
Distributiones quotidianæ, 456[2].
Divisio (separatio) Status ab Ecclesia, 1058 s.
Divulgatio legis, 88.
Docendi officium, 427 s., 492, 646 ss.
Docentes vel defendentes damnatas propositiones, excomm., 951.
Doctor, gradus academicus, 637[2].
Domicilium ad Ordines, 254[2]; quoad judicia, 809.
Dominium religiosorum, 573.
Dos monialium, 568, 960. — D. beneficii, 755[3], 761[3]. — D. ecclesiæ, 695[4].
Duellum perpetrantes, acceptantes, etc., excomm., 953. — Pœnæ, 877[1], 953.

E

Ecclesia Christi. — Definitio, 230. — Personæ, 231. — Est societas perfecta, independens, 51. — Ecclesia et societas civilis, differentia, 1011. — Ecclesiæ regiminis forma, vid. *Regimen*.
Ecclesia (templum, domus Dei), 694. — Parochialis, ædificanda, requisita, 695; — reparatio, 696; — consecratio, benedictio, 697; — exsecratio, 701; — reconciliatio, 703; — immunitas, 698 ss.; — actus prohibiti in ecclesia, 699. — pollutio, 702.
Ecclesiæ independentia (quoad Statum), 1012 ss.; — falsa principia, 1015; — firma principia, 1016. — Independ. quoad magisterium et ministerium, 1017 s.: — quoad disciplinam, 1019. Ecclesiæ conventiones cum gubernüis heterodoxis, 1079 s. — Ecclesiæ agendi ratio erga Statum, 1058. — Ecclesiæ bona temporalia, 724 ss.; — ea usurpata ementes, excomm., 970.
Educatio clericorum, 248 ss., 1021[2].
Ejectus religiosus, 580.
Electio Episcopi, 410, 418 ss. — Electio S. Pontificis, 329 ss., 333.
Electores Episcopi, 411 ss.
Encyclicæ litteræ, 127.
Ephemerides hæresim propugnantes, 938.
Epikeia, 222.
Epileptici, irregulares, 264[1].
Episcopatus, Ordo, 242. — Erectio, 323 ss. — Unitas in Ecclesia, 56. — Perpetuitas, 57.
Episcopi diœcesani successio, 61. — Titulares, 328[1]; — coadjutores, 328[2].
Episcopus, quid, 407 s.; — institutio, 409; — electio, 410; — consecratio, 423 ss. — jura et officia, 426 ss.; — jurisdictionis jura et officia, 432 ss.; — jura utilia, 441; — jura honorifica, 442.
Episcopus proprius, quis, 254. — Translatio, 326, 792 s.; — renuntiatio, 326, 788 ss.; — depositio, 326 s.

Erectio beneficii, 755.
Examen promovendorum ad ordines, 259, 271; — ad beneficium, 439 [3]; — pro concursu parochiali, 440.
Examinatores synodales, 440 [2], 527 [2].
Exarchæ, 379 [3].
Exceptiones in judicio, dilatoriæ, peremptoriæ, 814.
Excommunicatio, major, minor, 897; — effectus, 898 ss. — Excomm. minor hodie sublata, 897.
Excommunicationes latæ sententiæ, speciali modo R. Pontifici reservatæ, 937 ss., — ordinariis reservatæ, 971 ss.; nemini reservatæ, 974 ss.
Excommunicatus vitandus, 902, 899 III; — toleratus, 901, 899 II.
Exeat, litteræ dimissoriales, 257 [1], 466 [3].
Exsecratio altaris, 711 [4, 5]; — ecclesiæ, 701.
Exemptiones concedere, jus R. Pontificis, 318. — E. Regularium, 585 ss. — Potestas Episcopi in exemptos, 586 s.
Exercitia spiritualia, pro ordinandis, 270, 990; — pro parochis, 496.
Exorcistatus, 245 [1].
« **Exsequatur** », quid, 94.
Exspectationes beneficiorum prohibitæ, 769.
Extinctio beneficii, 764.
Extrajudicialis processus, 358, 911 ss., 802 s., 856 ss.
Extravagantes, pars juris canon., 202.
Extremæ Unctionis ministratio prohibita religiosis, absque parochi licentia, 586, 964; — præsumentes, excomm., 964.

F

Fabricæ ecclesiarum, 798 ss.
Facultates theologiæ, juris canonici, etc. (in Universitate), 637.
Falsæ decretales, 179 ss.
Falsarii litterarum apostolicarum excomm., 946.
Famæ defectus, irregularitas, 264 [6].
Familiaritas, titulus ordinationis, 254 [4].
Fatalia appellationis, 852 ss.
Fautores hæreticorum, excomm., 937 [4]; — duelli, 953 [2]; — sectarum damnatarum, 954 [2]
Febronii doctrina, 95 ss., 1052 s.
Feniani, secta damnata, 954, 1°.
Festa anni liturgici, 685 s.
Festos dies instituendi, etc. jus, 687.
Fidei conservatio, 646; — propagatio, 647; — professio, a quibus emittenda, 300, 459, 489, 649. — Symbola, 648.
Filii temperantiæ, secta damnata, 954 [1].
Fœdus imperfectum utriusque potestatis, Ecclesiæ et Imperii, 1045 ss.
Forum ecclesiasticum, competentia, 806 ss.
Forum sæculare, recurrentes ad hoc, excomm., 943 [2].
Fructus beneficii, 797.
Fugitivus religiosus, 580.
Functiones episcopales, 427; — parochiales, 487 s.
Fundationes piæ, 747 ss.

G

Gallicanismus politicus, 1052 ss. — Libertates gallicanæ, falsitas, 149 ss.
Gallicanum systema, confutatio, 154. — Gallicanum jus legitime nunc vigens, 155 ss.
Generales ord. Regularium cum capitulo regulari, potestas legislativa, 67 III.
Gerontocomia, 642.
Glossæ decretalium, 205.
Gradus academici, 637.
Gratiæ tribunalia, 368 ss.
Gratiani decretum, 190 ss.

H

Habitatio clericorum cum mulieribus, 287 [4].
Habitus clericorum, 291 s.
Hæresis, ejusque pœnæ, 868 ss. — Irregularem facit, 266 [1], 869.
Hæretici, qui, 937 [2]; — iis credentes, *ib.* [3]; — receptores, fautores, *ib.* [4]; — eorum libros legentes, 939 [1]. — defendentes, 939 [4]. — H. subjacent legibus eccles. ratione baptismi, 85 s. — Communicatio cum hæreticis, 870
Hierarchia, 232. — H. jurisdictionis, 301 ss.
Historia ecclesiastica, scientia subsidiaria juris canonici, 41 ss.
Homicidium, causa irregularitatis, 877.
Honoraria missarum, 741.
Horæ canonicæ. — Origo, 676; — notio, 678; — numerus, 679; — obligatio ad horas, 680, 575 § 4.
Hospitalia, 641 ss.; — eorum species, 642. — Auctoritas Episcopi in H., 643.

I

Idea legum ecclesiasticarum, 47.
Ignorantia excusat a censura, 894 [5].
Illegitimi, irregulares, 263 [1].
Imagines sacræ, 722 s.
Immunitas clericorum, 279 ss.; — asyli, eam violantes, excomm., 955. — Immunitatem personarum eccles. violantes, excomm., 944. — Congregatio immunitatis eccles., 364 IV.
Impedientes acta S. Sedis, excomm. 945. — Imped. exercitium jurisdictionis eccles., excomm., 943.
Imprimentes libros hæreticos, 939 [3]. — Impr. libros de rebus sacris tractantes, sine approbatione Ordinarii, excomm., 978.
Impuberes, quoad censuras, 891, 952 A [1],

Inamovibilitas parochorum, 486 [1], 752 [1].
Incorporatio beneficii, 757.
Independentia Ecclesiæ et Status, 1012 ss. — I. Ecclesiæ quoad magisterium et ministerium, 1017 s.
Index librorum prohibitorum, 657 ss.
Indulgentiæ pro defunctis, 625.
Infamia, juris, facti, 264 [6], 930 [1].
Infans. — Baptismus quoad infantes Judæorum, 611.
Infideles relate ad Ecclesiam, 85 s.; — sunt ad veram fidem vocandi, 609 ss.
Informationis processus, 691.
Ingressus in Ecclesiam, 609 ss.; — in statum religiosum, 557 ss.
« **Informata** conscientia, » vid. *Suspensio*.
Inhabilitas, 931 III.
Innovatio beneficiorum, 756 ss.
Inquisitio, 839.
Insignia S. Pontificis, 334 [2]; — Cardinalium, 350; — archiepiscoporum, 384 s.; — Episcoporum, 442 [2]; — Canonicorum, 449 [3].
Inspectio ocularis, 823.
Installatio, 771, 775.
Instantia, quid, 801.
Instituta religiosa, 541.
Institutiones Lancelotti, 203.
Institutio, 771; — canonica, 772; — authorizabilis, 774; — corporalis, 775; — theologica, 1021 [2].
Instructio S. Congr. Episc. et Reg. quoad modum procedendi in causis clericorum, 856 ss. — Instr. S. C. Propag Fid. quoad suspensiones « ex informata conscientia », 913 ss.
Instrumenta ad probandum idonea, 825.
Interdicta latæ sententiæ, 999 s.
Interdictum (censura). — Definitio, divisio, 919; — extensio, 920; — modus illud ferendi, 921; effectus, 922. — Violantes, 923 [1].
« **Internationales** », secta damnata, 954.
Internuntii, 396.
Interpretatio legum, 215, 218 ss.
Interrogatoria, 822.
Interstitia inter Ordines, 272 [2].
Inthronizatio, 775.
Intrusus. — Instructio S. Pœnitentiariæ quoad intrusos, 950, Qu. — Intrusus in cathedralem vacantem, excomm., 950.
Inventarium bonorum Ecclesiæ, 800.
Investitura, 771, 775 [2].
Irregularitas, ejus notio et species, 262. — Ex defectu corporis, 263; animi, 264; — ex delicto, 265 s.
Isidori Mercatoris (Pseudo-Isidori) falsæ decretales, 179 ss.
Isidori Hispalen. collectio, satis accurata, 177 [2].
Ivonis Carnutensis Pannormia 177 [3].

J

Jejunium, naturale, ecclesiasticum, 681; — forma, 682. — Dies jejunii : Jej. quadragesimale, 683 [1]; Quatuor tempora, *ib.* [2]. Vigiliæ *ib.* [3].
Jesuitarum vota, 538 ss.
Judex, ordinarius, delegatus, 804.
Judices synodales, 527 [2].
Judicium, quid, 801.
Jura Ecclesiæ quoad personas sibi necessarias, 1021. — Summi Pontificis, 309 ss. — J. majestatica, 1053 [2]. — J. societatum perfectarum ad invicem, 1033 s. — J. stolæ, 740, 742, 744.
Juramentum, jusjurandum, 827. — J. fidelitatis, a quibus præstandum, 300. — J. calumniæ, 820.
Jurati judices, 264 [5].
Jurisdictio. — Definitio et species, 301 ss. — Ordinaria, delegata, 302. — Jurisdictionis exercitium impedientes, excomm., 943. — J. usurpantes, excomm., 948.
Jurisprudentia canonica, 20.
Jus. — Notio *(in genere)* : objective : complexio legum; — subjective : scientia legum, 2. — Origo, falsa systemata, 3. — Vera origo, 4. — Corollaria, 5. — Variæ species : J. naturale et positivum, 6; divinum et humanum, 7; ecclesiasticum et civile, 8 ss.
Jus canonicum. — notio : nomina, 11 s.; — definitio, 13; — divisio, 14 ss. — J. c. qua scientia, 19 ss.; — utilitas, necessitas, 28 ss. — Adminicula J. c., 32 s. — Jus liturgicum, 671 ss. — Jus asyli, 700.
Jus canon. nationale, 145 ss. — J. cavendi, 97, 1052 [2]; — devolutionis, 1051 [1]; in sacra, 1051; — supremæ inspectionis, 314 ss. — Jus inspectionis episcopi, 432, 1019; — eccles. leges ferendi, 316, 435, 1019 II; — judicandi et puniendi, 117 ss.; 1019 III.
Jus patronatus, 773. Definitio, origo, jura, obligationes patroni, *ib.*; — amissio juris patr., 773 [5].
Jus novissimum, quid, 207 ss.
Justitiæ tribunalia romana, 355 ss.
Juventus, institutio religiosa, 429.

L

Laici, 609 ss. — Eorum officia, 614 ss.; — jura, 617 ss. — Collegia, 630.
Lancelotti Institutiones, 203.
Lectio S. Scripturæ, 651.
Lectoratus, ordo minor. 245 [1].
Legata pia, 747 s.
Legati Rom. Pontificis, 67. — Institutio, 386 ss. — Variæ species, 390 ss. — L. nati, 393; — L. missi, 394; — L. a latere, 395 ss.
Legislativa potestas in Ecclesia, 49,

ss. — R. Pontificis, 316; — Episcopi, 435.
Legislator supremus, unus, S. Petrus, 53 ss.
Legislatores in Ecclesia, 48 ss.; 63 ss.
Lenitatis defectus, irregularitas, 264 [5].
Lex. — Conditiones ad naturam legis, 70 ss. — Objectum L. eccles., 74 ss. — subjectum, 84 ss. — Promulgatio, 87 ss. (V. *Promulgatio*). — Acceptatio, 92 ss. — Duratio legum, stabilitas, 108 ss. — Interpretatio, 215; 218 ss. — Cessatio, 111. — Leges vel decreta edentes contra libertatem et jura Ecclesiæ, excom., 944 [2].
Libellus (in lite), 811.
« Liberi Muratores », secta damnata, 954 [1].
Libertas conscientiæ, cultuum, 1077 s. — Libertatem matrimonii violantes, excomm., 981; — L. ingrediendi religionem violantes, 982. — Libertates gallicanæ, 150, 1052 [1]. — Libertatis defectus quoad ordines, 263 [2].
Libri liturgici, 674, 652.
Libri prohibiti, 657 ss. — Libros hæreticorum legentes, 938; — retinentes, imprimentes, 939. — Librorum censura, 652; — prohibitio, 654.
Licentiatus, gradus academicus, 637 [2].
Limina Apostolorum, visitatio, 315.
Lintea altaris, benedicenda, 715.
Lis, 801. — Litis contestatio, 819, 844.
Litteræ apostolicæ, 127 ss. — L. commendatitiæ seu testimoniales, 257 [2]; — pro admissione in ordinem religiosum, 560. — L. remissoriales, compulsoriales, 691 [5], 854; — dimissoriæ, reverentiales, refutatoriæ, 853; — dimissoriales, 256 ss.; quis concedere potest, 258. — L. formatæ, 257 [3].
Liturgia, 670 ss. — L. Ecclesiarum Occidentalium, Ritus latinus, 673 [2]; — Orientalium, 673 [1]. — LL. illegitimæ, 674 [3].
Loca sacra, 694 ss. — L. sancta, 710.
Locatio bonorum, 734 ss., 799 [3], 976.
Lusus clericis prohibitus, 290.

M

Magisterium Ecclesiæ, 646 ss. — Episcopi, 427 ss.
Magistratus, contra violatores clausuræ non præbens auxilium, excomm., 983.
Majestas, quid, 1053 [2].
Majoritas seu Præcedentia, 296 ss.
« Manus mortua », lex, invalida, 725.
Manus violentas injicere, quid, 952.
Mappæ seu tobaleæ altaris, benedicendæ, 715.
Massonica, secta damnata, 627 [2], 954.
Matricularii, 799.
Matrimonii libertatem violantes, excomm., 981.
Mazziniani, secta damnata, 954 [1].
Medicinæ praxis, clericis prohibita, 289.
Mendicantes regulares, 547 [5], 551.
Mensa (quoad excomm.), quid, 900 II.
Metropolitæ — institutio, 374 s.; origo, 380; — jura et insignia, 381 ss
Metus, an excuset a censura, 894 [6].
Militares ordines, 547, 551.
Militia, clericis prohibita, 289.
Miracula, quoad canonizationem, 363 [2], 691.
Missa conventualis, 459 [3]. — Missæ pro defunctis, quando celebrandæ, 623. — Missarum reductio, 751; — stipendia, 741; — ea colligentes ob lucrum, excom., 962.
Missionis Congregatio, 541, 990.
Monarchia, quid, 68; — in Ecclesia qualis, 69.
Monasteriorum origo, 549 ss.; — erectio, 556.
Moniales, 552 [4]; — regimen, 600; — visitatio canonica, 601; — confessarius, 602, 608. — M. sine clausura, 603. — Conscientiæ aperitio, 607 s. — M. post votum solemne, matrimonium contrahere præsumentes, excom., 971. M. in Gallia, 539.
Monitio quoad censuras, 893, 908.
Monitorium, 903.
Montes pietatis, 644.
Mors christiana, 619.
Mulieres, 261 [2], 287 [1], 600, 628, 952 B., 956 s., 972, 980 ss.
Munus a manu, a lingua, ab obsequio, quid, 875 [3].
Mutilatio, irregularitas, 264 [5], 266 [4].
Mutua petitio (in judiciis), 815.

N

Natalium defectus (quoad Ordines), 263 [1].
Negotia clericis prohibita, 289.
Neophyti (quoad Ordines), 264 [3].
Nomocanon, 170, 172.
Nosocomia, quid, 642.
Notarius, 805.
Novitiatus, 561. — Novitiorum receptio, admissio, 562.
Novum et Vetus Testamentum, fons juris canonici, 37 s.
Nuntii Sedis Apostolicæ, 396; — jura, 399.
Nuptiarum benedictio, 665 VI.

O

Obedientia canonica, 299. — Obed. votum, 535 ss., 574.
Oblati, 547 [5].
Oblationes, 740 ss.; — casuales, 743.
Oblectamenta clericis prohibita, 290.
Obreptio in rescriptis, 132 [3].
Observantia votorum, 572 ss.
Œconomus capitularis, 467 s.; — parochialis, 498.

Officialis, 473 [3], 468, 805.
S. Officii Congregatio, 359.
Officium defunctorum, 624.
Officium divinum in choro, 459. — — Origo, 676 ss.; — notio, 678. — partes, 679; — obligatio, 575, 680.
Oleum infirmorum, benedictio, 666.
Oracula vivæ vocis, 127.
Orare (quoad excom.), quid, 900 II.
Oratio, publica, privata, 678.
Oratorium publicum, privatum, 704. — A quo conceditur, 705. — Conditiones requisitæ, 706.
Ordinandorum qualitates, 260 ss.; — scrutinia, 271.
Ordinarius, 302, 405, 407 s, 474, 593, 691.
Ordinatio, quid, 251; — abusus, 266 [2]; — locus, 273; — tempus, 272; — tituli, 267 ss.
Ordo (Sacramentum), quid, 233. — Diversitas, 241; — majores, 244; — minores, 245; — minister, 251 ss.; — abusus, 266 [3]. — Potestas Ordinis, 233, 240, 666 s.
Ordo (Religio), approbatio, 553. — Ordinum varietas, 545 ss. — Erectio conventuum, 556. — Ordines vitæ contemplativæ, mixtæ, activæ, 547.
Orphanotrophia, quid, 642.
Os (quoad excomm.), quid, 900 II.
Ostiariatus, Ordo minor, 245.

P

Paleæ in decreto Gratiani, 191.
Pallium R. Pontificis, 334 II; — insigne Primatum, Metropolitarum, 385.
Papa. — V. *Pontifex Romanus*.
Paramenta sacra, 715 s.
Parochia, 480 ss.; — Parochus, *ib.* — Parochiale munus, 483 ss.; — Jura et officia, 487 ss.; — Jus erga Regulares, 590.
Patena, materia, consecratio, 712.
Patriarchæ. — Institutio, 374 s.; — origo, 376 ss.; — jura et insignia, 381 ss.
Patrimonii titulus, 268 [2].
Patrimonium pauperum, 781.— Bona patrimonialia, 776.
Patronatus, Patronus, 773.
Paupertatis votum, 535 ss ; 573.
Peculium religiosorum, 573; — clericorum, 776.
Pensio beneficialis, 752 [4], 763 [3], 788, 789 [4], 875 [2], 959.
Pensiones canonicis in Gallia solutæ, 457, 776 [3].
Percussio clerici, enormis, gravis, levis, 952 B. — Pœnæ, 278, 942, 952.
Peregrinationes, 710 [2].
Permutatio beneficii, 791.
Personatus, 453, 754 [2].
Placitum regium, 94. — Origo, 95. — Confutatio, 96 ss.
Pluralitas beneficiorum, prohibita, 786 s.
Pœna ecclesiastica, 879. — Objectum, 887. — P. variæ, 880 ss.; medicinales, vindicativæ, 882; vindicativæ, 929 ss. — P. a jure, ab homine; latæ sententiæ, 884. — P. contra clericos, 929 [2] ss. — P. in violatores proprietatis Ecclesiæ in bona eccles., 733.
Pœnitentia, 882, 547 [4].
Pœnitentiaria Romana, 370. — Pœnitentiarius major, 370 [1]; — minor, *ib.*; — canonicus, 454.
Politicorum systemata quoad dominationem Status in Ecclesiam, 1052.
Pollutio ecclesiæ, 702; — cœmeterii, 709; — altaris, 711.
Pontifex Romanus, 308 ss. — Jura in genere, 309 ss.; — auctoritas, 311, 316; — *supremus* legislator, 316; — judex, 316 [2], 317 ss.; — dispensator, 316 [3]; — privilegiator, 318; — administrator, 318 ss. — Jura magisterii, 313; — jura honorifica, 334; — dignitates, 335. — Ejus electio, 329 ss.; — ritus electionis, 333 — Potestas temporalis, 336 ss., 1048 [2], 1049 [2]. — Potestas in diœceses et Episcopos, 323 ss. — An Papa possit renuntiare, 310; — an deponi, 341.
Portio canonica, quid, 441 [3].
Postulatio Prælatorum, 420.
Potestas legifera, 49 ss., 435 s. — P. suprema in Ecclesia, 53 ss. — P. temporalis S. Sedis, 336 ss. — P. indirecta Ecclesiæ in societatem civilem, 1040 ss. — P. jurisdictionis, 234 ss.; — ordinis, 233 ss. — P. dispensandi, 114; — judicandi, 117 s.; — coercendi, 119 ss. — P. civilis, independens in suo ordine, 1013. — P. Ecclesiæ independens, 1014. — P. dominativa in religiosos, 591 ss., 405.
Potestates duæ præsunt rebus humanis, 1010; — earum differentiæ, 1011; — mutua relatio (auxilium) ad invicem, 1024 ss.
Præbendæ, 456.
Præcedentiæ ordo, 296 ss.
Præconizatio, quid, 422.
Præfecti apostolici, 401.
Prælati regulares, 403 ss., 593 ss.; — *nullius*, 404 [4], II [3].
Præsumptio, legis, juris, hominis, 826.
Pragmatica sanctio, in Gallia, 1050 [4].
Presbyteratus, 242 s.
Presbyterium, 445.
Primates, institutio, 374 s.; — origo et potestas, 379, 381 s.; — insignia, 384 ss.
Primatus in Ecclesia, perpetuitas, 57; — jura et officia, 309 ss. — Pr Ecclesiæ quoad societates civiles catholicorum, 1035 ss. — Pr. Ecclesiæ in Imperium, 1048 ss.
Primicerius, quid, 453.
Primitiæ, 745.

Principes, eorum officia erga Ecclesiam, 1029 ss.
Privatio officiorum et beneficiorum ecclesiast., 899, 931. — Pr. communicationis politicæ, 900.
Privilegium, in genere, quid, 138; — quotuplex, 139; — acquisitio, 140; — effectus, usus, 141. — Interpretatio doctrinalis, 143. — Quando exhiberi debeat Ordinariis, 142. — Amissio, 144.
Privilegium clericorum — canonis, 275 ss; — fori, 281; — violantes, excomm., 944. — Pr. servitiorum, 280; competentiæ, 282.
Privilegia Episcoporum, 442 [3]; — Regularium, 584 ss.
Probatio, plena, semiplena, 821 s.
Processiones, 710 [1].
Processus summarius, 803 [3]; — civilis, 811 ss.; — criminalis, 837 ss.
Procuratio canonica, quid, 441 [1].
Procuratores (in judicio), 805.
Professio fidei, a quibus emittenda, 300; — a Canonicis, 459; — a Parochis, 489.
Professio religiosa, 566 ss.; — definitio, 566; — tempus, 567; — conditiones, 568; — effectus, 569; — quid, si invalida, 570.
Promotor, 805, 363, III [2].
Promulgatio legis, necessaria; 87; — modus, 89. — P. legis Pontificiæ Romæ, 90 s.
Pronuntii, 396.
Propagandæ fidei S. Congregatio, 361.
Protestantismus dissolvit Christianitatem, 1050 [5].
Protestantium systemata (episcopale, collegiale, territoriale) quoad jura Ecclesiæ et principes sæculares, 1051.
Protonotarii, 343 [2].
Provisio beneficiorum, 765 ss.
Psalmodia. — Origo, 676; — modus, 678; — obligatio, 575, 680.
Ptochotrophia, quid, 642.
Puellæ caritatis, 541 [3], 552 [4], 603, not.

Q

Quæstio (in judicio) quid, 801.
Qualificatio propositionum damnatarum, 653.
Quarta canonica, 441 [3]; — funeralis, 629 [3].

R

Raptores mulierum, excomm., 980.
Reactio Status in Ecclesiam, 1050.
Reconventio, 815.
Recurrentes ad forum sæculare, excomm., 943 [2]; — ad laicam potestatem ad impedienda acta S. Sedis, 945.
Redemptoris (SS.) congregatio, 541, 552.
Reductio onerum fundationis, 751.
Referendarii, 805.
Regalia jura (*Regale*), 159.
Regimen Ecclesiæ, forma genuina, 69. — Falsa systemata, 68. — R. Regularium, 591 ss.; — Monialium, 600 ss.
Reginonis Prumiensis collectio, 177 [4].
Regulæ Cancellariæ, 209. — R. religiosæ, 546, 575. — R. Indicis libror. prohib., 658 ss. — R. Juris, 215 ss.
Regulares, 532 ss. — Obligationes: tendendi ad perfectionem, 571; — observantiæ votorum et regulæ, 572 ss.; — persolvendi Offic. divinum, 575; — stabilitatis, 579. — Quid, si ad parochiam vel Episcopatum assumpti, 583. — Jura, 584 ss.; — privilegia et exemptiones, 585 ss. — Regimen, 591 ss. — Sepultura, 628 s. — Matrimonium contrahere præsumentes, excom., 971.
Relationes Ecclesiæ et Status, 1010 ss., 1022 ss., 1033 s. — Earum conspectus historicus, 1043 ss.
Relationes Episcopi de statu diœceseos ad Papam, 314 s.
Relationes societatis civilis ad heterodoxos, 1077 ss.
Religiosus apostata, fugitivus, 580 [1].
Reliquiæ Sanctorum, 718; — earum cultus, 719; — approbatio, 720.
Renuntiatio, 788 s.
Reparatio ædificiorum eccles., 696.
Res benedictæ, 714 ss.; — sacræ, 711 ss.; — sanctæ, 717.
Reservatio beneficiorum, 754 [2], 767, 209, 451.
Res judicata, quid quoad vim, 832 ss.
Res temporales Ecclesiæ, 724 ss.
Rescripta Pontificia, 130 ss.
Residentia — Episcopi, 433; — Canonicorum, 459 [4]; — Parochorum, 490; — beneficiatorum, 783. — Causæ excusantes a residentia, 785.
Resignatio beneficii, 788 ss; — episcopatus, *ib.*
Restitutio in integrum, 845 [3].
Reus, 804; ejus citatio, captura, 840; — examen, 841 ss.
Richerii error, 53.
Rota Romana, 365. — Decisionum auctoritas, 365 [4].
Rubricæ decretalium, 205.

S

Sacerdotium, duplex, 242 s.
Sacramenta, 30 [3], 74, 81, 233 ss., 430, 904.
Sacramentalia, 661; — institutio, 662; — efficacia, 663.
Sacrificium, 675.
Sacrilegium est violatio dominii ecclesiastici, 732.
Sæcularizatio regularium, 581; — capituli, 446.
Sanctificatio hominum, 74, 645. — *Sanctus*, quis, 688.
Schisma, Schismaticus, 871; — ejus pœnæ, 872 s. — Schismatici, perfecti,

imperfecti; quinam sunt, quinam non sunt excomm., 940.
Scholæ, 631. — Jus Ecclesiæ erga scholas, 632 s. — Sch. elementares, 634; clericales, quid, 249; — secundariæ (humanitatum), 635.
Scientia juris canonici, 19 ss. — Sc. subsidiariæ juris can., 32 ss. — Sc. requisita ad Ordines, 264 [2].
S. Scriptura, fons juris canon., 37 s. — Lectio, 651.
Scrutinium ordinandorum, 271; — forma electionis, 333 [3], 419, 467.
Secretaria apostolica, 373; — Brevium, *ib.*, 373 [2]; — Status, *ib.* [3].
Seminaria, 250, 1021 [2], 763 [4].
Sententia (in judicio), 830 ss.; — ejus executio, 835 s.
Separatio absoluta Status ab Ecclesia, reprobanda, 1023.
Septimus decretalium, 210 s.
Sepulcrum altaris, 711 [2].
Sepultura ecclesiastica. — Ritus, 626. — Qui sunt indigni, 627. — S. pertinet ad jura Parochi, 629. — Jus eligendi, 628. — Sepelientes quemcumque notorie excommunicatum, excom., 974.
Servus Dei, quis, 688.
Signatura gratiæ, 369; — justitiæ, 367.
Simonia, 874; — juris divini, eccles., 875 [1]; — mentalis, realis, conventionalis, confidentialis, *ib.* [2]. — Pœnæ, 794, 876. — S. realis in beneficiis, excomm., 958; — confidentialis, excom., 959. — S. Realis ob ingressum in religionem, exc., 960.
Societas perfecta, quid, 49. — Ei competit legifera potestas, 50. — Societatum perfectarum jura ad invicem, 1033 s.
Societates occultæ, 954.
« Socii singulares », secta damnata, 954
Solidarii » secta damn., 954.
Solemnitas votorum, 538 ss.
Sollicitationis crimen, 977.
Spectacula, clericis prohibita, 290.
Stabilitas legum, 108 ss.; — regularium, 579.
Status belli inter Ecclesiam et Imperium, 1043 s.
Status civilis independentia, quid, 1012 s.
Status et Ecclesiæ relationes, 1010 ss.
Status dominatio in Ecclesiam, 1050.
Status ab Ecclesia divisio, 1058 s. — Statuum agendi ratio erga Ecclesiam, 1059; — erga heterodoxos, 1077 ss.
Status clericalis. — Præparatio ad eum, 248 ss.
Status religiosus, 532 s.; — ejus finis, 534; — media, 535 s.; — origo et institutio, 542 ss.; — admissio in St. rel., 557 ss.
Statuta diœcesana, 527 s.; — capitularia, 461 s; — regularium, 575, 598.
Stipendium missarum, 741. — Circa stipendia miss. laici mercimonio cooperantes excomm., 973; — *item* clerici suspend., 998.
Stolæ jura, 742, 744.
Subdiaconatus, 244 [2].
Subordinatio Ecclesiæ ad Statum, reprobanda, 1038 [4]. — In quibus potestas civilis subordinatur Ecclesiæ, 1039.
Subreptio in rescriptis, 132.
Succursalistæ, amovibiles, 486.
Suffragia pro defunctis, 620 ss.
Summaria decretalium, 205.
Superflui reditus clericorum, 779 ss.
Superiorissæ monialium, 600 ss.
Suppressio beneficii, 764.
Suspensio. — Definitio, 904; — species, 905. — Potestas ferendi suspensionem, 906. — Subjectum, i. e. clerici, 907; — causa, forma, 908; — effectus, 909. — Violans suspensionem, *ib.* B. — Absolutio, 910. — Susp. ex informata conscientia, 911 s. — Instructio S. C. Propag. quoad susp. ex inform. conscientia, 913 ss.
Suspensiones latæ sententiæ, 984 ss.
Sustentatio congrua, honesta clerici, 782.
Symbola fidei, 648.
Synodus diœcesana, 66, 525 ss.
Systema gallicanum, 154, 1052 [1].
Systemata politicorum quoad Ecclesiam et Statum, 1052. — S. Protestantium quoad Eccle. et St., 1051.
Systemata falsa originis juris, 3.

T

Tabelliones, 805.
Taxa seminarii, 763 [4].
Tertiarii, 547 [4].
Testes (in judiciis), 824.
Testimoniales litteræ, pro admissione in Ordinem, 560.
Tiara R. Pontificis, quid, 334 II.
Titulus Ordinationis, 267 ss.: beneficii, patrimonii, paupertatis religiosæ, 268; — missionis, 269 [1]; — servitii ecclesiæ, 269 [2]; — mensæ, 269 [3].
Theologalis canonicus, 454.
Tonsura, quid, 246; — effectus, 247, 952 A; — lex, 291 s.
Traditio. — In usu juris canon., 36.
Transitus ad alium ordinem seu religionem, 582.
Translatio beneficii, 764, 792; — beneficiati, 792 s., 931; — Episcoporum, 792 s.
Tribunalia Romana, 365 ss.
Tridentinum Concilium, 519 [18].
Trullanum Concilium, 520.

U

Unio beneficiorum, 756 ss.
Universitates studiorum, 636; — institutio, facultates et gradus, 637. — U. velut scholæ clericales, 249 [2].

Usurpantes jurisdictionem, bona, etc., Ecclesiæ, excomm., 948. — *Item...* Ecclesiæ Romanæ, 949.

V

Vacatio libera beneficiorum, 788 ss.; necessaria, 794 s. — Observanda tempore vacationis, 796 s.
Vale (quoad excomm.), quid, 900 II.
Vasa sacra, 712, 714.
Vaticanum Concilium, 519[19].
Velum calicis, non benedicendum, 715.
Venatio, clericis prohibita, 290.
Venerabilis servus Dei, quis, 688.
Vestes sacræ, 716. — Vestis clericalis, 291.
« **Veteres catholici** », — schismatici, 940.
Via crucis, 710[3].
S. Viaticum parochianis ministrare, absque licentia parochi, religiosi præsumentes, excomm., 964.
Vicarii apostolici, 392, 400 ss.; — gaudent potestate legislativa, 67 II. — V. parochorum, 497 ss.
Vicarius capitularis, gaudet potestate legislativa, 67 II. — Ejus electio, 468; — dotes, 469; — potestas, 470. — Quid de intruso vicario capitulari, 950. V. generalis, 471; — notio, institutio, 472 s.; — potestas, 474 s. — V. perpetuus, curatus, 497; — temporalis, 498 ss.; — foraneus, 478.
Vigiliæ quoad jejunium, 683[3].
Violantes libertatem matrimonii contrahendi, 981.
Violatio censuræ, 895[2]; — suspensionis, 909 B; — asyli ecclesiastici, 955; — clausuræ monialium, 956.
Visitatio canonica monialium, 601; — diœcesis, 434; — SS. Liminum Apostolorum, 315.
Visitatores regularium, 575.
Vita communis, 543[2], 565; — religiosa, 534 ss. — Diversæ vitæ religiosæ periodi, 548 ss.
Vocatio divina ad statum religiosum, 357[1].
Votorum dispensatio, 581; — emissio, 566 ss.; — solemnitas, 538 ss. — An impediri possit per legem civilem, 539. — Differentia votorum solemn. et simplicium, 541. — Votorum solutio per R. Pontificem, 581. — Votorum observantia, 572 ss. — Votum solemne dirimit matrimonium, 538.

X

Xenodochia, 642.

INDEX SYNOPTICUS

	Pag.	Num.
Approbatio operis	v	
Monitum editoris	vii	
Præfatio auctoris	ix	
Prænotiones	1	1
§ 1. Notio juris	»	
I. Diversæ acceptiones vocis jus	»	2
II. Origo juris	2	3
III. Juris distributio in varias species	3	6
§ 2. Notio juris canonici	4	
I. Nomina jur. can.	»	11
II. Definitio	5	13
III. Divisio	6	14
§ 3. Juris canonici scientia	8	
I. Definitio scientiæ canonicæ	»	19
II. Scopus	»	21
III. Discrimen inter jus canonicum et theologiam	9	
1. Discrimen historicum utriusque scientiæ	»	23
2. Discrimen logicum	10	26
IV. Utilitas et necessitas juris canonici	11	28
§ 4. Adminicula juris canonici	13	
I. Scientiæ juridicæ velut subsidia juris canonici	»	
1. De usu juris naturalis in jure canonico	»	33
2. De usu juris divini positivi in jure canonico	14	35
A. De usu Legis Novæ	»	36
B. De usu Veteris Testamenti	15	38
3. De usu juris civilis in jure canonico	16	39
II. Scientiæ historicæ velut subsidia juris can.	»	
1. Utilitas historiæ ecclesiasticæ in jure can.	»	41
2. Criticæ necessitas et officia	17	42
§ 5. Partitio institutionum canonicarum	»	44

PARS GENERALIS

PRINCIPIA SCIENTIÆ CANONICÆ 19 46

LIBER PRIMUS

DE IDEA LEGUM ECCLESIASTICARUM 20 47

TITULUS I

De legislatoribus in Ecclesia. 20 48

Caput I. Existentia legiferæ potestatis in Ecclesia	»	49
Caput II. Varii legislatores	22	
Art. I. Legislatores a Christo instituti	22	
§ 1. Potestas suprema	»	
I. Subjectum in quo residet potestas suprema	»	53
II. Nexus inter Primatum et Episcopatum	23	56
§ 2. Potestas subordinata	24	58
I. Singuli apostoli	»	59
II. Episcopi diœcesani	25	61

	Pag.	Num.
Art. II. Legislatores ab Ecclesia instituti	27	63
§ 1. Concilia particularia velut legislatores	»	
I. De conciliis plurium Episcoporum	»	64
II. De synodo diœcesana	»	66
§ 2. Personæ jurisdictionem obtinentes	»	67
Caput III. Conclusio de forma regiminis Ecclesiæ	28	68

TITULUS II

De conditionibus ad naturam legis pertinentibus. 30 70

Caput I. Conditiones necessariæ ad legem inducendam	31	73
Art. I. De objecto et subjecto legis ecclesiasticæ	»	
§ 1. De objecto legis ecclesiasticæ	»	74
I. De canonibus dogmaticis	32	75
II. De canonibus morum	»	77
III. De Canonibus disciplinaribus	33	80
§ 2. De subjecto legis ecclesiasticæ	35	84
Art. II. De promulgatione et acceptatione legis	36	
§ 1. De legis promulgatione	»	87
§ 2. De legis acceptatione	38	
I. De acceptatione legis a fidelibus	»	92
II. De acceptatione legis ecclasiasticæ a principibus seu de placito regio	»	94
1. Illius origo	»	95
2. Confutatio istius systematis	39	96
III. De acceptatione legis pontificiæ ab Episcopis	41	98
Art. III. De consuetudine	»	
§ 1. Consuetudinis natura et species	42	100
§ 2. Conditiones requisitæ ut consuetudo vim legis habeat	»	101
§ 3. Modi quibus consuetudo abrogatur	44	106
Caput II. Conditiones ad legem firmandam ordinatæ	45	107
Art. I. De legum duratione	»	
§ 1. De stabilitate legum ecclesiasticarum	»	108
§ 2. De mutatione legum ecclesiasticarum	46	
I. De modis quibus fit mutatio legum	»	111
II. De dispensatione	»	113
Art. II. De legum executione promovenda	47	
§ 1. De potestate applicandi leges	»	
I. Potestas judicandi	48	117
II. Potestas coercendi	»	119
§ 2. De sanctione qua muniuntur leges ecclesiasticæ	»	121

TITULUS III

De speciebus legum in Ecclesia, seu de variis modis quibus exercetur potestas legifera. 49 126

Caput I. De exercitio auctoritatis pontificiæ	49	
Art. I. De actis ipsius S. Pontificis	50	
§ 1. De constitutionibus pontificiis	»	127
§ 2. De rescriptis	51	130
Art. II. De actis congregationum romanarum	52	
§ 1. Indoles congregationum romanarum	»	133
§ 2. Multigeneris auctoritas decisionum a Congregationibus romanis editarum	53	135
Caput II. De privilegiis	54	138
Caput III. De jure canonico nationali	57	
Art. I. De jure nationali in genere	»	
§ 1. Notio juris canonici nationalis	»	145
§ 2. Dependentia juris nationalis erga S. Sedem	58	147
Art. II. De jure gallicano	59	
§ 1. Rejicitur gallicanismus	»	149
Libertatum gallicanarum systema	»	150
Istius systematis confutatio	60	154
§ 2. Jus gallicanum legitime nunc vigens	61	155

LIBER SECUNDUS

DE COLLECTIONIBUS CANONUM

	Pag.	Num.
Prœmium. De collectionibus generatim	64	161

TITULUS I

Collectiones juris antiqui. 65 163

Caput I. Canones et constitutiones Apostolorum	»	
Art. I. De canonibus Apostolorum	»	164
Art. II. De constitutionibus apostolicis	66	167
Caput II. Collectiones græcæ	»	169
Caput III. Collectiones latinæ	67	174
Caput IV. Falsæ decretales	69	179
Art. I. Isidorianæ collectionis historia	»	
§ 1. Fata hujus libri	»	180
§ 2. Collectionis origo	70	182
Art. II. Falsarum decretalium auctoritas	71	
§ 1. Earum auctoritas intrinseca	»	185
§ 2. Fictarum decretalium influxus in disciplinam	72	187

TITULUS II

Collectiones juris novi. 73 189

Caput I. Decretum Gratiani	»	190
Caput II. Collectiones decretalium	75	194
Art. I. Decretalium collectiones, a Gratiano ad Gregorium IX	»	195
Art. II. Decretales Gregorii IX	76	197
Art. III. Sextus decretalium, Clementinæ, Extravagantes	77	200
Caput III. Corpus juris canonici	»	203

TITULUS III

Collectiones juris novissimi. 79

Caput I. De partibus quibus constat jus novissimum	»	207
Caput II. De novissimis collectionibus	80	
Art. I. Septimus decretalium	»	210
Art. II. Bullaria et collectiones conciliorum	»	212

LIBER TERTIUS

DE EXPOSITIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM 82

Caput I. Regulæ quibus expositio legum dirigitur	»	214
Art. I. Regulæ authenticæ juris	»	215
§ 1. Regulæ in decretalibus Gregorianis	83	216
§ 2. Regulæ in sexto decretalium	»	217
Art. II. Regulæ doctrinales interpretationis	86	218
§ 1. Regulæ generales	87	220
§ 2. Regulæ interpretationis extensivæ	»	221
§ 3. Regulæ interpretationis restrictivæ	88	222
§ 4. Regulæ interpretationis declarativæ	89	223
§ 5. Regulæ servandæ in conflictu legum	»	224
Caput II. Methodus exponendi leges	90	
Art. I. Methodus in scholis adhibita	»	225
Art. II. Methodus in libris adhibita	»	227

PARS SPECIALIS

	Pag.	Num.
DESCRIPTIO STATUS ECCLESIÆ JUXTA CANONES	92	229

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS ECCLESIÆ	93	230

TITULUS I

De Clericis. 94 232

TRACTATUS I

DE HIERARCHIA ORDINIS »

DISSERTATIO I. — *De potestate Ordinis et diversitate Ordinum.* 95

CAPUT I. Potestas ordinis in genere	»	233
ART. I. Discrimen inter Ordinem et jurisdictionem	»	235
ART. II. Actus Ordinis et jurisdictionis	96	239
CAPUT II. Diversitas Ordinum	97	241
ART. I. Duplex sacerdotium	»	242
ART. II. Ministri majores et minores	98	244
ART. III. Prima tonsura	99	246
DISSERTATIO II. — *De accessu ad Ordines.*	100	
CAPUT I. Præparatio ad statum clericalem	»	248
CAPUT II. De Ordinatione	102	
ART. I. De Ordinationis ministro	»	
§ 1. De ministro validæ Ordinationis	»	251
§ 2. De ministro licitæ Ordinationis	103	
I. De Episcopo proprio ordinandi	»	253
II. De litteris dimissoriis et testimonialibus	104	256
ART. II. De requisitis in ordinando	106	
§ 1. De qualitatibus ordinandorum	»	260
I. Irregularitates ex defectu	107	263
II. Irregularitates ex delicto	109	265
§ 2. De titulo Ordinationis	111	267
ART. III. Regulæ ipsius Ordinationis	113	270
DISSERTATIO III. — *De juribus et obligationibus Clericorum.*	115	
CAPUT I. Jura et obligationes status clericalis	»	
ART. I. De Clericorum privilegiis	»	274
§ 1. Privilegium canonis	»	275
§ 2. Immunitas Clericorum	116	279
I. In quo consistat immunitas personalis Clericorum	»	280
II. Quo jure immunitas fuerit introducta	117	283
ART. II. De obligationibus Clericorum	118	284
§ 1. Præcipua virtutis subsidia	119	285
§ 2. Sanctiones canonicæ de virtutibus Clericorum	»	287
§ 3. Negotia et oblectamenta Clericis prohibita	120	288
§ 4. De vestitu clericali	122	291
CAPUT II. Jura et obligationes diversorum graduum	123	
ART. I. De cœlibatu Clericorum	»	293
ART. II. De majoritate et obedientia	124	
§ 1. De majoritate seu præcedentia	»	296
§ 2. De obedientia et reverentia	125	299

TRACTATUS II

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS

PROŒMIUM. Variæ species jurisdictionis	125	301

	Pag.	Num.
DISSERTATIO I. — *De Summo Pontifice et illius adjutoribus.*	128	308
CAPUT I. De Summo Pontifice	»	
ART. II. De juris Primatus Pontificii	129	
§ 1. De juribus Primatus in genere	»	
I. Ratio determinandi officia et jura Primatus	»	
1. Mensura jurium pontificiorum	»	309
2. Moderamen in exercitio pontificiæ potestatis	130	310
3. Inviolabilitas jurium Primatus	131	311
II. Divisio jurium Primatus	»	312
§ 2. De juribus Primatus in specie	132	
I. De juribus S. Pontificis in universam Ecclesiam	»	
1. Jus supremæ inspectionis	»	314
Visitatio liminum Apostolorum	»	315
2. Potestas legislativa R. Pontificis	133	316
3. Potestas judiciaria R. Pontificis	134	317
4. Potestas administrativa R. Pontificis	»	318
II. De juribus R. Pontificis in singulos episcopatus	137	
1. Jura R. Pontificis in singulas diœceses	»	323
2. Jura S. Pontificis in singulos Episcopos	140	325
ART. II. De persona Summi Pontificis	143	
§ 1. De R. Pontificis electione	»	
I. De potestate R. Pontificis circa electionem sui successoris	144	329
II. De electoribus R. Pontificis	145	331
III. De ritu electionis Pontificiæ	146	333
§ 2. De prærogativis R. Pontificis	147	
I. Jura honorifica R. Pontificis	»	334
II. Variæ dignitates Summi Pontificis	148	335
III. Potestas temporalis R. Pontificis	»	
1. Honestas potestatis temporalis	»	336
2. Legitimi tituli potestatis temporalis	»	337
3. Convenientia et inviolabilitas potestatis temporalis	149	338
§ 3. De amissione Summi Pontificatus	150	339
CAPUT II. De Curia Romana	151	342
ART. I. De collegio Cardinalium	152	
§ 1. Notio Cardinalium	»	
I. Origo et constitutio collegii	»	
1. Origo Cardinalatus	»	344
2. Constitutio collegii Cardinalium	153	346
II. Cardinalium creatio et prærogativæ	154	»
1. Creatio Cardinalium	»	349
2. Cardinalium prærogativæ	155	350
§ 2. Auctoritas collegii Cardinalium	156	
I. Cardinalium auctoritas Sede plena	»	351
II. — — Sede vacante	157	353
ART. II. De Congregationibus Romanis	»	354
§ 1. De Congregationibus Romanis in genere	158	
I. Institutio Congregationum Romanarum	»	
1. Origo Congregationum	»	355
2. Convenientia Congregationum	159	356
II. Constitutio Congregationum Romanarum	160	
1. Constitutio	161	357
2. Modus procedendi	»	358
§ 2. De Congregationibus Romanis in specie	162	
I. Congregationes fidem respicientes	»	
1. Congregatio S. Officii seu Romanæ Universalis Inquisitionis	»	359
2. Congregatio Indicis	163	360
3. Congregatio de Propaganda Fide	164	361
II. Congregationes disciplinam respicientes	»	
1. Congregatio Concilii Tridentini interpres	»	362
2. Congregatio Rituum	165	363
3. Cæteræ Congregationes	166	364
ART. III. De Tribunalibus Romanis	167	
§ 1. De Tribunalibus justitiæ	»	365
§ 2. De Tribunalibus gratiæ	168	368
§ 3. De Tribunalibus expeditionis	169	372

	Pag.	Num.
Caput III. De personis quibus pars aliqua pontificiæ jurisdictionis communicatur	170	
Art. I. De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis	»	
§ 1. De illorum institutione	»	374
I. Ratio horum graduum in genere	171	375
II. Origo singulorum graduum	172	376
1. Origo Patriarcharum	»	
A. Patriarchæ juxta veterem disciplinam	»	377
B. Patriarchæ juxta novissimam disciplinam	173	378
2. Origo Primatum seu Exarcharum	»	379
3. Origo Metropolitarum	174	380
§ 2. De juribus et insignibus Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum	»	
I. Illorum jura	»	381
II. Insignia Patriarcharum, Primatum et Metropolitarum	175	384
Art. II. De legatis	177	
§ 1. De legatorum institutione	»	
I. Ratio hujus dignitatis in genere	»	386
II. Historia et variæ species Legatorum	178	390
Prima periodus : Apocrisiarii et Vicarii Apostolici	»	391
Secunda — : Legati nati et Legati missi	179	393
Tertia — : Legati a latere et Nuntii Apostolici	180	395
§ 2. De juribus Legatorum	»	
I. Potestas communis omnibus Legatis	»	397
II. Jura Legatorum a latere	181	398
III. Jura Nuntiorum	»	399
Art. III. De Prælatis infra Metropolitas et Legatos participantibus jurisdictionem pontificiam	182	
§ 1. De Vicariis et Præfectis Apostolicis	»	400
I. Vicarii Apostolici apud missiones	»	401
II. Vicarii Apostolici apud diœceses	183	402
§ 2. De Abbatibus et cæteris Prælatis inferioribus	»	403
I. Variæ prælatorum inferiorum species	184	404
II. Prælatorum inferiorum potestas	»	405
DISSERTATIO II. — *De Episcopo et ejus adjutoribus.*	185	406
Caput I. De Episcopo	»	
Proœmium. Dignitas episcopalis in genere	»	407
Art. I. De institutione Episcopi	186	409
§ 1. De electione	»	410
I. De electoribus	187	411
1. Jus antiquum	»	412
2. Jus Decretalium	188	413
3. Jus novissimum	189	414
II. De regulis electionis	190	418
§ 2. De electi confirmatione	»	421
§ 3. De Episcopi consecratione	192	423
Art. II. De juribus et officiis Episcopi	193	426
§ 1. Jura et officia Episcopi quoad magisterium	»	427
§ 2. — — — quoad sacrum ministerium	»	430
§ 3. Jurisdictionis episcopalis jura et officia	195	
I. Inspectio diœcesis	»	432
1. Residentia	»	433
2. Visitatio diœcesis	»	434
II. Directio personarum	196	
1. Potestas legislativa	»	435
2. Potestas executiva	197	437
III. Administratio rerum	198	438
1. Collatio beneficiorum in genere	»	439
2. Collatio parochiarum	»	440
IV. Episcopi jura utilia et honorifica	200	441
Caput II. De Curia episcopali	201	443
Art. I. De capitulo cathedrali	»	
§ 1. De notione capituli	»	444
I. De institutione capitulorum	»	

	Pag.	Num.
1. Ratio institutionis capitulorum	202	445
2. Erectio capituli et collatio canonicatuum	203	
I. Erectio capituli	»	449
II. Collatio canonicatuum	204	
A. Jus conferendi canonicatus	»	451
B. Dotes ad obtinendum canonicatum	205	452
II. De constitutione capitulorum	206	
1. De membris capituli	»	
I. Diversi honoris gradus in capitulo	»	453
II. Canonicorum præbendæ et obligationes	209	
A. De præbendis	»	456
B. De obligationibus canonicorum	»	458
2. De corpore capitulari	212	
I. Conventus capitularis	»	460
II. Statuta capitularia	213	
A. Jus commune circa statuta capitulorum	»	461
B. Jus capitulare in Gallia	214	462
§ 2. De auctoritate capituli cathedralis	215	
I. De potestate capituli Sede plena	»	463
II De potestate capituli Sede vacante	216	
1. De capitulo Sede vacante	»	464
2. De Vicario capitulari	218	
I. Electio Vicarii capitularis	»	467
II. Potestas Vicarii capitularis	220	470
Art. II. De Vicario generali	»	
§ 1. Origo Vicariatus generalis ab Archidiaconatu	»	471
§ 2. Vicariatus generalis notio et institutio	221	472
§ 3. Potestas Vicarii generalis	222	474
Caput III. De Episcopi adjutoribus in munere pastorali	224	476
Art. I. De chorepiscopis, vicariis foraneis, archipresbyteris et decanis	»	
§ 1. De chorepicopis	»	477
§ 2. De vicariis foraneis	225	478
§ 3. De archipresbyteris et decanis	226	479
Art. II. De Parocho et vicariis parochialibus	227	
§ 1. De Parocho	»	480
I. De Parochorum origine	»	481
II. De Parochorum munere	229	
1 Parochiale munus in genere	»	483
2. Jura et officia Parochorum in specie	231	
I. Jura Parochorum	»	487
II. Officia Parochorum	232	489
§ 2. De vicariis parochialibus	234	
I. Variæ species vicariorum	»	
1. De vicario curato perpetuo	»	497
2. De vicariis temporalibus	»	498
II. Notio vicariorum proprie dictorum	235	499
Scholion. De Capellanis	236	502

DISSERTATIO III. — *De Conciliis.*

Caput I. Notio Conciliorum	237	
Art. I. Conciliorum definitio et species	»	503
Art. II. Origo et utilitas Conciliorum	238	
§ 1. Conciliorum origo	»	505
§ 2. Utilitas Conciliorum	239	507
Caput II. Regulæ de Conciliorum convocatione, celebratione et confirmatione	240	
Art. I. De Concilio generali	»	509
§ 1. De convocatione Concilii generalis	»	510
§ 2. De celebratione — —	242	513
§ 3. De confirmatione — —	243	
I. Necessitas confirmationis	»	517
II. Modus confirmationis	244	518
III. Notitia Conciliorum confirmatorum	245	
1. Concilia confirmata	»	519

	Pag.	Num.
2. Concilia partim approbata, partim reprobata	246	520
3. Concilia reprobata	247	
Art. II. De Concilio nationali	»	521
Art. III. De Concilio provinciali	248	
§ 1. De convocatione Concilii provincialis	»	522
§ 2. De celebratione — —	249	523
§ 3. De recognitione decretorum	250	524
Art. IV. De synodo diœcesana	»	525
§ 1. De convocatione synodi	»	526
§ 2. De celebratione synodi	251	527
§ 3. De confirmatione synodi	252	528
Caput III. Auctoritas Conciliorum	253	
Art. I. Auctoritas Concilii generalis	»	
§ 1. Auctoritas legum Concilii generalis	»	529
§ 2. Auctoritas Concilii comparate ad R. Pontificem	»	530
Art. II. Auctoritas Concilii particularis	254	531

TITULUS II

De regularibus.

Caput I. De natura status religiosi	254	
Art. I. Notio status religiosi	255	532
Art. II. Finis et media vitæ religiosæ	256	534
Art. III. Votorum solemnitas	259	538
Caput II. De vitæ regularis evolutione historica	263	
Art. I. Origo et institutio status religiosi in genere	»	542
Art. II. Ratio varietatis Ordinum	266	545
Art. III. Diversæ vitæ religiosæ periodi	269	
§ 1. Vita regularis ante sæculum IV^m^	»	548
§ 2. Periodus vitæ monasticæ, incipiens a III^o^ sæculo	»	549
§ 3. Periodus benedictina, incipiens a VI^o^ sæculo	270	550
§ 4. Periodus Mendicantium, incipiens a XII^o^ sæculo	»	551
§ 5. Periodus Clericorum Regularium et Congregationum vota simplicia profitentium, incipiens a XVI^o^ sæculo	271	552
Caput III. De legibus quibus regulares subjiciuntur	»	
Art. I. De approbatione Ecclesiæ	272	553
Art. II. De norma ingrediendi statum religiosum	274	
§ 1. De admittendis in statum religiosum	»	557
§ 2. De novitiatu	276	561
§ 3. De professione	277	566
Art. III. De obligationibus regularium	280	
§ 1. Obligatio tendendi ad perfectionem	»	571
§ 2. Observantia trium votorum	»	572
§ 3. Observantia regulæ	281	575
§ 4. Obligationes statui religioso annexæ	282	
De clausura in specie	»	576
§ 5. Obligatio stabilitatis et mutatio status apud regulares	283	579
Art. IV. De juribus regularium	286	
§ 1. Regularium privilegia et exemptio	»	584
§ 2. Habilitas regularium ad munia ecclesiastica	289	588
§ 3. Jus regularium ad sacrum ministerium exercendum	»	589
§ 4. Jus parochorum erga regulares	290	590
Art. V. De regimine regularium	»	
§ 1. Regimen regularium in genere	»	
I. De natura potestatis qua Ordines religiosi reguntur	291	591
II. De subjecto in quo residet potestas regendi Ordines religiosos	»	594
III. De objecto potestatis apud regulares	292	597
§ 2. Conditio quorumdam institutorum religiosorum	293	
I. De monialium regimine	»	600
II. De regimine institutorum religiosorum vota simplicia profitentium	295	604
III. De aperitione conscientiæ	299	607

TITULUS III

De laicis.

	Pag.	Num.
Caput I. De laicis singillatim consideratis	»	
Art. I. De ingressu in Ecclesiam	»	
§ 1. De infidelibus ad veram Fidem vocandis	302	609
§ 2. De baptizandis	»	610
Art. II. De officiis et juribus laicorum	304	
§ 1. Officia laicorum	»	614
§ 2. Jura laicorum	»	617
Art. III. De morte christiana	305	619
§ 1. De suffragiis	306	
I. De suffragiis in genere	»	620
II. De variis suffragiis pro defunctis	307	623
§ 2. De sepulturis	»	626
Caput II. De collegiis laicorum	309	630
Art. I. De scholis	310	
§ 1. De scholis in genere	»	631
§ 2. De variis scholarum speciebus	311	
I. De scholis elementaribus	»	634
II. De scholis secundariis	»	635
III. De universitatibus	312	636
Art. II. De confraternitatibus	313	638
Art. III. De hospitalibus	314	641
De montibus pietatis	316	644

LIBER SECUNDUS

DE MEDIIS QUIBUS ECCLESIA UTITUR 317

TITULUS I

De mediis quibus Ecclesia finem suum consequitur.

TRACTATUS I

DE REBUS SPIRITUALIBUS

DISSERTATIO I. — *De sanctificatione hominum.*	317	645
Caput I. De functionibus magisterium respicientibus	»	
Art. I, Fidei conservatio, definitio et explicatio	318	646
Art. II. Fidei propagatio	»	647
Art. III. Errorum contra fidem profligatio	»	
§ I. De mediis quibus errores præcaventur	»	648
§ II. De mediis quibus errores reprimuntur	320	653
I. Potestas prohibendi libros	»	655
II. Disciplina Ecclesiæ circa libros prohibitos	321	658
Caput II. De sacramentalibus	327	661
Art. I. De sacramentalibus in genere	»	662
Art II. De benedictionibus	328	664
§ 1. Variæ species benedictionum	329	665
§ 2. Ministri benedictionum	»	666
§ 3. Regulæ generales benedictionum	330	668
DISSERTATIO II. — *De cultu divino.*	331	670
Caput I. De jure liturgico	»	671
Caput II. De exercitiis cultus divini	333	675
Art. I. De horis canonicis	»	
§ 1. Origo divini officii	»	676
§ 2. Officii divini notio	334	678
§ 3. Obligatio persolvendi horas canonicas	335	680

	Pag.	Num.
Art. De diebus jejunii	336	
§ 1. De jejunio in genere	»	681
§ 2. Dies jejunii	»	683
Art. III. De festis anni liturgici	337	
§ 1. De festis in genere	»	685
§ 2. De festis et cultu sanctorum	338	
I. De beatificatione et canonizatione sanctorum	339	688
II. De cultu sanctis exhibendo	342	692
Caput III. De adjunctis cultus divini	»	
Art. I. De locis sacris	343	
§ 1. De ecclesiis	»	694
I. De ecclesiis proprie dictis	»	
1. De ecclesiarum ædificatione et reparatione	»	695
2. De ecclesiarum consecratione et benedictione	344	697
3. De ecclesiarum immunitate	345	698
4. De ecclesiarum exsecratione et pollutione	347	701
5. De ecclesiarum reconciliatione	348	703
II. De oratoriis	»	704
§ 2. De cœmeteriis	349	707
§ 3. De locis sanctis	350	710
Art. II. De rebus sacris	351	
§ 1. De rebus consecratis	»	711
§ 2. De rebus benedictis	353	714
§ 3. De rebus sanctis	»	717
I. De Reliquiis Sanctorum	354	718
II. De sacris imaginibus	355	722

TRACTATUS II

DE REBUS TEMPORALIBUS ECCLESIÆ	356	
DISSERTATIO I. — *De bonis Ecclesiæ in genere.*		
Caput I. De jure Ecclesiæ ad acquirendum et de modo possidendi	»	
Art. I. De jure Ecclesiæ ad acquirendum	»	724
Art. II. De subjecto dominii ecclesiastici	358	726
Caput II. De bonorum ecclesiasticorum inviolabilitate	359	731
Caput III. De administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum	361	
Art. I. De administratione bonorum ecclesiasticorum	»	734
Art. II. De alienatione bonorum ecclesiasticorum	362	736
DISSERTATIO II. — *De bonis Ecclesiæ in specie.*	364	739
Caput I. De oblationibus	»	
Art. I. De oblationibus in genere	»	740
Art. II. De primitiis et decimis	367	745
Caput II. De fundationibus	368	747
Caput III. De beneficiis	371	
Art. I. De beneficiis in genere	»	
§ 1. Notio et varietas beneficiorum	»	
I. Beneficiorum notio	»	752
II. Beneficiorum varietas	372	754
§ 2. Erectio et innovatio beneficiorum	374	
I. Erectio beneficiorum	»	755
II. Innovatio beneficiorum	»	
1. De unione et incorporatione beneficiorum	»	756
2. De beneficiorum divisione	376	760
3. De beneficiorum dismembratione et diminutione	377	762
4. De beneficiorum extinctione, suppressione et translatione	»	764
Art. II. De collatione beneficiorum	378	765
§ 1. De collatione libera	»	
I. De collatoribus beneficiorum	»	767
II. De iis quibus beneficia conferri possunt	379	768
III. De forma collationis	380	769
§ 2. De institutionibus	381	771
I. De institutione collativa tituli et jure patronatus	»	772
II. De institutione authorizabili	383	774
III. De institutione corporali	»	775

	Pag.	Num.
Art. III. De juribus et obligationibus beneficiatorum	384	
§ 1. Jura et obligationes beneficiatorum intuitu beneficii sui	»	776
I. An et quorum bonorum clerici sint domini	385	777
II. An beneficiati teneantur reditus superfluos erogare in causas pias	386	780
III. Quomodo in praxi clericus uti possit bonis beneficialibus.	387	782
§ 2. Obligationes beneficiatorum intuitu officii sui	»	
I. De residentia	»	783
II. De prohibita beneficiorum pluralitate	389	786
Art. IV. De vacatione beneficiorum	390	
§ 1. De modis amittendi beneficia	»	
I. De libera vacatione beneficiorum	»	
1. De demissione	»	788
2. De permutatione	392	791
3 De translatione	393	792
II. De necessaria vacatione beneficiorum	»	794
§ 2. De observandis, vacante beneficio	394	796
Caput IV. De fabricis	395	798
Art. I. De personis a quibus bona ecclesiarum administrantur	»	799
Art. II. De modo administrandi Ecclesiæ peculium	396	800

TITULUS II

De mediis quibus ordo in Ecclesia reparatur, seu de Judiciis. 397

TRACTATUS I

DE EXERCITIO POTESTATIS JUDICANDI

Caput I. Notio judiciorum	397	801
Caput II. Competentia fori ecclesiastici	401	
Art. I. Objectum potestatis judiciariæ Ecclesiæ	»	806
Art. II. Competentia fori singulorum judicum	402	808
Caput III. Ordo servandus in judiciis	402	810
Art. I. De processu civili	403	
§ 1. De introductione causæ	»	
I. De libello, contumacia et citatione	»	811
II. De exceptionibus et mutuis petitionibus	404	814
III. De ordine cognitionum	406	817
§ 1. De instructione causæ	»	
I. De contestatione litis et juramento calumniæ	»	819
II. De probationibus	407	821
§ 2. De sententia	410	
I. De conclusione in causa	»	828
II. De sententia proferenda	411	830
III. De re judicata	412	832
IV. De executione sententiæ	»	835
Art. II. De processu criminali	413	
§ 1. De modis quibus delicta in judicium deferuntur	»	
I. De accusatione	»	837
II. De denuntiatione	414	838
III. De inquisitione	»	839
§ 2. De citatione et examine reorum	415	
I. De citatione reorum	»	840
II. De examine reorum	»	841
Caput IV. De remediis canonicis contra sententiam, seu de appellatione	417	
Art. I. Notio appellationis	»	845
Art. II. De facultate appellandi	418	847
Art. III. Ordo appellationis	419	850
Art. IV. Appellationum tempora seu fatalia	420	852

APPENDIX

Pag. Num.

Instructio pro ecclesiasticis curiis, quoad modum procedendi œconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum 421 856

TRACTATUS II

DE EXERCITIO POTESTATIS PUNIENDI

DISSERTATIO I. — *De criminibus.*

Caput I. De criminibus generatim 426 863
Caput II. De præcipuis speciebus delictorum 428
Art. I. Criminum species ratione objecti . . . . . »
§ 1. Crimina directe contra Deum commissa . . . . . »
I. De apostasia . . . . . » 865
II. De hæresi 429 868
III. De schismate 430 871
§ 2. Crimina quibus injuria in res Deo sacras infertur 431
De simonia . . . . . » 874
Art. II. Criminum species ratione subjecti 433
§ 1. Crimina communia . . . . . » 877
§ 2. Crimina propria clericorum 434 878

DISSERTATIO II. — *De pœnis ecclesiasticis.* 434

Caput I. De pœnis in genere . . . . . » 879
Art. I. Pœnarum ecclesiasticarum variæ species . . . . . » 880
Art. II. Conditiones requisitæ ad pœnas infligendas 437 885
Caput II. De pœnis in specie 440
Art. I. De censuris . . . . . »
Prœmium. De censuris generatim . . . . . » 890
§ 1. De excommunicatione 446 897
I. De effectibus excommunicationis in excommunicato 447
1. Privatio sacramentorum et aliorum bonorum spiritualium . . . . . » 898
2. Privatio officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum . . 448 899
3. Privatio communicationis politicæ . . . . . » 900
II. De communicatione fidelium cum excommunicatis 449
1. Facultas communicandi cum excommunicatis toleratis » 901
2. Prohibita communicatio cum excommunicatis non toleratis 450 902
§ 2. De suspensione 451
I. De suspensione generatim . . . . . » 904
II. De suspensione ex informata conscientia 454 911
§ 3. De interdicto 456
I. De interdicti censura . . . . . » 919
II. De cessatione a divinis 460 925
Art. II. De pœnis vindicativis 461 929
§ 1. Pœnæ temporales . . . . . » 930
§ 2. Privatio beneficii 462 931
§ 3. Depositio et degradatio 463 932
Caput III. De censuris latæ sententiæ hodie vigentibus, ex constitutione Pii IX « Apostolicæ Sedis » 465
Prænotanda . . . . . » 934
Art. I. De excommunicationibus latæ sententiæ 467 936
§ 1. Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo R. Pontifici reservatæ . . . . . » 937
§ 2. Excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatæ 478 951
§ 3. Excommunicationes Ordinariis reservatæ 490 971
§ 4. Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ 491 974
Art. II. De suspensionibus latæ sententiæ 496 984
Art. III. De interdictis latæ sententiæ 501 999
Scholium. Praxis confessarii in absolvendo a censuris 502 1004

LIBER TERTIUS

DE RELATIONIBUS ECCLESIÆ CUM SOCIETATIBUS CIVILIBUS

TITULUS I

Principia quibus regulantur relationes Ecclesiæ et Status.

	Pag.	Num.
Caput I. De nexu inter Ecclesiam et societatem civilem	507	
Art. I. Distinctio utriusque potestatis	»	1010
Art. II. Independentia Ecclesiæ	508	
§ 1. Independentia utriusque potestatis	»	1012
§ 2. Objectum independentiæ Ecclesiæ	510	
I. Norma generalis independentiæ Ecclesiæ	»	1015
II. Multiplex objectum independentiæ Ecclesiæ	512	
1. Independentia Ecclesiæ quoad magisterium et ministerium	»	1017
2. Liberum exercitium jurisdictionis	»	1019
3. Jura Ecclesiæ quoad personas et bona ipsi necessaria	514	1021
Art. III. Concordia et mutuum auxilium Ecclesiæ et Status	515	
§ 1. Concordia utriusque potestatis	»	1022
§ 2. Mutuum auxilium Ecclesiæ et Status	517	
I. De præsidio quod Ecclesia Statui præstat	»	1024
II. De officiis Status erga Ecclesiam	519	
1. Officia negativa Status erga Ecclesiam	»	1029
2. Officia positiva Status erga Ecclesiam	»	1031
Caput II. Gradus Ecclesiæ præ societate civili	521	
Art. I. Jura societatum perfectarum ad invicem	»	1033
Art. II. Primatus Ecclesiæ quoad societates civiles catholicorum	523	
§ 1. Exponitur sensus quæstionis	»	1035
§ 2. Subordinatio societatis civilis catholicorum ad Ecclesiam	»	1038
§ 3. Corollaria potestatis Ecclesiæ in Societatem civilem	526	1040

TITULUS II

Conspectus historicus relationum Ecclesiæ et Status 527

Caput I. Ætas juris antiqui	»	
Art. I. Status belli inter Ecclesiam et Imperium	528	1043
Art. II. Fœdus imperfectum utriusque potestatis	»	1045
Caput II. Ætas juris novi	529	
Art. I. Primatus Ecclesiæ in Imperium	»	1048
Art. II. Reactio Status in Ecclesiam	531	1050
Caput III. Ætas juris novissimi	532	
Art. I. Dominatio Status in Ecclesiam	»	
§ 1. Systemata protestantium	533	1051
§ 2. Systemata politicorum	»	1052
Art. II. Divisio Status ab Ecclesia	535	1054

TITULUS

De Concordatis.

Caput I. De Concordatis cum guberniis catholicis	536	
Art. I. Historia Concordatorum	537	
§ 1. Concordatorum origo	»	1056
§ 2. Concordata sæculi XIX[i]	538	1057
§ 3. Corollaria ex praxi Ecclesiæ defluentia	»	1058
Art. II. Natura Concordatorum	539	
§ 1. Concordatorum materia	»	1061
§ 2. Personæ contrahentes Concordatum	541	1064
§ 3. Concordatorum indoles	542	1066
Art. III. Obligatio Concordatorum	543	
§ 1. De Concordatis rite ineundis	»	1068

	Pag.	Num.
§ 2. De effectibus Concordatorum	544	1070
§ 3. De Concordatis interpretandis ac rescindendis	545	
I. Interpretatio et rescissio conventionum in genere	»	1073
II. Interpretatio et rescissio Concordatorum in specie	546	1075
Caput II. De Concordatis cum guberniis heterodoxis	»	
Art. I. Relationes societatis civilis ad heterodoxos	»	1077
Art. II. Conventiones Ecclesiæ cum guberniis heterodoxis	548	1079
Index rerum alphabeticus	549	
Index synopticus	560	
Appendix de Computo ecclesiastico et Calendario	574	

COMPUT ECCLÉSIASTIQUE ET CALENDRIER

I. Notion du Comput et du Calendrier. — II. Cycle lunaire, Nombre d'or, Epacte. — III. Cycle solaire et Lettres dominicales. — IV. Fête de Pâques et Ordo-calendrier liturgique annuel. — V. Indiction romaine. — VI. Calendrier de la Révolution française.

I. **Comput et Calendrier.** — Le Comput ecclésiastique, inséré par le concile de Trente dans le programme d'études des séminaires (*sess. 23, chap. 18*), est ainsi appelé du mot *computare*, calculer. Il signifie les calculs chronologiques nécessaires pour construire le *calendrier* ou catalogue annuel des offices et des fêtes de l'Eglise, dont la principale, celle dont la détermination motive la plupart de ces calculs, est la fête de Pâques.

5. Le mot Calendrier (*Kalendarium*) vient de *Kalenda*, dérivé lui-même de Καλεῖν ou *calare*, convoquer, parce que, chez les Romains, le peuple était convoqué le premier jour de chaque mois, appelé de là *les calendes*, pour entendre la proclamation des nouvelles lunes, des *nones* et des *ides*, qui sont, comme les calendes, des subdivisions des mois dans le calendrier romain, dont l'Eglise a conservé l'usage dans le Martyrologe. Les calendes sont invariablement fixées au premier du mois ; les ides (moitié du mois, de *iduare*, partager en deux), au 13, excepté dans les mois de mars, mai, juillet et octobre, où elles sont le 15, parce que, primitivement, ces quatre mois avaient seuls 31 jours ; et les nones, le *neuvième* jour avant les ides, c'est-à-dire le 5 ou le 7 du mois. Les 8 jours entre les nones et les ides inclusivement de chaque mois s'appellent, en comptant à reculons, le 8, le 7,... la veil e des ides (*octavo, septimo,... pridie idus*); les six ou les quatre jours entre les calendes et les nones inclusivement, s'appellent le 6, le 4..., la veille des nones (*sexto, quarto... pridie nonas*) ; enfin, les 19, 18, 17 ou 16 jours entre les ides et le premier du mois suivant inclusivement, s'appellent le 19, ... la veille des calendes du mois suivant *(decimo nono. . pridie kalendas septembris, le 14 et le 31 août)*. Tous les quatre ans, régulièrement, on intercale un jour supplémentaire entre le 6 et le 5 des calendes de mars, en doublant le 6, *bis sexto* (24 et 25 février), d'où le nom d'année bissextile. Cette intercalation représente l'excédent de 5 h. 48' 45" de l'année solaire exacte sur l'année commune de 365 jours, et se fait la dernière année de chaque période de 4 ans, excepté trois fois en 400 ans (en 1700, 1800 et 1900) à cause des 45 minutes ajoutées en trop à chaque année bissextile.

3. En suivant le calendrier Julien (dont l'auteur fut *Jules César*), qui évaluait à 365 jours et 6 heures l'année solaire et assignait une année bissextile à toutes les périodes de 4 ans sans aucune exception, depuis le concile de Nicée jusqu'en 1582, on avait compté 10 jours en trop, et l'équinoxe de printemps tombait le 11 mars au lieu du 21. Pour corriger cette erreur, Grégoire XIII nomma une commission de savants, qui calculèrent la durée précise de l'année solaire (365 j. 5 h. 48' 45"), ordonna que le lendemain du 4 octobre 1582 serait le 15, et prit des mesures pour l'avenir, notamment en statuant que trois années séculaires sur quatre ne seraient pas bissextiles (1700, 1800 et 1900). Le calendrier ainsi réformé s'appelle de son nom *Grégorien*. Les nations catholiques l'adoptèrent immédiatement : l'Angleterre et d'autres pays protestants, par esprit de secte, persistèrent jusqu'au XVIII^e^ siècle dans une erreur astronomique démontrée, et la Russie conserve encore le calendrier Julien ou *vieux style*, en retard de 13 jours sur le grégorien ou *nouveau style*, parce que, en 1700, 1800 et 1900, elle a ajouté trois jours à l'excédent de dix jours constaté en 1582.

4. Le concile de Nicée ayant fixé la fête de Pâques au dimanche qui suit le quatorzième jour de la lune de mars, survenant au plus tôt le 21 mars, date de l'équinoxe de printemps, il est nécessaire, pour déterminer le jour de Pâques de chaque année : 1° de calculer l'âge ou quantième de la lune au commencement de l'année, ce qui se fait au moyen du *Cycle lunaire* ou *Nombre d'or* et de l'*Epacte ;* 2° de trouver le quantième des dimanches de l'année par le moyen des *Lettres dominicales* et du *Cycle solaire*.

II. **Cycle lunaire, Nombre d'or et Epacte.** — 1. Le Cycle lunaire, découvert par Méthon, astronome athénien (432 av. J.-C.), est une période de 19 ans, après laquelle la nouvelle lune coïncide, à une différence insignifiante près (1 h. 28' 15" d'avance du côté de la lune), avec le commencement de l'année solaire.

2. Chacun des 19 nombres de ce cycle a été appelé *nombre d'or*, parce que les Athéniens le faisaient graver en lettres d'or sur une colonne élevée sur la place publique. En effet, l'année lunaire commune (12 lunaisons de 29 et 30 jours alternativement, qui font 354 jours) est terminée environ 11 jours avant l'année solaire, qui a 365 jours. De là l'excédent annuel de 11 jours. Or, $11 \times 19 = 209$, à peu près sept lunaisons de 30 jours ; et le 1^er^ janvier de la 20^e^ année (la 1^re^ du nouveau cycle) est aussi le 1^er^ jour de la lune.

— L'année qui a précédé l'ère chrétienne ayant été la 1re du cycle (elle a eu 1 pour nombre d'or), pour trouver le nombre d'or de l'année courante, il n'y a qu'à ajouter 1 au millésime, v. g. 1902 + 1, et à diviser le total par 19. Le reste, 3, indique le nombre d'or, c'est-à-dire que le cycle actuel a commencé en 1900, s'il n'y avait pas de reste, le nombre d'or serait 19.

3. L'*Epacte* (ἐπακτος, ajouté ou surplus), est l'âge ou quantième de la lune au 31 décembre de l'année précédente. On la calcule en multipliant le nombre des années déjà écoulées du cycle lunaire en cours par 11, surplus de chaque année lunaire sur l'année solaire, v. g. le 1er janvier 1902, $2 \times 11 = 22$; et retranchant toutes les lunaisons de 30 jours comprises dans ce total. Le reste, 22—1, à cause de la métemptose, est l'épacte de 1902, et le 1er janvier, 1er jour de l'année solaire et civile, a été le 22e de la lune. Les lunaisons retranchées du total s'appellent mois *embolismiques* (ἐμβολισμος, intercalation), parce qu'ils sont intercalés entre deux années lunaires communes (de 12 lunaisons), environ tous les 3 ans. On les fait de 30 jours, excepté la 19e et dernière année du cycle lunaire, bien que les lunaisons soient alternativement de 29 et 30 jours, parce que les fractions négligées exigent qu'il en soit ainsi, pour établir l'accord le plus parfait possible entre l'année lunaire et l'année civile ou solaire. C'est pour la même raison qu'on attribue le même quantième à la lune, le 24 et le 25 février des années bissextiles, v. g. le 26, en 1892. De cette manière, l'excédent de l'année lunaire est toujours le 11 au lieu d'être le 12 les années bissextiles. Quand le 31 décembre est le dernier jour de la lune, c'est-à-dire quand le nombre d'or est 19, l'épacte de l'année suivante sera nulle, parce que le 1er janvier sera aussi la nouvelle lune, v. en 1881, et le nombre d'or sera 1. En 1882, l'épacte était 11, excédent de la 1re année lunaire du cycle sur l'année solaire.

Toutefois, la concordance entre le cycle lunaire réel comprenant 235 lunaisons et 19 années civiles n'est qu'approximative ; il y a *proemptose* (chute en avant), parce qu'il se termine 1 h. 28' 15" avant la 19e année solaire. L'équation lunaire de la proemptose fait disparaître cette différence (qui donne un jour en 312 ans), en diminuant une lunaison d'un jour et l'ajoutant à l'épacte de l'année suivante tous les 300 ans, pendant sept fois, et puis après une huitième période de 400 ans ; d'où il résulte qu'il faut 2.500 ans pour rétablir l'équilibre parfait entre le cycle conventionnel et le cycle réel.

Cette période de 2.500 ans a commencé en 1500.

La *métemptose* (chute en arrière) a lieu lorsque l'année solaire qui serait bissextile d'après le calendrier Julien, qui règle encore l'année lunaire, ne l'est plus d'après la réforme grégorienne, v. g. 1900. L'année lunaire finit alors un jour plus tard ; et on rétablit l'équilibre par l'équation solaire de la métemptose, qui consiste à diminuer de 1 l'épacte de l'année suivante. Ainsi 1901 a eu 10 pour épacte au lieu de 11, quoiqu'il y ait eu 2 pour nombre d'or.

Quand il y a la même année proemptose et métemptose, v. g. en 1800 et 2100, rien n'est changé. — En combinant les équations lunaires et les équations solaires, on constate qu'il a fallu, à partir de 1900, retrancher 1 des épactes marquées au tableau des nombres d'or, où l'épacte XI correspond à 2, XXII à 3, III à 4, etc. ; de sorte que l'épacte réelle du nombre d'or 12 sera nulle, comme elle l'a été depuis 1700 au nombre d'or 1.

C'est la métemptose combinée avec la proemptose qui a nécessité les nouveaux tableaux de concordance entre les nombres d'or, les épactes et les lettres du martyrologe, pour les périodes de 1700 à 1900, et de 1900 à 2200, qu'on trouve dans la préface du martyrologe.

III. **Cycle solaire, Lettres dominicales et Lettres du martyrologe.** — 1. On appelle *Cycle solaire* une période de 28 ans, après laquelle (excepté quand elle renferme une année séculaire non bissextile) les lettres dominicales et celles qui marquent les autres jours de la semaine dans le calendrier, reviennent à leur première place et se succèdent dans le même ordre qu'auparavant, parce qu'il s'est écoulé sept années bissextiles et 3 multiples de 7 années communes, qui ont épuisé les combinaisons possibles des 7 lettres dominicales.

2. Les *Lettres dominicales* sont les sept premières lettres de l'alphabet latin : A, B, C, D, E, F, G, représentant les sept jours de la semaine et placées dans le calendrier par séries ininterrompues, à côté de tous les jours de l'année (A 53 fois, et les autres lettres 52 fois). Celles qui correspondent au 1er dimanche de l'année, v. g. A, en 1905, où le 1er janvier sera un dimanche, est la lettre dominicale de l'année. Comme l'année commune a 52 semaines et un jour, c'est la lettre précédente qui devient dominicale l'année suivante, v. g. C, en 1904. Les années bissextiles, il y a deux lettres dominicales, l'une pour janvier et février, et l'autre pour les dix autres mois, à cause de l'intercalation du 29 février, qui ne pouvait avoir sa place et sa lettre dans le calendrier perpétuel.

Dans le calendrier grégorien, les lettres dominicales reviennent tous les 400 ans aux mêmes quantièmes de tous les mois de l'année, parce que cette période comprend 303 années communes et 97 années bissextiles, soit 20.871 semaines, sans fraction. C'est pourquoi on appelle cycle grégorien une période de 400 ans.

La méthode à suivre pour trouver la lettre dominicale d'une année quelconque, v. g. A, en 1245, est assez compliquée, à cause des années bissextiles et de la réforme grégorienne. Au millésime, on ajoute 5, parce que le cycle solaire est censé commencer 5 ans avant l'ère vulgaire, et le quart du millésime, parce que tous les quatre ans, aux années bissextiles, la lettre dominicale recule de deux unités (on néglige le reste parce que l'année bissextile correspondante est encore à venir) ; ensuite on retranche 10 + 3, à cause des 10 jours supprimés en 1582, lors de la réforme grégorienne, et des années non bissextiles 1700, 1800 et 1900 ; puis on divise par 7, nombre invariable des lettres dominicales ; enfin, le reste indique la lettre dominicale sur le tableau spécial où 0 correspond à A, 1 à G, 2 à F, 3 à E, 4 à D, 5 à C, et 6 à B. Ainsi, pour calculer la lettre dominicale de 1905, on a la formule : $1905 + 5 + 476 = 2886 - 13 = 23737 = 339$, reste zéro, donc la lettre dominicale sera A.

3. *Lettres du martyrologe.* Dans le martyrologe romain, pour indiquer à perpétuité le jour de la lune correspondant à chaque jour de n'importe quelle année solaire, on a recours à un système ingénieux de tableaux quotidiens, qui renferment 30 lettres différentes, les unes majuscules et les autres minuscules, correspondant chacune à une épacte. On a mis autant de lettres que la lune peut avoir de jours, bien que 19 seulement puissent être utilisées dans les 19 années du cycle lunaire, parce que la proemptose et la méteptose changent tous les 200 ou 300 ans la concordance des nombres d'or avec les épactes et les lettres du martyrologe, de sorte que les 11 nombres restants deviennent des nombres d'épacte. On trouve alors le quantième de la lune sous des lettres correspondant à des nombres inutiles dans la période précédente.— Pour trouver la lettre du martyrologe, v. g. B en 1902, sous laquelle est placé le quantième de la lune dans les tableaux quotidiens, il suffit de connaître l'épacte de la même année (21 en 1902), puisque cette lettre est placée en regard dans un tableau spécial du martyrologe. (*Voir les notions et les tableaux placés en tête du martyrologe et du bréviaire romain.*)

IV. **Fête de Pâques et Ordo-calendrier annuel.** — Pour trouver le jour de Pâques de n'importe quelle année, il faut d'abord chercher quelles sont l'épacte et la ou les lettres dominicales de cette année-là. On recherche ensuite l'âge de la lune au 21 mars, — puisque, d'après le concile de Nicée, le 14 de la lune pascale ne peut tomber avant, — en observant que les deux lunaisons de janvier et février, 59 ou 60 jours, égalent ces deux mois solaires, et qu'il ne reste rien à reporter en mars, tandis que neuf autres mois gagnent une unité, et août ou juillet 2, dont le total 11 forme l'épacte de l'année suivante. Pâques tombe au plus tôt le 22 mars, quand le 14 de la lune est le 21 et un samedi; au plus tard, le 25 avril, quand le 14 de la lune est le 18 avril et un dimanche. Le 14 de la lune pascale trouvé, il n'y a qu'à voir au calendrier à quel jour suivant correspond la lettre dominicale unique ou la seconde de l'année, et ce jour est précisément celui de Pâques. Exemple : en 1903, 2 d'épacte + 21 + 23 ; le 14 de la lune sera donc le 10 avril ; et, la lettre dominicale D correspondant au 12 avril, Pâques tombera le 12 avril. — Cette solennité une fois fixée, il est facile de mettre à leur place dans un calendrier muet (où il n'y a que les quantièmes du mois) les dimanches après l'Epiphanie, du Carême, après Pâques, après la Pentecôte, de l'Avent (le 1er est le 30 novembre ou le dimanche le plus rapproché de ce jour). Ce tableau de la partie mobile de l'année liturgique ou ecclésiastique une fois dressé, on compare avec le calendrier perpétuel, où les fêtes sont marquées à jour fixe ou à tel dimanche du mois ; et on arrête l'ordre des offices à réciter et des messes à dire chaque jour de l'année, suivant les rubriques de l'occurrence, de la concurrence, de la translation, de la simplification et de l'omission des fêtes : *Ordo divini officii recitandi et sacri faciendi juxta rubricas, pro anno 1903, jussu RR. Episcopi N. editus.*

V. **Indiction romaine.** — L'indiction romaine, qui a longtemps servi à dater les actes publics, surtout les actes du saint-siège apostolique, est un cycle de 15 ans, qui a commencé réellement le 1er janvier 313, date de l'avènement de Constantin à l'empire, et fictivement 3 ans avant J.-C. Pour trouver l'indiction d'une année, il n'y a qu'à ajouter 3 au millésime et à diviser par 15 ; le reste est le chiffre de l'indiction. v. g. 1903 + 3 = 1906/15 = 127 + 1. 1 sera donc l'indiction romaine de 1903. S'il n'y a pas de reste, 15 est le chiffre de l'indiction.

VI. **Calendrier de la Révolution française.** — Par manie d'innovation et de protestation contre tout ce qui avait un caractère ecclésiastique, la Convention nationale abrogea le calendrier romain, conservé par l'Eglise et appelé des *solstices*, parce que l'année y commence et finit à peu près au solstice d'hiver. Elle y substitua le *calendrier* dit *équinoxial*, parce qu'elle fit commencer l'*an Ier de la République française, une et indivisible*, le 22 septembre 1792, époque de l'équinoxe d'automne. L'année eut 12 mois de 30 jours chacun, partagés en trois décades et cinq ou six *jours complémentaires*, pour compléter les 365 ou 366 jours de l'année solaire ; et à chaque jour on assigna un animal domestique, une plante ou un instrument de travail, v. g. chien, avoine, râteau, pour remplacer les noms des saints. Les jours de la décade, substituée à la semaine, s'appelèrent : primidi, duodi, tridi, quartidi, quintidi, sextidi, septidi, octidi, nonidi et décadi. Ce dernier devait être chômé, sous peine d'amende, et le dimanche il fallait travailler. Voici la liste des 12 mois : I. *Automne :* vendémiaire, 22 septembre-21 octobre ; brumaire, 22 octobre-20 novembre ; frimaire, 21 novembre-20 décembre ; — II. *Hiver :* nivôse, 21 decembre-19 janvier ; pluviôse, 20 janvier-18 février ; ventôse, 19 fevrier-20 mars ; — III. *Printemps :* germinal, 21 mars-19 avril ; floréal, 20 avril-19 mai ; prairial, 20 mai-18 juin ; — IV. *Eté :* messidor, 19 juin-18 juillet ; thermidor, 19 juillet-17 août ; fructidor, 18 août-16 septembre ; — V. *Jours complémentaires :* 17, 18, 19, 20 et 21 septembre, après lesquels un 6e était intercalé aux années bissextiles et correspondait au 22 septembre.

Ce calendrier, décrété le 6 octobre 1793, avec point de départ fictif du 22 septembre 1792, fut en usage dans les actes officiels jusqu'au 1er janvier 1806, qui aurait été le 11 nivôse an XIV. On n'a besoin de le connaître que pour établir la concordance de la date des lois et décrets de cette époque avec l'ère vulgaire. Mais, du 22 septembre 1793, qui fut le 6e complémentaire de l'an III, jusqu'au 29 février 1796, et du 22 septembre 1799 au 22 septembre 1803, il y a un jour de retard dans le calendrier révolutionnaire ; deux, du 22 septembre 1803 au 29 février 1804 ; et de nouveau un seul, du 29 février 1804 au 1er janvier 1806, parce que l'an III, l'an VII et l'an IX furent bissextiles, tandis que 1796 et 1804 seulement le furent dans le calendrier grégorien.

Lyon. — Imprimerie EMMANUEL VITTE, rue de la Quarantaine, 18.

3888